38rM

RES GESTAE
DIVI AVGVSTI.

EX MONVMENTIS ANCYRANO ET APOLLONIENSI

ITERVM EDIDIT

TH. MOMMSEN.

[vol. 1]

ACCEDVNT TABVLAE UNDECIM.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXIII.

21372
26/1/92
b

CONSPECTVS.

	p.
Augusti commentarii origo et editio	V—XII
Monumentum Ancyranum	XIII—XXXIII
Monumentum Apollonieuse	XXXIV
Huius editionis ratio	XXXV—XXXVIII
Textus cum apparatu critico	XXXIX—LXXVIII
Textus cum supplementis	LXXIX—LXXXXVII
Commentarii	1—160
De P. Sulpicii Quirinii titulo Tiburtino	161—182
Indices:	
I. Conspectus rerum ad ordinem temporum	183—188
II. Index verborum	
1. De orthographia commentarii Latini	189—194
2. De versione Graeca	194—202
3. Vocabula Latina	203—215
4. Vocabula Graeca selecta	216
III. Index rerum	217—220
Additamenta	221—223

Commentarius rerum gestarum, quem ab Augusto paucis ante mortem mensibus conscriptum esse ad inscriptionem exposuimus (vide infra p. 1), capita complectitur quinque et triginta, non numerata quidem, sed distincta versu primo eminente. Ea cum eadem sint in Latinis Graecisque (nisi quod additamentum alius auctoris Latine dividitur in capita quattuor, Graece continuatur), eadem etiam in exemplo Ancyrano et Apolloniensi, iure referentur ad ipsum Augustum vel certe ad archetypum commentarii exemplar in urbe expositum, itaque nos quoque non dubitavimus secundum ea commentarium edere numeris adiectis, quamquam ipsa distributio parum probabilis est et saepe eodem capite agitur de rebus diversis. Ipse commentarius tripertitus est: agitur primum de honoribus in Augustum collatis, id est de magistratibus sacerdotiis triumphis reliquisque similibus multis et variis (c. I—XIV), deinde de impensis quas in rem publicam de suo fecit (c. XV—XXIV), denique de rebus gestis pace belloque (c. XXV—XXXV); itaque qui titulum dictavit rerum gestarum divi Augusti, quibus orbem terrarum imperio populi Romani subiecisset, et impensarum, quas in rem publicam populumque Romanorum fecisset, primam partem omisit, secundam tertiamque invertit. Quamquam partitionem illam Augustus secutus est in universum tantum sine scrupulosa anxietate: ita in primo tractatu ubi censoriae potestatis meminit, ipsos quoque census fuse enarrat (c. VIII), tertio inseruit non solum honores cum rei publicae restitutione coniunctos, quod potest defendi (c. XXXIV), sed etiam titulum patris patriae sibi oblatum (c. XXXV); denique non pauca sunt, quae pari iure et primo et tertio ordini inferri potuerunt. Diligentius autem quam reliquas duas Augustus exsecutus est partem de impensis in rem publicam factis, maxime ludos congiariaque; neque id mirum est in titulo Romae proposito scriptoque potissimum plebi urbanae. In rerum delectu domesticas, ut par erat, Augustus silentio praetermisit, ut non solum mulieres domus eius nusquam memorentur, sed ne adoptiones quidem significentur. In publicis cum suos honores suasque res gestas enarrans filiorum Gaii Lucii Tiberii generique Agrippae passim meminerit, nullo loco ne ducis

quidem extra domum imperatoriam constituti princeps mentionem facit neque omnino praeterquam in annis designandis nomen ponit hominis infra fastigium imperatorium constituti. De turbis civilibus dicit quidem compluribus locis, sed brevissime et cautissime et ut nusquam nomina enuntiet eorum qui contra se arma tulissent bellis civilibus, ut M. Bruti et C. Cassii (*factio*: I 2; *qui parentem meum interfecerunt*: I 10), M. Antonii (*is cum quo bellum gesseram*: IV 50 cf. V 4 et Dio 51, 19), M. Lepidi (*cepi id sacerdotium* — pontificatum maximum — *eo mortuo qui civilis motus occasione occupaverat*: II 25), Sex. Pompeii (*praedones*: V 1). Cladis Varianae similiumque infortuniorum mentionem non fieri vix opus est monere; contra memoratur expeditio non multo magis felix, sed non conclamata Aelii Galli (V 18). Denique arcana imperii in tali scriptione nemo sanus quaeret, sed ea, quae populum universum et plebeculam maxime de se vel nosse vel credere vellet imperator animi callidi magis quam sublimis quique magni viri personam apte gesserit ipse non magnus.

Cap. I (p. 2).

I 1–3 Adulescentulus exercitum comparat.

3–7 Loco consulari adlegitur in senatum, item imperium accipit pro praetore.

7–9 Consul I creatur et IIIvir r. p. c.

Cap. II (p. 5).

I 10–12 Lex Pedia. Bellum Philippense.

Cap. III (p. 5).

I 13–15 Bella sustenta. Civibus et plerisque externis victor parcit.

16–19 Numerus militum et veteranorum.

19. 20 Numerus navium captarum.

Cap. IV (p. 10).

I 21–24 Numerus ovationum et triumphorum. Triumphi non accepti. Laurus depositae.

24–27 Numerus supplicationum et dierum per quos supplicatum est.

27. 28 Numerus regum liberorumque eorum in triumphis illis ductorum.

28–30 Numerus consulatuum et annorum tribuniciae potestatis.

Cap. V (p. 23).

I 31. 32 Dictatura non accepta.

32–35 Cura annonae.

35. 36 Consulatus perpetuus non acceptus.

Cap. VI (p. 28).

I 37 .. Cura legum et morum non accepta, usurpata potestas tribunicia.

I ... Collegae tribuniciae potestatis.

Cap. VII (p. 31).

I ... Triumvir r. p. c.

I 44. 45 Princeps senatus.

I 45. 46 Sacerdotia.

Cap. VIII (p. 34).
II 1 Patriciorum numerus auctus.
1. 2 Senatus lectus ter.
2—11 Census actus ter.
12—14 Leges latae.
Cap. IX (p. 40).
II 15—20 Vota pro imperatore suscepta.
Cap. X (p. 44).
II 21 Nomen inclusum in carmen saliare.
21—23 Sacrosanctus factus et data potestas tribunicia.
23—28 Pontificatus maximus primum recusatus, postea admissus.
Cap. XI (p. 46).
II 29—33 Ara Fortunae reduci constituta. Dies Augustalium.
Cap. XII (p. 47).
II 34—37 Legati obviam missi in Campaniam.
37—41 Ara Paci Augustae constituta.
Cap. XIII (p. 49).
II 42—45 Ianus ter clausus.
Cap. XIV (p. 51).
II 46—III 6 Honores collati in filios C. L. Caesares.
Cap. XV (p. 58).
III 7—21 Dona in plebem urbanam veteranosque collata.
Cap. XVI (p. 63).
III 22—28 Pecunia soluta pro agris veteranis concessis.
28—33 Praemia veteranis numerato soluta.
Cap. XVII (p. 66).
III 34. 35 Pecunia in aerarium delata.
35—39 Aerarium militare constitutum.
Cap. XVIII (p. 76).
III 40—43 Tributa pro aliis soluta.
Cap. XIX (p. 78).
IV 1—8 Opera publica nova facta in solo publico.
Cap. XX (p. 83).
IV 9—20 Opera publica refecta in solo publico.
Cap. XXI (p. 87).
IV 21—23 Opera publica facta in solo privato.
23—26 Dona ex manibiis in aedibus sacris posita.
26—30 Aurum coronarium Italiae remissum.
Cap. XXII (p. 89).
IV 31—33 Munera gladiatoria.
33—35 Spectacula athletarum.
35. 36 Ludi.

36. 37 Ludi saeculares.
38. 39 Ludi Martiales.
39—42 Venationes.
Cap. XXIII (p. 94).
IV 43—48 Proelii navalis spectaculum.
Cap. XXIV (p. 95).
IV 49—51 Asiae templis ornamenta ab Antonio erepta restituta.
51—54 Statuae argenteae conflatae donaque inde posita.
Cap. XXV (p. 97).
V 1—3 Mare pacatum bello contra Sex. Pompeium gesto.
3—8 Quinam iuraverint in verba imperatoris bello Actiaco.
Cap. XXVI (p. 101).
V 9. 10 Provinciarum fines aucti.
10—12 Galliae Hispaniae Germania pacatae.
12—14 Gentes Alpinae subactae.
14—18 Classis in Oceanum navigatio. Legationes populorum Germanorum.
18—23 Exercitus in Aethiopiam et in Arabiam ducti.
Cap. XXVII (p. 109).
V 24 Aegyptus imperio adiecta.
24—31 De rebus Armeniorum.
31—34 Provinciae recuperatae a M. Antonio et Sex. Pompeio.
Cap. XXVIII (p. 119).
V 35. 36 Coloniae militares in provinciis deductae.
36—38 Coloniae militares in Italia deductae.
Cap. XXIX (p. 124).
V 39—43 Signa recepta cum ab aliis tum a Parthis.
Cap. XXX (p. 128).
V 44—49 Res gestae contra Pannonios et Dacos.
Cap. XXXI (p. 132).
V 50—53 Legationes ad Augustum missae.
Cap. XXXII (p. 135).
V 54—VI 3 Quinam reges ad Augustum confugerint.
VI 3—6 Parthorum obsides.
6—8 Legationes aliae.
Cap. XXXIII (p. 143).
VI 9—12 Reges dati Parthis et Medis.
Cap. XXXIV (p. 144).
VI 13—15 Res publica restituta.
16—21 Propterea decreta nomen Augusti, postes laureati, corona civica, clupeus aureus.
21—23 Dignitate primus, potestate praeditus nulla nisi ordinaria.

Cap. XXXV (p. 153).

VI 24—27 Pater patriae appellatus.

27. 28 Quo tempore haec scripta sint.

De commentario publice in urbe ante sepulcrum suum proponendo quid Augustus testamento caverit, ad eum in principio exposuimus (infra p. 1). Paruerunt ut oportebat ei legi heredes tabulasque proposuerunt ibi ubi iussi erant ante mausoleum Augusti, *l'Austa* dictum medio aevo, situm in Campo Martio ibi fere ubi nunc est Ripetta (Becker topogr. urbis Romae p. 639). Nam exemplar, quod hodie superest Ancyrae, in praescriptis dicitur descriptum ex *duabus aheneis pilis, quae sunt Romae positae.* Nec pugnant, sicut visum est Lipsio (ad Taciti ann. 1, 11), cum tabulis aheneis Suetonii (vide infra p. 1) pilae aheneae exemplaris Ancyrani; nam prope accedit ad tabulae speciem pila quadrata, cuius postica ad murum applicata sit, latus utrumque brevius a scriptura vacet. Multo minus quod mausoleum illud ex lapide factum est obstat quominus ante id pilae aheneae statutae fuerint, quamquam aliter iudicavit Zumptius (mon. Ancyr. p. 38).

Indice ita Romae publice proposito, quem et auctoritas et brevitas commendaret, non mirum est usos esse rerum scriptores, quorum ex iis qui extant notitiam eius habuerunt Velleius et Suetonius[1]). Nam Velleius, cuius aetate tabulae Romae expositae sunt, principium certe memoria invenitur tenuisse (v. infra p. 3); Suetonius et ipsam eius inscriptionem memorat (v. p. 1) et semel (v. ad 4. 35) eum adlegat sub nomine auctoris, passim autem (vide infra ad Lat. 1, 21. Gr. 3, 21. 4, 1. Lat. 2, 2. 21. 42. 3, 7. 4, 17. 19. 39. 43. 51. 5, 10. 12. 36. 40. 47. 50. 6, 9) ab eo pendet vel certe inter alia eum videtur adhibuisse. Libelli forma indicem publice editum esse testatum non habemus; et Velleius quidem Suetoniusque fieri potest ut eum legerint in ipso aere, neque grammatici eum citant. At cum ii citent testamentum[2]), probabile est indicem quoque hominibus doctis aetatis posterioris in manibus fuisse. Ad nos pervenit non codicibus propagatus, sed per exemplaria tam ipsius quam interpretationis Graecae, quae publico consilio in lapide incidi iusserunt res publicae duae Graecae, Galatiae provinciae utraque, Ancyrana et Apolloniensis[3]); nam quamquam Apolloniae non superest nisi pars versionis, dubitari

[1]) Non recte Bergkius p. 8, dubitans sane ipse, adiecit etiam Nicolaum Damascenum hoc indice usum inveniri, propter locum vitae Caes. c. 1: *ἐθελουσίους τε προσαγόμενος .... ἔπεισεν ἑαυτοῦ ἀκροᾶσθαι ὧν δὲ πρότερον οὐδὲ ὀνόματα ἠπίσταντο οἱ ἄνθρωποι οὐδέ τινος ὑπήκοοι ἐγένοντο διὰ μνήμης, ἡμερωσάμενος ὁπόσοι ἐντὸς Ῥήνου ποταμοῦ κατοικοῦσιν, ὑπέρ τε τὸν Ἴόνιον πόντον καὶ τὰ Ἰλλυριῶν γένη· Παννονίους αὐτοὺς καὶ Δάκας καλοῦσιν.* Nam eum parum verisimile est sumptum esse ex indice 5, 44 seq.

[2]) Charisius p. 104 Keil; neque enim recte opinor Bergkius p. 8 lectionem traditam tuetur *Augusta in testamento*, quo nomine rerum scriptores quidem argumento interpretationem adiuvante neque tamen grammatici Liviam recte appellare potuerunt.

[3]) Apollonia sita in confiniis Phrygiae et Pisidiae (cf. G. Hirschfeld in actis minoribus acad. Berol. a. 1879 p. 316) olim cum illa contribuebatur (Stephanus Byz. s. v.: *ιη'*

non potest ibi utpote in colonia civium Romanorum archetypum quoque Latinum olim prostitisse. Quae monumenti insignis publica propositio quodammodo coniuncta est cum eorum oppidorum Caesareorum sive Augusteorum aedificatione, de quibus Caesareis in universum videndus est Marinius (Arv. p. 383 sq.). Nam postquam a. 725 Augustus indulsit Asianis, ut sibi et urbi Romae aedem dedicarent Pergami, et Bithynis, ut Nicomediae (Dio 51, 20; Tacit. ann. 4, 37), Ancyra quoque Galatiae metropolis suum sibi fecit *Σεβαστεῖον*, quo nomine appellatur in titulo ipsius aedis antae inscripto: *ὅπου τὸ Σεβαστεῖόν ἐστιν καὶ ἡ πανήγυρις γείνεται καὶ ὁ ἱππόδρομος*[1]). Aedem fuisse dedicatam divo Augusto et urbi Romae declarat titulus modo citatus sic incipiens: *Γαλατῶν ο . .* (?) *[ἱε]ρασάμενον θεῷ Σεβαστῷ καὶ θεᾷ Ῥώμῃ*, quibus verbis subicitur ludorum laterculus ad aedem eam certis intervallis, fortasse quinto quoque anno editorum. — Similis omnino fuit aedes altera, quam hoc indice conscriptam fuisse constat, Apolloniensium. Nam legitur ibi supra indicem titulus qui sequitur (C. I. Gr. n. 3971) non ad indicem pertinens, sed ipsius aedis, post aliorum temptamina a Waddingtonio demum (ad syll. Lebasianae vol. III n. 1194) et perite descriptus et scite expletus:

Τοὺς κοινοὺς σωτῆρας καὶ ἰδίους θεοὺς Σεβαστοὺς καὶ τοὺς παῖδας αὐτ[ῶν] [Ἀπολλωνιατῶν Λυκίων ὁ δῆμος]
Γαΐῳ Καίσαρι Γερμ[ανικῷ Τιβερίῳ Καίσαρι θεῷ Σεβαστῷ [θεᾷ Ἰουλίᾳ Δρούσῳ Λευκίῳ Καίσαρι]

Itaque aedes Apolloniensis et ipsa fuit ex genere Augusteorum; neque absimile veri eodem tempore, quo Galatarum commune in sua metropoli ut Augusteum fieret decrevit, etiam Apolloniatas vel si magis placet Pisidas Galatis in pro-

---

Φρυγίας ἡ πάλαι Μάργιον; Strabo 12, 8, 13 p. 576) et titulus ibi repertus est (C. I. Gr. 3973) cum anno adscripto, quem Waddington apud Lebasium III n. 1192 (cf. ad n. 1195) probabiliter ad epocham provinciae Asiae revocavit. At Amyntas rex Galatiae cum eam regno suo adiecisset (Strabo 12, 6, 4 p. 569: *τὴν Ἀντιόχειαν ἔχων τὴν πρὸς τῇ Πισιδίᾳ μέχρι Ἀπολλωνίαδος τῆς πρὸς Ἀπαμείᾳ τῇ Κιβωτῷ καὶ τῆς παρωρείου τινὰ καὶ τὴν Λυκαονίαν*), ab eo inde tempore Pisidiae attributa pars mansit provinciae Galatiae ex regno illo effectae (Ptolemaeus 5, 4, 11; Stephanus Byz. s. v.: *ιζ΄ Πισιδίας ἡ πρότερον Μορδιάιον*).

[1]) C. I. Gr. 4039 additis iis quae de lectione observavit Perrotus *expl. arch.* p. 261. Apud Iosephum (ant. 16, 6, 2) in decreti Augusti verbis: *ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ γενηθέντι μοι ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀργύρῃ* recte monuit Chishullus p. 166 cavendum esse ab emendatione Scaligerana hodie recepta *ἐν Ἀγκύρᾳ*; expectandum certe id quod Petitus restituere ausus est *ἐν Περγάμῳ* (Tac. ann. 4, 37 al.; *νεμηθέντι — ἐν πανηγύρει* Bergkius p. 7 n. 7). Decretum pertinere ad Asiam provinciam eo magis constat, quod in eo nominatur C. Marcius Censorinus (v. Waddington *Fastes des prov. As.* p. 689 et infra p. 174). Ceterum insigne decretum in Augusti honorem factum a Lesbiis, quod Mytilenis repertum edidit Conzius (*Reise auf der Insel Lesbos* tab. VII.; imperfectum legitur C. I. Gr. 2167 *d*), aedis quoque illius Pergamenae meminit sic: *ἀναθεῖναι δὲ δέλτο[ν . . . . . ἐν τῷ ναῷ τῷ κατασκ]ευαζομένῳ* (scilicet *quae aedificatur*; . . . ΕΥΑΣΟΜΕΝΩ traditur, emendavit Wilamowitzius) *α[ὐ]τῷ ὑπὸ τῆς Ἀσίας ἐν Περγάμῳ κα[ὶ ἐν] . . . . . ῳ καὶ Ἀκτίῳ καὶ Βρεντεσίῳ καὶ Ταῤῥά[κ]ωνι καὶ Μα[σσαλίᾳ? . . . . . καὶ Ἀ]ντιοχ[εί]ᾳ πρὸς τῇ Δάφνῃ.* Apparet Mytilenaeos decreti sui exempla proponi iussisse maxime in portibus, in quibus frequentissime versarentur.

vinciarum divisione adiunctos decrevisse, ut Augusteum fieret Apolloniae. Utraque aedes dedicata videtur esse Augusto vivo, quoniam quod Asiani et Bithyni post victoriam Actiacam fecerunt, Galatas et Pisidas mox imitatos esse consentaneum est. Praeterea titulus aedis Apolloniensis ita conceptus est, ut Tiberio nondum Augusto honorem habeat[1]); Ancyranae autem Augusti commentarium post factam eam incisum esse ex aedificii condicione architecti effecerunt (vide infra p. XIII). Itaque aedes illae non commentarii proponendi causa dedicatae sunt, sed magis constitutum est, ut ubi Augustea essent, ibi commentarius in ipsis proponeretur.

Interpretatio Graeca cum eadem sit in utroque exemplari, vel inde colligitur eam non redire ad decretum aliquod sive Ancyranorum ordinis sive Apolloniensium, et Romani hominis esse infra p. 197 ostendimus ubi data opera de ea exponitur. Itaque publico consilio aut Romae facta est et cum commentario Latino ad civitates Graecas missa aut legatus Galatiae utraque exemplaria cum civitatibus sibi subditis communicavit. Ad hanc originem ducit quod est Ancyrae in praescriptione Latina *exemplar ubiectum*, in Graeca *μεθηρμηνευμέναι ὑπεγράφησαν*; neutrum enim cum ad locum, in quo prostant, recte applicetur, subiciendi vocabulum proprie refertur ad instrumenta epistulis edictisve adiuncta. Sic est in epistula Pii Dig. 48, 6, 6: *exemplum libelli dati mihi . . . subici iussi*; apud Plinium paneg. 20: *edicto subiecisti, quid in utrumque restrum esset impensum*; in epistula praefectorum praetorio C. IX, 2438: *exemplum epistulae scriptae nobis . . . cum his quae iuncta erant subiecimus* et in altera liberti a rationibus ibidem: *exemplum epistulae scriptae mihi . . . subieci*; in epistula scripta ad imp. Severum C. VI, 1585*a*: *secundum litter[as] . . . . [quas huic libello] subieci*; in edictis strategi Thebaidis C. I. Gr. 4956: *τῆς πεμφθείσης μοι . . . ἐπιστολῆς σὺν τῷ ὑποτεταγμένῳ προστάγματι τὰ ἀντίγραφα ὑμεῖν ὑποτέταχα* et C. I. Gr. 4957: *τοῦ πεμφθέντος μοι διατάγματος . . . τὸ ἀντίγραφον ὑμεῖν ὑπέταξα*. Videntur igitur magistratus Ancyrani accepta legati epistula cum subiecto exemplari Latino

[1]) Aliter censet Waddingtonius; sed si imperante Tiberio aedes dedicata esset, Augusti nomen in eo non desideraretur. *Θεοὺς Σεβαστούς* idem recte intellexit significari Augustum et Liviam, et verum est iure hanc Augustam dictam esse post mortem demum mariti. Sed Graeca adulatio similia saepe commisit; et ut mittam nummos Magnesiorum ad Sipylum lectionis parum certae (Eckhel 6 p. 153; cf. Mionnet 5, 7, 376 n. 274, 275), in cusis Alabandae sine dubio vivo Augusto Mionnet 3, 307 n. 21 (cf. mus. Sanclement. II tab. 14, 23 p. 53) vere *Σεβαστοί* adscriptum videtur esse ad capita Augusti et Liviae. Livia utrum *Θεὰ Σεβαστή* dicta fuerit an *Θεὰ Ἰουλία*, dubium est; hoc praetuli, quamquam illud fortasse commendat quod in nummis Graecis non ita raro invenitur *Λιβία* sive *Ἰουλία Σεβαστή* (Magnesiae Ioniae Mionnet 3, 147 n. 635; Mileti ib. S. 6, 270 n. 1236; Termessi ib. S. 7, 140 n. 238; Aezanis ib. S. 7, 489 n. 38; Dorylaei ib. S. 7, 557 n. 326), ut nescias in utro vocabulo erraverint. — Caesar cognomen in Germanico et sine dubio etiam in Druso omissum est propterea quod hi duo cognominibus appellantur, cum in Tiberio quod vel Graeci praenomen esse sentiebant non sufficere videretur.

Graecoque inscriptionem utriusque parum apte ex epistula retinuisse ipsa epistula omissa.

Iam videamus, duo exempla quinam reppererint et descripserint et quibus subsidiis haec editio adornata sit. Subsidia autem intellego, quae ad tituli crisin faciant; nam qui commentarium ex editis libris repetiverint quique in eo interpretando illustrandoque versati sint, eos non recenseo. Laterculum huiusce generis scriptionum qui requirit, reperiet apud Io. Albertum Fabricium (imp. Caes. Augusti temporum notatio, genus et scriptorum fragmenta. Hamburgi 1727. 4. p. 212 seq.) et Aemilium Eggerum (*examen critique des historiens d'Auguste.* Parisiis 1844. 8. p. 412 sq.)

I. MONVMENTVM ANCYRANVM.

Aedes Augusti et Romae (vide supra p. x) Ancyrae adhuc superstes a Christianis in ecclesiam conversa (Guillaume p. 296 seq.), inde a saeculo XV pertinuit pertinetque hodie ad moscheam Hadschi Beiram, per aliquod tempus coemeterii loco a Turcis usurpata. Descripserunt eam Tournefort (*voyage du Levant* 3, 315 ed. Lugdun. 1717); Kinneir (*journey through Asia minor* Londini 1818 p. 70); Texier (*description de l'Asie mineure* Parisiis 1839 sq. 1 p. 172 sq.); Gul. Hamilton (*researches in Asia minor* Londini 1842 1, 420); ex quibus Tournefortius in tabella una et Texierius in tabulis sex (64 — 69) aedificii formam depinxerunt. Sed his longe plenius et accuratius Edmundus Guillaume in opere splendido, quod edendum curavit cum sociis operis Georgio Perrot et Iulio Delbet inscripto *exploration archéologique de la Galatie et de la Bithynie, d'une partie de la Mysie, de la Phrygie, de la Cappadoce et du Pont, exécutée en* 1861 (Parisiis 1872. 2 voll. fol.) in tabulis 13—24. 30. 31 aedificium et ut hodie cernitur et ut olim videtur fuisse, praeterea formam eius et partes quasdam notabiliores repraesentavit tabulasque p. 295—320 diligenter et perite enarravit. Nos aedificio describendo non immoramur, quoniam ea res provinciae nostrae fines egreditur neque pervenit ad inscriptionem recte tractandam. Sufficiet adnotavisse in parietibus aedis olim hexastyli, quae tota facta est ex marmore albo, legi indicem tam Latine quam Graece, et Latine quidem intus in pronao sex paginis bipertitum, ut tres paginae priores sint in pariete pronai ingredienti a laeva, e regione ad dextram tres posteriores, Graece autem extrinsecus in pariete cellae dextro paginis undeviginti iuxta positis. Litterae hic illic rubri coloris evidentia vestigia servarunt. Inscriptio utraque non eo tempore incisa est, quo aedes facta est, sed post intervallum et ut ad recipiendam eam quaedam in parietibus tollerentur vel mutarentur[1]).

---

[1]) Ait Guillaume p. 298: *Nous croyons que le temple était achevé, avant qu'on eût eu l'idée d'y placer aucune inscription; les deux pronaos, autant que nous pouvons en*

Similiter laterculus ludorum eidem aedi incisus, de quo supra diximus, cum in ludis secundis mentionem faciat Iuliae Augustae, quo nomine Livia post mortem demum mariti appellari coepta est, in anta scriptus sit necesse est sub Tiberio. Sub paginis Graecis decima et undecima duo versus cernuntur adscripti anno mundi ΦΛC, id est opinor 6535 sive Christi 1042 3, quos utpote alienos a commentario Augusti in hac eius editione non repetivi. Ex saxis, in quibus titulus incisus est, nullum periit, sed superficies multis locis damnum passa est, maxime in compagibus[1]); quae cava, facta superficie soluta et deci-

juger, étaient alors tout à fait semblables; quand on voulut graver le texte latin du Testament, on dut enlever six rangées de bossages pour obtenir la surface nécessaire. Cela est démontré, croyons-nous, par la comparaison des deux pronaos et surtout par l'examen de la paroi S. E. du pronaos principal où, à gauche de la deuxième partie de l'inscription latine, un bossage de la rangée supérieure est resté, probablement parcequ'il ne gênait en rien la disposition régulière de l'inscription (voyez pl. 17). On a dû également abattre les trois rangées inférieures des bossages de la face longitudinale extérieure S. E., pour y inscrire la traduction grecque (voy. pl. 23). Il est évident que si l'idée des inscriptions eût été contemporaine de l'édification du temple, nous trouverions ici pour les recevoir une disposition speciale, appropriée. Addo quae leguntur p. 301: *La perfection des joints est si grande, que les graveurs, en traçant les inscriptions, n'ont pas vu les joints, ce que prouve le manque de parallélisme de ceux-ci et de plusieurs lignes du texte. Moi-même, en dessinant ces inscriptions après deux mille ans et après tant d'épreuves subies par l'édifice, voulant me guider sur les joints, j'ai été obligé parfois, dans l'inscription grecque surtout, de suppléer au joint insaisissable par une ligne tracée à la pointe et rejoignant les parties visibles du même joint.*

[1]) De causis, propter quas titulus multis locis hiat, ita exponit Tournefortius 3, 315: *Les encoignures du vestibule sont alternativement d'une seule pièce à angle rentrant en manière d'équerre, dont les côtés ont trois ou quatre pieds de long. Ces pierres d'ailleurs sont attachées ensemble par des crampons de cuivre, comme il paraît par les trous où ils étaient enchassés. — — L'inscription, outre les lettres effacées, est pleine de grands trous semblables à ceux qu'auraient pu faire de boulets de canon; et ces trous que les paysans ont fait pour arracher les crampons, ont emporté la moitié des caractères.* Texier 1, 172: *Ces murs sont construits en gros quartiers de marbre, reliés par des crampons de bronze, comme on peut s'en assurer dans les parties brisées.* Hamilton (1, 420): *Tournefort and Chishull supposed that the holes which have injured the inscriptions were caused by the natives, in order to obtain the metal pins. This is not the case: in the first place no such pins have been used; and, secondly, the holes are not so deep as would have been necessary for the object. On the contrary, the decay appears to have been caused by the circumstance of no cement having been used in the construction of the building, a common practice in many of the most beautiful of the ancient edifices. In order to make the joints between the two courses perfectly close and smooth, which could not be done if the surfaces were in the least convex, or even perfectly level, if left rough, the ancients appear to have made them slightly concave: the consequence of this was, that the outer edges, and particularly the angles, became the only points of contact; thus the whole weight of the superincumbent mass was thrown upon a few points or lines only of the stone, instead of bearing equally upon the whole surface. The necessary effect of this practice, whether the weight was thrown on the edge, or upon a single point in any part of the surface, as must almost always be the case when the stones are not bedded in cement, must equally be to split or break the blocks. This has happened even in the Parthenon, notwithstanding the extraor-*

dente, tabulae nostrae demonstrant. Exempli Latini paginae parietis prioris cum titulum praescriptum habeant, octo versibus breviores sunt quam sunt parietis posterioris; praeterea paginarum tertiae et sextae ima pars vacua remansit. Versus habet in universum 286 (46+46+42 vel potius 43+54+54+43) praeter praescriptionem. Exempli Graeci paginae habent versus undevicesima semiplena undecim, quinta viginti duos, prima secunda tertia quarta sexta vicenos ternos, reliquae vicenos quaternos; praescriptio uno versu comprehensa per-

---

dinary, and at first sight unnecessary, degree to which the inner surfaces of the marble blocks are smoothed and polished. The bad effects of such a mode of building are but too evident in the Temple of Augustus where the angles of almost every stone have been crushed, and the cracks radiating in all directions have caused the outer surface of the marble to exfoliate; this appears to have been the sole, or at least the main, cause of the injury which the inscription received. Guillaume denique architectus de eadem re ita disserit p. 302: *chaque bloc est lié à ses voisins par un double système de crampons en fer. Le premier système consiste en agrafes à double crochet, scellées en plomb, reliant les blocs d'une même assise sur chaque lit, dans le sens longitudinal du mur, à* 0^{m} 15 *de chaque parement. Le second système, qui alterne avec le premier, se compose de plaques rectangulaires ou goujons, placés à la même distance du parement sous chaque joint vertical, incrust és dansdeux assises, et reliant à la fois trois blocs, dont ils empêchent surtout le déplacement transversal.* Pergit post alia p. 303: *Il est facile de voir, dans les planches qui représentent l'état actuel du temple, et dans celles qui donnent, sur une plus grande échelle, les inscriptions, que des trous nombreux sont situés le plus souvent devant les agrafes et les goujons en fer dont nous avons parlé plus haut. Nous n'admettrons pas ici, comme on l'a fait très-souvent pour d'autres édifices antiques, que ces trous ont été faits de main d'homme et pour retirer les crampons. Le bénéfice, nous semble-t-il, n'eût pas été grand, vu la dépensé des outils qu'il aurait fallu employer pour n'obtenir en somme que des crampons de fer et non de bronze. Nous croyons qu'ici spécialement les crampons eux-mêmes ont produit tout le dégât. Placés un peu près du parement extérieur, gagnés par l'humidité depuis la ruine du temple, certains d'entre eux se sont oxydés, ont ainsi augmenté de volume, et par suite, ont fait éclater le parement devant eux. C'est ainsi que la plupart de ces trous laissent voir l'entaille qui renfermait l'agrafe ou le goujon de fer. Ce qui est certain, c'est que je n'ai remarqué sur les faces de ces trous aucune trace d'outil; ils ne présentent que des surfaces éclatées; ajoutons que, depuis la copie de l'inscription latine qui a précédé la nôtre, un nouvel éclat s'est produit devant un crampon et sans le mettre à découvert.* Intellegit locum 5, 34—48. Idem Guillaume addit p. 318 enarrans tabulam tres priores paginas Latinas repraesentantem: *Nous voyons dans la deuxième colonne l'encastrement vide d'une des plaques on goujons qui réunissaient les blocs trois par trois et dont l'oxydation a dû produire, suivant nous, la plus grande partie des dégâts que le marbre a subis. Dans cette même colonne existe une de ces veines dures et colorées du marbre, aujourd'hui légèrement saillantes, que nous retrouverons aussi dans l'inscription grecque et que les graveurs franchissaient en coupant les mots, ne pouvant y graver les lettres.* Item enarrans ibidem tabulam repraesentantem paginas tres posteriores: *Nous y voyons aussi encore les encastrements, mis à jour, des goujons en fer qui reliaient les blocs et en ont fait éclater la surface. Nous assistons ici, pour ainsi dire, à la lente décomposition de ces précieux vestiges. Vers le milieu de la seconde colonne, où nos prédécesseurs ont pu lire des lignes entières, la surface du marbre s'est détachée il y a peu de temps, toujours au-devant d'un goujon, et laisse aujourd'hui une place blanche et vide.*

venit a prima pagina ad septimam decimam. Fiunt versus exempli Graeci omnes excepta inscriptione 436, ut in universum versus Latinus respondeat Graeco versui uni semis, pagina Graeca versibus Latinis sedecim. Elementa habent versus Latini plus minus sexagena, Graeci inter tricena et quadragena; exarata autem sunt parum aequabiliter modo late diducta modo pressa anguste, cuius inaequabilitatis exempla quaedam insigniora attulimus p. 49 ad 2, 37 et p. 100 ad 5, 8; plene eam repraesentant tabulae volumini adiectae.

A. PARS LATINA.

Exemplum Latinum cum a die, quo incisum est, ad hunc publice prostiterit loco evidentissimo, insignis monumenti notitia percrebuit ab ipso eo tempore, quo post restitutas litteras viri docti primum Ancyram pervenerunt. Qui fuerunt legati duo ab imperatore Germaniae Ferdinando II a. 1555 ad imperatorem Turcarum Solimanum Vindobona Amasiam missi Augerius Gislenius Busbequius Batavus et Antonius Wrantzius sive Verantius episcopus Agriae cum comitibus suis[1]). Exemplum horum iussu exceptum non plenum et multis locis corruptum cum minime satisfaceret, ab eo inde tempore homines docti expetere coeperunt, ut integrum et perfectum apographum pararetur, cumque Daniel Cossonius exemplum sibi comparasset non bonum, sed Busbequiano

[1]) Busbequius ipse (legationis Turcicae epistulae quattuor. Francofurti 1595. 8. p. 65): *Ancyram*, inquit, *venimus mansione a Constantinopoli XIX . . . . Hic pulcherrimam vidimus inscriptionem et tabularum illarum, quibus indicem rerum a se gestarum complexus est Augustus, exemplum. Id quatenus legi potuit, per nostros homines transcribendum curavimus. Extat incisum aedificii, quod olim fortasse praetorium fuerit, diruti et tecto carentis marmoreis parietibus, ita ut dimidia pars intrantibus ad dextram, dimidia ad sinistram occurrat. Suprema capita fere integra sunt, media lacunis laborare incipiunt, infima vero clavarum et securium ictibus ita lacerata, ut legi non possint, quod sane rei literariae non mediocre damnum est a doctis merito deplorandum, idque eo magis, quod urbem illam ab Asiae communitate Augusto dicatam fuisse constet.* Inter epistulas Pighii Hamburgenses, de quibus exposui in actis minoribus academiae Berolinensis a. 1866 p. 419 sq., in ea quae est n. 92 data Viennae d. 6. Aug. 1574 ad Carolum Rimium Caesareae Maiestatis oratorem apud Solimum Turcarum imperatorem Pighius de monumento Ancyrano sic scribens: 'cum . . . D. Augerius a Buysbecche mihi persuaserit Ancyrae in Galatia adhuc temporis extare et se vidisse magnas breviarii rerum gestarum D. Augusti reliquias antiquissimis marmoreis parietibus insculptas spemque fecerit eas descriptas haberi inde posse, quandoquidem Christiani mercatores ad illud celebre emporium saepius proficiscantur', Rimium rogat ut rem in se suscipiat; sumptus ab Augerio aestimatos xx aut xxx ducatorum se lubenter toleraturum. Addit Ioannem Sambucum de eadem re scripturum esse ad Ungenadium Rimii successorem futurum. Respondet Rimius (n. 254) Constantinopoli 1. Nov. 1574 se, si antea id ad se allatum esset, libenter pictorem suum Ancyram missurum fuisse, iam in tanta temporis angustia propter discessum duobus mercatoribus amicis rem mandavisse itemque successori suo baroni Ungenadio. — Praeterea videatur de itinere Busbequiano a. 1555 C. I. L. III p. 4 quaeque exposuit Kiepert in actis menstruis acad. Berol. 1863 p. 307 sq.

praeferendum. Paullus Lucas iussu Ludovici XIV tum Galliae regis ob id ipsum missus Ancyram non perite, sed cum fide et diligentia summaque propositi constantia primus monumentum totum descripsit. At Lucas quamquam multa addidit emendavitque, tamen exemplum et ipsum nec plenum fuit neque erroribus immune, nec sine causa mirabuntur posteri omnium nationum viros doctos per annos plus trecentos frustra laboravisse, ut paucae paginae Latinae in Asia minore publice prostantes recte describerentur. Anno demum 1861 quod tot regum generationes aut ignorantia sua aut incuria facere neglexerant, in se suscepit Napoleo III Gallorum imperator perficique iussit bene coepta olim auspiciis Ludovici XIV. Ita iussu illius, cura autem et diligentia Georgii Perrot et Edmundi Guillaume bonis litteris trium saeculorum debitum tandem aliquando exsolutum est habuimusque praeter Graecum expletum, de quo infra dicetur, partis Latinae apographum integrum et probum.

Sed exemplum manu descriptum licet diligentissime in hoc titulo sufficere non poterat et Latinorum omnium primario et difficillimo ad legendum et supplendum. Quam ob rem cum egregius litterarum nostrarum adiutor et propagator Carolus Humann Smyrnae degens Berolinum advenisset, splendido successu expeditionis nostrae Pergamenae incitatus cum eo agere coepi, ut quale officium artis antiquae studiosis praestitisset, tali etiam eos adiuvaret, qui res Romanas explorant explorabuntque, et expeditionem alteram susciperet ad ectypum gypsaceum totius monumenti Ancyrani conficiendum et Berolinum transmittendum. Motus is summa rei utilitate, aliquatenus item opinor ipsa difficultate se paratum esse respondit; quo facto et academia nostra memor debiti antiqui Mordtmanniana missione, de qua infra dicetur, contracti magis quam persoluti, et qui museo nostro praesunt non ignari quam utile futurum esset Augusti commentarium sic fere ut in Asiae penetralibus cernitur palam in hac nostra litterarum sede omnium oculis in perpetuum proponi, petenti mihi benigne concesserunt quae ad rem perficiendam requirebantur. Humannus autem qua est sollertia primum rationem excogitavit laminarum gypsacearum solito tenuiorum et leviorum ita conficiendarum, ut cistellis ligneis inclusae per iumenta tuto perferantur; deinde Ancyram profectus per dies Iul. 1—24 a. 1882 negotium sibi mandatum strenue sollicite feliciter peregit[1]). Ita centum nonaginta quattuor laminae gypsaceae Ancyra Brussam terrestri itinere transmissae die Sept. 15 anni eiusdem in museum Berolinense pervenerunt, ubi iam ipsae sub clavi custodiuntur. Tabularum ex matricibus iis sumptarum quaedam publice in museo expositae sunt: universum monumentum similiter reconcinnatum tum proponetur, cum spatia musei ampliata expositioni ei sufficient.

His ectypis adlatis quamquam exempla ante sumpta in universum inutilia facta sunt, nihilominus non omnino iis carere possumus propter locos duos 5, 31—48 et 6, 1—6, quos qui olim descripserunt minus imperfectos viderunt

[1]) Itinerarii Humanni partem huc pertinentem ipsam infra reperies p. XXVIII.

quam cernuntur hodie, lapide interim imminuto superficie dissiliente. Iam recensebimus singula exempla, quorum quidem copia nobis fuit.

I. BVSBEQVIANVM EXEMPLVM.

Busbequianum exemplum ita exceptum esse, ut ex Busbequii comitibus alii aliam paginam describerent, efficitur ex adnotatione Belsi (v. mox) ad paginam tertiam: *nota D. Durnschuame, hanc 3. lineam* (*paginam* intellege) *me ipsum laboriose descripsisse, cum alii aliis distributim ageremus officium.* Unde non mirum est diversos descriptores rem perfecisse successu admodum diverso: nam pagina tertia exhibetur integra, quarta integra propemodum (v. 1—30. 38. 40—54), ut de hac adeo adscribat Belsus: *nota hac serie nec verbum, nedum versum desiderari*, reliquarum partes exiguae tantum et fere disiectae (1, 1—4. 2, 1—14. 5, 1—3. 6, 1. 9. 13). Apographi ita coniuncta opera Busbequianorum effecti innotuerunt exempla scripta editave haec:

1) Belsi in sylloge ad Dornschwammum missa (cod. Guelf. Aug. fol. 77, 1), de qua diximus in C. I. L. III p. 4, f. 353—357 ubi praescribitur: *Ancire in Galatia maximum palatium fuit Augusti, ubi in introitu ex utraque parte res geste Augusti incise fuerunt, quae non omnia legi prohibebamur ob concursum barbarorum.* Exemplum foede corrupit librarius imperitus.

2) Codex Vindob. bibl. Caes. n. 8219 (hist. prof. n. 330; Chmel 2, 31) exempla tria continet primum quadratis litteris scriptum plenum, alterum item quadratis, quod non procedit ultra *quadragiens* 2, 4, tertium minusculis litteris scriptum finiens in *circiter* 4, 42. Praescribitur '*Ancyrae in suburbio*'.

3) cod. Vatic. 6217 f. 280. 293—295. Vidi tantum, non descripsi.

4) Andreae Schotti, qui acceptum a Busbequio primus edidit cum Aurelio Victore (Antverpiae 1579) schol. p. 69 sq.

5) Lipsii in auctario (1588) p. 19—22, cui misit primum ipse Busbequius (v. Lipsii epistula ad Clusium postrid. id. Ian. a. 1588 edita in opp. epp. cent. 2 n. 21), deinde Carolus Clusius una cum epistula scripta Viennae Austriae XI k. Apr. 1587 (edita in syllogae Burmannianae vol. 1 p. 311; cui respondit Lipsius epistula modo citata). Clusius adscripsit Busbequium Vindobonae morantem a se rogatum omnes schedarum fasciculos evolvisse, ut Ancyranarum tabularum exemplum reperiret, nec tamen invenisse mutuo datum amico cuidam neque ab eo redditum. Secutum se esse exemplum exhibitum sibi a. 1576 a Fausto Verantio Antonii Verantii, qui cum Busbequio iter illud susceperat, nepote, vidisse praeterea alterum apud Sambucum[1]), item tertium nobilium quo-

[1]) In epistularum Pighii Hamburgensium (v. p. XVI adn. 1) n. 252 Sambucus d. 30. Aug. 1574 Pighio scribit Ancyranum se habituros intra quattuor dies.

rundam Germanorum qui adiissent Ancyram a. 1586 exemplumque tituli obtulissent Leunclavio minus integrum Verantiano: 'corrumpuntur enim (ita Clusius) quotidie tabularum characteres Turcarum militum insolentia, praesertim cum Christianos eas inscriptiones excipere conspiciunt, quod binis illis nobilibus Germanis accidit.' Hae nugae sunt; nam ex iis quae de exemplo Germanorum illorum Clusius affert, intellegitur eos non lapidem descripsisse, sed exemplum Busbequianum obtulisse Leunclavio. Gruterus 230—233 in ed. 1 expressit Lipsium.

6) Leunclavii in pandectis hist. Turc. (Francofurti 1588) p. 205 sq. Is exemplum acceptum refert Carolo Clusio et per hunc Antonio Verantio.

7) Cod. Leidensis Burmannianus Q 6 idem exemplum exhibet 'ab Ant. Augustino v. c. nonnihil instauratum'. Specimen apposui ex pagina prima: *r[em] q.* [*publ.*] *M.* [*Antonii factioni*[*bus*] *oppressam in libertatem vindicari.* [*petere*] *decretis honorificis ordinem* [*summum permisi*].

Exempla Busbequiana versuum ordinem non retinent (nisi quod Belsum in pagina tertia versus distinxisse lineis rectis et subnotatio docet et quas ex lineis illis relinquere placuit librario) videnturque descendere ab archetypo minusculis scripto; certe Belsus '*nota*', inquit, '*omnia haec utrimque mauiusculis fuisse exarata litteris et ubique punctulis intersertis post verba.* o *vero ubique parva,* t *autem ubique magna fuere.*' Ex simili nota procedit quod in exemplo Clusiano littera o semper est forma minuta, i perpetuo lineam excedit, denique litterae capitum primae quaeque supra versum eminent. Eorum exemplorum cum hodie utilitas vix ulla sit, discedant autem magnopere a melioribus postea factis, placuit unum ex iis, quod reliquis paullo praestat (ita 3, 29. 30 solum cum Belsiano servat vocabula MESSALLA CONSVLIBVS), scilicet codicis Vindobonensis primum (nobis *V*), hoc loco integrum exhibere nostra causa ad librum scriptum recognitum cura Schneideri ab actis musei Vindobonensis, adiecta varia lectione potiore exempli eiusdem codicis tertii (nobis *v*), quod cum multis locis peccet, tamen hic illic et ipsum solum verum servavit. Redegimus id ad antiquam versuum formam, ut facilius compararetur. In variam lectionem infra propositam inde non intuli nisi selecta quaedam.

rerum gestarum diui augusti quibus orbem terrarum imperio populi romani subiecit et impensarum quas in rem publicam populumque romanum fecit incisarum in duabus ahaeneis pilis quae sunt romae[1]) positae exemplar subiectum

1, 1 annos undeuiginti natus exercitum priuato consilio et priuata impensa comparaui terque m. . . . . factionis oppressam in libertatem uindicaui . . . . . decretis honorificis[2]) ordinem suum . . . . . .

2, 1 patriciorum numerum auxi consul quintum iussu populi et senatus sena tum ter legi et in consulatu sexto censum populi collega[3]) m agrippa egi lustrum post annum alterum et quadragesimum[4]) feci[5]) quo lustro ciui um romanorum censita sunt capita quadragiens centum millia et sexa ginta tria . . . . . cum nuper lustrum solus feci[6]) censorum . . . . . sinio[7]) cos quo lustro censa sunt ciuium romanorum . . . . . quadragens centum millia et ducen ta triginta tria . . . . . in consulatu fi . . . . cum nuperime lustrum cum lega tiberio . . . . . sext. pompeio et sext. apuleio cos quo lustro . . . . . rom capitum quadragens centum mil . . . . . iginta et septem mil legip no . . . . . exempla maiorum exolescentia iam ex nos . . . . . multarum rerum exempla imi tanda . . . . . .

3, 1 honoris mei causa[8]) senatus populusque romanus annum quintum et deci mum agentis consulis designauit[9]) ut cum magistratum inirent post quin quennium[10]) ex eo die duo deducti[11]) in eorumue interessent consiliis publicis decreuit senatus equites autem romani uniuersi principem . . . . . hastis argenteis donatum ap pellauerunt

libri romani uiritim . . . . . cenos numeraui ex testamento patris mei et nomini[12]) meo . . . . . dringenos ex bellorum manubiis consul quintum dedi iterum autem in consulatu decimo ex patrimonio meo bis quadringenos congiari uiritim iterum aere merui[13]) et consul undecumum[14]) duodecim frumentationes frumento priuatim columpio emensus[15]) sum et tribunicia potestate duodecimum quadringenos

[1]) romaeae *V* [2]) in *ins. v* [3]) conlega *v* [4]) quadragensimum *v* [5]) *ins. intra parentheses* legi *V* [6]) *ins. intra parentheses* legi *V* [7]) co *ante* sinio *expunctum V* [8]) caussa *v* [9]) disignavit *v* [10]) et *ins. v* [11]) . . . *ins. v* [12]) nomine *v* [13]) aerum erui *v* [14]) undecimum *v* [15]) coempto dimensus *v*

nummos tertium uiritim dedi quali mea congiaria frumenti
. . . . . num nunquam minus quinquaginta et ducenta
3. 15 . . . . . sia duodeuigintesimum consul trecentis et
uiginti millibus plebis urbanae sexagenos denarios uiritim dedi
et quinis militum meorum consul quintum ex manibiis uiritim
millia nummum singula dedi acceperunt id triumphale congiarium
in colonias hominum circiter centum et uiginti millia consul ter
20 tium decimum sexagenos denarios plebi quae tum frumentum publicum
acce . . . . . dedi ea millia hominum paullo[16]) plura quam ducenta fuerunt
. . . . . agris quos in consulatu meo quarto et postea consulibus
marco[17]) et cn. lentulo augure adsignaui militibus solui municipiis pa
. . . . . ertium circiter sexgensīm itineris emit quam romanis
25 prae . . . . . numeraui et . . . . . quod pro agris
prouincialibus solui . . . . . unus et solus omnium qui deduxerunt
colonias militum in prouintis[18]) ad memoriam aetatis
meae feci postea nerone et cn. pisone consulibus itemque . . gantissimo
et d. lelio consulibus . . . . . messalla
30 consulibus et l. caninio et q. fabricio consulibus . . . . . quos eme
ritis stipendiis in sua municipia . . . . . praem . . . . . .
persolui quam . . . . . in sest . . . . . mili . . . . . .
impendi
quater . . . . aui aerarium ita ut sestertium millia . . . . . .
35 quingenta dedi[19]) . . . . . raui aerario detuli . . . . . .
. . . . . quod ex consilio . . . . . .
. . . . . militibus quin . . . . . .
. . . . . meruissent ⁂ mil . . . . . .
. . . . . o detuli
40 . . . . . cn. p. lentulo . . . ules fuerunt cum d . . cerent
. . . . . centum millibus hominum . . . . . o fru

desiderantur quinque lineae

1. 1 curiam et contines[20]) et calchidicum templumque apollinis in
palatio cum porticibus aedem diui iulii lupercal porticum ad cir
cum flaminium quem sum appellari passus ex nomine eius qui pri
orem eodem in solo fecerat octauiani puluinar ad circum maximum
5 aedes in capitolio iouis feretrii[21]) et iouis tonantis aedem quirinis[22])
aedes mundo[23]) et iunonis . . . . . et iouis libertatis in auentino
aedem larum in summa sacra uia aedem deum penatium in uelia
aedem iuuentatis aedem matris magdelae in palatio feci
sertorium[24]) et pompeium theatrum utrumque opus impensa grandi refeci

[16]) paulo *v* [17]) c. *ins. v* [18]) prouinciis *v* [19]) DED *V*, deo *v* [20]) continens *v*
[21]) feretri *v* [22]) quirini *v* [23]) mundine *v* [24]) certorum *v*

sine ulla inscriptione nominis mei riuos aquarum compluribus locis uetustate labentes refeci et aquam quae maria appellatur duplicaui fonte nouo in riuum eius immisso forum iulium et basilicam quae fuit inter aedem castoris et aedem saturni caepta profligata que opera a patre meo perfeci et eandem basilicam consumatam in . . . ampliato eius solo sub titulo . . . . nominis filiorum . . , ... uiuus non perfecissem perfeci[25]) ab haeredibus[26]) . . . . uirgine exemplum[27]) deum in urbe consu . . . . feci fluuio praetermisso quod temp . . . . et . . . . ultoris templum quorumque augustum et templum apollinis in solo magnam partem . . . . empto feci quod suo nomine m. marcelli ueneri . . . . manibus in capitolio et in aede diui iulii et in aede apollinis et in ae de ueste et in templo martis uictoris consecraui quae mihi consti terunt[28]) circiter millenis auri coronari[29]) pondo triginta quin que millium municipiis et coloniis[30]) italiae conferentibus ac triumphos meos quintum consul remisi et postea quotienscunque imperator m . . . . auri coronarium non accepi decernentibus municipiis . . . . quae ante[31]) decreueram . . . . tempus defuncta rum africanarum[32]) meo nomine aut filiorum meorum et nepotum in cir co . . . . aut in foro[33]) aut in amphitheatris popul . . . . . . quibus confecta sunt bestiarum circiter trium millium et quingenta naualis praelii spectaculum popul . . . . liberum in quo loco nunc nemus est caesarum cauato . . . . longitudine mille et octingentos pedes in latitudine pedes ducenti in quo tri ginta rostrate naues triremesque plurimae . . . . rumores inter se conflixerunt . . . . runt praeter remiges millia . . . . circiter . . . . in templis omnium ciuitatium p . . . . et asiae uictor orna menta reposui quae spoliatis templis . . . . priuatim possederat statuae . . . . quadragenis argenteis steterunt in urbe ac circiter quas ipse sustuli ex qua de pecunia dona aurea in aedem apollinis meo nomi ne et filiorum quae mihi statuerunt honorem habuerunt posui

---

25) perfici *v* 26) heredibus *v* 27) templa *v* 28) HS *ins. v* 29) coronarii *manu secunda V* 30) colonis *v* 31) antea *v* 32) africanarum *v* 33) in circo auenioro aut in foro *v*

5, 1 mare pacaui a praedonibus . . . . . domibus . . .
suis . . . . . contra rem . . . . . .
domini . . . . . .
. . . . . .
6. 1 regis parthorum . . . . . .
9 a me gentes . . . . thorum et medorum . . . . . .
13 in consulatu . . . . . .
. . . . . .

II. COSSONIANVM EXEMPLVM.

Daniel Cosson mercator natione Batavus Leida oriundus, per multos annos Smyrnae degens ibique a. 1689 interfectus a piratis, tituli Ancyrani comparavit sibi exemplum, quod a quo exceptum sit, ignoratur: ipse enim non adiit Ancyram (v. Gronovius libro mox citando p. 35). Id inter schedia eius post obitum repertum edidit Iacobus Gronovius in *memoria Cossoniana* sive *Danielis Cossonii vita* (Lugduni Bat. 1695. 4. pp. 159) p. 57—68. Alterum apographum repperi Hagae inter schedas Cuperi, hoc maxime praestans Gronoviano, quod ibi separantur versus a Gronovio continuati. In varia lectione alterius utrius exempli naevos singulares et ex altero exemplo emendandos plerumque omisi. Exemplum Cossonianum quamquam minime bonum tamen praestat Busbequiano: nam et quae in hoc extant, in Cossoniano habentur ad lapidem emendata, et adiciuntur partes hae 1, 5—27. 4, 30—33. 5, 29—47. Repetita sunt additamenta Cossoniana in corporis Gruteriani editione secunda.

III. TOVRNEFORTIANVM EXEMPLVM.

Lat. 16 spatium quod intercedit inter *Roma* et *sacramento* decem elementorum capax obstat supplemento *Roma*[*norum in*] *sacramento*, nec puto Latine recte dici *in sacramento esse; adactorum* ne scribamus, spatium vetat. In Graecis 2, 1 quod cernitur ΣΤΡΑΤ//¬//AI, ut ante AI duae litterae deficiant caeque angustae, ad supplementum duxit supra propositum. — Numeri militum qui in Augusti verba iurarint (quibus non comprehendendos esse, qui post victorias Philippensem Siculam Actiacam Caesari se tradiderunt, moneo contra Zumptium) in exemplo Latino non superest nisi extrema pars . . . . . | TA, nec numerus litterarum quae desunt sex septemve certo definiri potest, cum in extremis versibus paullum variet. Sed Graeca versio iam rem decidit, nam ibi est fuitve *ἐνγὺς π*[*εντήκ*]*ο*[*νι*]*α*, neque alium numerum ullum vestigiorum hiatuumque ratio admittit. Verum igitur Gronovius adsecutus est quamquam divinando magis quam ratiocinando, et quod in editione priore dixi eum numerum aliqua probabilitate commendari, in eo me non erravisse iam lapis confirmat. Nimirum trecenta milia militum ab Augusto honestam missionem acceperunt, quorum ad a. 725 milia CXX in colonias deductos esse colligitur ex loco 3, 19[1]), reliqua milia circiter CLXXX per annos qui sequebantur quadraginta duos miserit necesse est. Fuerunt autem Augusto moriente sub signis civium Romanorum circiter centum quinquaginta milia, cum Tiberius a. p. Chr. 23 haberet legiones viginti quinque (Tac. ann. 4, 5) totidemque videatur reliquisse Augustus (vide infra ad 3, 35), quibus addendi sunt milites praetoriani et urbaniciani. Ita qui in bello ceciderunt vel certe in militia diem obierunt cum missis ignominiae causa fiunt milia circiter quinquaginta non improbabiliter. Bergkium, qui haec improbans *sescenta* commendavit et *ἐνγύς που ἑξήκοντα*, iam missum faciemus. —

[1]) Contendit quidem Bergkius p. 85 hic intellegi non tantum veteranos, sed etiam alios cives coloniis militaribus adscriptos, et verum est inter colonos ab Augusto deductos certe in provinciis etiam fuisse cives agris Italicis militum causa confiscatis privatos (v. ad 5, 35); quamquam hos probabile est ad universum numerum colonorum ab Augusto deductorum relatos tam paucos fuisse, ut vix in censum venirent. Sed quod maximum est, cum agatur illo loco de triumphali congiario in coloniis diviso, extra dubium est id veteranis Augusti solis concessum esse, nequaquam autem civibus siqui erant cum iis deductis non propter honestam missionem, non magis quam veteranis Antonianis.

v. 17 *stipen[dis emerĭ]tis* scripsi collato loco 3, 30 pro supplemento male facto priorum *stipen[diis solu]tis*. — v. 18 *aliquantum plura* potius fuit quam *aliquanto plus* propter hiatus ambitum, cf. 3, 21: *millia paulo plura quam ducenta*. — In iis quae sequuntur Graeca non iuvant tota fere pessumdata sprevimusque commenta de his Bergkii abhorrentia etiam a vera lectione paucarum quarum umbrae cernuntur litterarum. Idem Latinorum supplementa commendavit haec *agros a[dsignavi] aut pecuniam pro p[raemis milit]iae dedi*, non recte. Nam primum in lapide v. 19 post hiatum cum cernatur sic fere ı/ΛΛΕ, id est litterae ı vestigium et spatium angustum vacuum, pro quibus tamen etiam A videtur posse fuisse, deinde M potius quam IA, denique E certa, magis ad AME quam ad ITIAE sese accommodant. Deinde spatium quod vacat inter PROP et ΛΛΕ novem vel ad summum decem elementorum supplementum quod est PRAEMIS MILIT non capit. Porro inanius additamentum quam pecuniam ita post stipendia emerita numeratam dari pro praemiis militiae vix opinor poterit excogitari. Denique quod Bergkius scribit Augustum non privatis opibus agros emisse aut pecuniam sua impensa militibus qui stipendia emeruissent persolvisse, hoc enim esse *a se dare*, velut apud Suetonium Aug. 40 legatur: *tribulibus suis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula milia nummum a se dividebat*, sententiam supplementi mei recte adsecutus est (ipse laudaveram locum Trinummi Plautinae 182 *a me argentum dedi*, composuitque alia complura exempla locutionum *dare ab illo, solvere ab illo, legare ab illo* Handius in Tursellino 1 p. 16), hoc ignoravit, quod qui in haec studia inquirit ignorare non debuit, quidquid ex fisco penditur licet ex publica causa, vere ex patrimonio principis proficisci. Ea de re data opera exposui in iure publico Romano vol. 2 p. 957 seq., et hodie ni fallor ne philologis quidem ignota est, iis scilicet exceptis, qui a iurisconsultis discere aut nequeunt aut nolunt. Neque quicquam magis perversum Bergkius posuit quam quae p. 85 seq. leguntur de impensis ab Augusto factis aliis ex fisco, aliis ex patrimonio, et verba nobis dat, ubi Augustus ait 3, 34 sua pecunia iuvisse se aerarium, fiscum significari statuens, ubi idem scribit vel certe scripsisse putabatur 3, 41 se ex suis opibus frumentum coemisse, significari patrimonium et id genus alia, quae referre supersedeo. — Hic quid fuerit, index ipse luculenter ostendit capite XVI (3, 22—33), ubi eaedem numerationes redeunt similiter bipertitae: scilicet agit ibi Augustus primum de pecunia soluta sua liberalitate pro agris, quos militibus in colonias deductis adsignarit, qui sunt huius loci agri ab ipso empti: deinde de praemiis numeratis militibus in municipia sua remissis, quae est huius loci pecunia a Caesare data. Unde item intellegitur verba *deduxi in colonias* proprie pertinere ad agros datos, quae sequuntur *remisi in municipia sua* proprie ad pecuniam datam. Haec igitur cum accurate et plene conveniant, simul inde intellegitur ne ab hoc quidem capite abesse posse id in quo tota res vertitur praemia haec militibus imperatorem de suo numeravisse, itaque non hoc de

se praedicare, quod praedicat Augustus enervatus Bergkii, agros se adsignavisse, id quod fecerant multi, sed agros adsignavisse a se emptos, id quod ipse fecit primus; similiter non praemia se solvisse militibus, quae communis erat laus imperatorum omnium, sed solvisse de patrimonio privato. Praeterea supplementum quod est *pro praediis* eo nomine aptum est, quod Dio 54, 25 ad a. 741 sic scribit: *διέταξε τά τε ἔτη ὅσα οἱ πολῖται στρατεύσοιντο καὶ τὰ χρήματα ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας ἀντὶ τῆς χώρας ἣν ἀεί ποτε ἤτουν λήψοιντο* (cf. Suetonius Aug. 49: *quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum praemiorumque formulam adstrinxit*): nam cum inde appareat post agrorum adsignationem veteranis factam a. 740 Augustum statuisse, ut in futurum pro agris pecunia veteranis daretur, recte id ipsum hoc loco significari potuit. Itaque ut minime contendo ipsa principis verba sic recuperata esse, et ne vestigia quidem scripturae ita expedire potuimus, ut plane nobis satisfaceremus, sententiam recte me adsecutum esse puto neque antiqua supplementa mutavi, quamquam hiatum ante *me* novem litterarum capacem octo solis explevi.

LAT. 1, 19 20 Naves cépi sescen[*tas praeter*] | eás, si quae minóre[*s quam trir*]emes fuerunt. § |

GR. 2, 7 8 *vestigia dubia non attigi.*

Supplementa retinui talia fere, qualia dederam in editione priore dederantque ante me alii; Bergkius quod proposuit: *sescentas fere: eas, si quae minores quam biremes fuerunt, adlevavi* et ad sententiam ineptum est (nam debuit imperator naves captas numerans aliquo modo lyntres excludere, sicut Dio 51, 1 scribit eum triremes maioresque naves ad Actium captas Apollini dedicavisse, nullo modo autem ad hanc victoriarum memoriam adiungere narrationem de navibus captivis nescio quo modo amplificatis) et eo nititur, quod commatis notam spatiumque vacuum a Perroto recte significata Bergkius temere addubitavit.

Sex. Pompeius naves amisit ad Mylas xxx (Appian. 5, 108), ad Naulochum cum trecentis pugnavisset (Appian. l. c. c. 118), septendecim exceptis omnes, ex quibus xxviii mersae sunt, reliquae aut crematae aut captae; M. Antonii ad Actium captas esse naves ccc auctor est ipse Augustus (apud Plutarch. Anton. 68). Praeter quae proelia cum pugnas navales magni momenti Augustus commiserit nullas, ratio convenit, siquidem scribit in universum cepisse se naves triremes vel triremibus maiores sescentas[1]).

[1]) Fragmentum inventum Athenis C. I. L. III, 6101, quod dubitans ad Agrippam revocavi, adscribere visum est, quamquam vix inde proficimus: [*quod .... nave*]*s hostium depresse*[*rit vel* | *ceperit*] ... CXIIX, *bello maritu*[*mo*] ..... | ... [*ult*]*uma ad imperium a*[*diecerit*] .. | .... *secundum pont*[*em*] .... | .... [*qu*]*ei est ad flum*[*en*] .... | .... *marit* ....

CAPVT IV

LAT. 1, 21 [*Bis*] ovâns triumpha[*vi, tris egi* c]urulís triumphós.
GR. 2, 9 *Δὶς ἐ[πὶ κέλητος ἐθριάμβευσα], τρὶς* [*ἐ*]*φ' ἅρματος.*

Suetonius Aug. 22: *bis ovans ingressus est urbem post Philippense et rursus post Siculum bellum.* Prior ovatio habita est a. u. c. 714, *quod pacem cum M. Antonio fecit* (act. triumph. Capit.; Dio 48, 31); altera *ex Sicilia* id. Nov. a. 718 (act. cit.; Dio 49, 15; Eusebius loco non suo ad a. Abr. 1986 sive urbis 724: *Αὔγουστος πεζὸν ἐθριάμβευσε θρίαμβον*). De tertia ovatione, quam male ei tribuit Dio, vide infra ad 1, 23; falsam eam esse cum alia ostendunt tum quod superest ex indicis Graeca interpretatione. In ea praeterea nota curulem triumphum verti *ἐφ' ἅρματος* (cf. Sueton. Tib. 9: *et ovans et curru urbem ingressus est*).

Augusti cum is qui conscripsit tabulas Barberinianas (C. I. L. I p. 478) non memoret nisi duos triumphos Delmaticum d. Aug. 13 et Aegyptiacum d. Aug. 15, Henzenus statuit Augusto placuisse, ut apud Actium non tam Antoniani victi esse viderentur quam Cleopatra regina Aegypti, et propterea triumphum Actiacum ita coniunxisse cum Aegyptiaco, ut pro uno haberentur. Quae interpretatio licet per se probabilis sit mihique olim probata et eo quoque adiuvetur, quod post Actiacam victoriam neque tamen capta Alexandrea Caesar imperator appellari voluit (v. ad 1, 22), re denuo considerata non satis facit. Nam primum senatus decrevisse traditur post triumphum ob Actiacam victoriam decretum tempore interiecto alterum de Aegyptiis (Dio 51, 19). Deinde in tabulis Barberinianis erat scribendum *imp. Caesar ex A[egy]pto* XIX. XIIX *k. Sept.*, non XIIX. *k. Sept., triumpavit.* Etiam magis obstant fasti Antiatini, cum ad XIX k. Sept. adscribunt: *August. triump.*, nam triumphi per biduum acti praecipuus dies non prior est, sed posterior. Obstant denique auctores omnes Augusti triumphos numerantes non duos, sed tres, scilicet ipsum senatus consultum a. 746 (apud Macrob. sat. 1, 12, 35): *cum imp. Caesar Augustus mense Sextili triumphos tres in urbem intulerit*; praeterea Vergilius Aen. 8, 714: *Caesar triplici invectus Romana triumpho moenia*; Livius ep. 133: *tres triumphos egit, unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra*; Suetonius l. c.: *curules triumphos tris egit Delmaticum Actiacum Alexandrinum, continuo triduo omnes*; Dio 51, 21; Orosius 6, 20, 1; Servius ad Vergilium l. c.; Albinus poeta aetatis incertae apud Priscianum 7, 22. Iam id ipsum confirmat ipse Augustus, postquam vocabuli *τρίς* ductus licet oblitterati fere in marmore apparuerunt. Itaque tabulae Barberinianae neglegentissimus scriptor hoc loco ex tribus capitibus continuis incipientibus a verbis *imp. Caesar* medium omisit.

LAT. 1, 21 22 et appellá[*tus sum viciens* | *se*]mel imperátor.

GR. 2, 9 10 *Εἰκο*|*σά*[*κις καὶ ἅπαξ προσηγορεύθην αὐτο*]*κράτωρ.*

Ad Augusti imperatorias acclamationes determinandas placuit subicere indicem testimoniorum cum apud auctores tum in titulis nummisve adhuc repertorum, quatenus mihi innotuerunt, adiectis item testimoniis similibus pertinentibus ad Tiberium cum Augustis arte coniunctis. Sunt haec pro numero monumentorum quae supersunt in honorem Augusti dedicatorum admodum pauca; nam in eius honoribus enumerandis acclamationes imperatoriae omittuntur saepius quam ponuntur, neque extat quod sciam titulus Graecus eas commemorans. Praeterea testimoniorum quae supersunt complura et in his non pauca optimae auctoritatis speciem prae se ferentia mendosa sunt et ex parte perversa. Vide igitur annon de acclamationibus illis saepe imperatori oblatis neque receptis ea tempestate publica auctoritate parum constiterit et ita factum sit, ut frequentissime in eis erraretur.

a. u. c. 711 Apr. 15 IMP.

Caesar imperium adeptus a. 711 Ian. 7 post proelia Mutinensia imperator appellatus est die ut videtur Apr. 15. Cf. feriale Cumanum C. I. L. X, 8375 et Dio 46, 38 quaeque ego exposui in Hermae vol. 17 p. 635. *Caesar imp.* reperitur fere in nummis Caesari filio et M. Antonio Lepidove communibus (Cohen p. 34 n. 1. 2; p. 48 n. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 9) addito saepe triumviratu rei publicae constituendae sacerdotiisque, cum in nummis suo unius nomine signatis ab imperatoris titulo abstineat. Ex his nummis quidam, ut percussus iussu M. Barbatii proquaestoris, ad a. 713 pertinent; verisimile igitur est ad eum usque annum Caesarem imperatoriam acclamationem non iterasse, neque tamen certum, nam iteratio hac aetate saepe omittebatur. Idem pertinet ad titulum Saticulensem C. I. L. IX, 2142 dedicatum *C. Iulio C. f. Caesari imp. triumviro r. p. c.*

. . . . . IMP. II.

Testimonia desunt. Aut hanc aut tertiam acclamationem imperatoriam recte cum Borghesio (opp. 2, 43) referemus ad ovationem propter pacem, quam cum M. Antonio fecit, Caesari decretam a. 714 (v. ad 1, 21).

ante a. u. c. 717 IMP. III.

Huius acclamationis testem habemus nummum inscriptum *imp. divi Iuli f. ter.* III *vir r. p. c.*) (*M. Agrippa cos. desig.* (Cohen Vipsan. 3), ubi *imp*(*erator*) *ter*(*tium*) iungendum esse docui apud Borghesium opp. 2, 252 et *Staatsrecht* 2^2 p. 687. 758. Agrippa quando consul designatus sit, nescimus; iniit consulatum die 1. Ian. 717. — Causam acclamationis tertiae Borghesius l. c. repetivit ex ovatione Sicula a. 718; at cum obstet nummus modo memoratus, alia victoria subest, ut reportata a M. Agrippa a. 716 de Aquitanis et Germanis.

a. u. c. 718 Imp. iv.

Eius acclamationis nulla memoria superest. Recte referetur ad victoriam Siculam ovationemque ex ea a. 718.

a. 720 vel 721 Imp. v.

Extat titulus Tergestinus C. I. L. V, 526: [*i*]*mp. Caesare* [*divi f.*] *imp. v, iii v*[*iro r. p. c. iter.*,] *cos. de*[*sig. tertium*], sic expletus ad Tergestinum alterum n. 525 sine dubio aequalem, a quo imperatoriae acclamationes absunt. Caesar cos. ii a. 721, cos. iii a. 723 eos posuerit necesse est a. 721 aut 722. Acclamatio probabiliter referetur ad victorias Dalmaticas a. 720 et 721, cum praesertim Caesar a. 725 etiam de Dalmatis triumpharit (C. I. L. I p. 478). Contra titulus Lunensis (Promis *Luni* p. 254 ed. 1 = C. I. L. XI, 1330; vidit Bormannus): *imp. Caesari d. f.* (sic potius quam *di*[*vi f.*]) *imp. v, cos. vi, iii vir r. p. c., patrono* male conceptus est; nam consulatus vi anni 726 pugnat cum triumviratu r. p. c. et multo magis cum imperatorio nomine quintum parto.

ab a. 723 Sept. 2 ad a. 725 Imp. vi.

Orosius 6, 19, 14: (ob victoriam Actiacam) *Caesar sexto imperator appellatus est.* Titulus Campanus C. I. L. X, 3826: *imp. Caesari divi* [*f.*] *imp. vi, cos. iii* (a. 723). Alter Rufranus C. I. L. X, 4830: *imp. Caes*[*ari divi f.*] *cos. v* (a. 725), *imp. vi.* — Alexandrea capta a. 724 Caesarem acclamationem imperatoriam non iterasse, quamquam et ob Actiacam victoriam et de Aegypto triumphavit, cum ex hoc titulo colligitur tum ex iis quae mox dicentur; eatenus igitur utramque victoriam ad eandem expeditionem rettulit (cf. ad 1, 21).

ab a. 725 ad a. 729 Imp. vii.

Titulus urbanus C. I. L. VI, 873: *senatus populusque Romanus imp. Caesari divi Iuli f. cos. quinct.* (a. 725), *cos. design. sex., imp. sept. republica conservata.* Nummus Cohen n. 14: *Caesar imp. vii*)(*Asia recepta.* Causa fuit M. Licinii Crassi de Thracia et Dacis victoria teste Dione 51, 25 ad a. 725: *θυσίαι καὶ νικητήρια οὐχ ὅτι τῷ Καίσαρι ἀλλὰ καὶ ἐκείνῳ* (Crasso) *ἐψηφίσθη· οὐ μέντοι καὶ τὸ τοῦ αὐτοκράτορος ὄνομα, ὥς γέ τινές φασιν, ἔλαβεν, ἀλλ' ὁ Καῖσαρ μόνος αὐτὸ προσέθετο.*

ab a. 729 ad a. 734 Imp. viii.

Tituli Nemausenses Donat. 96, 6 (vidit Hirschfeldius duo exemplaria et lectionem comprobavit): *imp. Caesari divi f. Augusto cos. nonum* (a. 729), *designato decimum, imp. octavom.* Causam reddit Dio 53, 26 ad a. 729: *Μᾶρκος Οὐινίκιος Κελτῶν τινας μετελθὼν ... τὸ ὄνομα καὶ αὐτὸς τὸ τοῦ αὐτοκράτορος τῷ Αὐγούστῳ ἔδωκε· καὶ ἐψηφίσθη μέν που καὶ τὰ ἐπινίκια αὐτῷ καὶ ἐπὶ τούτοις καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τότε γενομένοις*, quem triumphum recusavit. Intelleguntur victoriae de Cantabris et de Salassis, quorum illos solos nominat Florus 2, 33, 53 [4, 12]: *digna res lauro, digna curru senatui visa est; sed iam tantus erat*

Caesar, augeri contemneret ut triumpho. — Si extant nummi Armeniae captae receptaeve praedicationem iungentes cum imperatoria acclamatione octava, hanc ad annum usque 734 mansisse inde colligetur, idque per se verisimile est; sed lectionem illam admodum dubiam esse mox videbimus. In titulo Casinati C. I. L. X, 5169: *imp. Caesari divi f. Augusto cos.* XI (a. 731—748) *imp.* VII// *tribunic. potesta*[*te*] aut VIII fuit aut VIIII, similiterque fortasse statuendum est de Emeritensi C. I. L. II, 472: [*imp. C*]*aesari* [*Augusto cos.*]. .. *imp.* VIII.

ab a. u. c. 734 ad a. 739? IMP. VIIII.

Imperatoria acclamatio nona comparet et in nummis inscriptis *Augustus*) (*Caesar div. f. Armen. capt. imp.* VIIII[1]) cusis propter expeditionem Armeniacam a Ti. Caesare a. 734 susceptam, et in aliis inscriptis *imp.* IX *tr. po.* V (Cohen n. 86. 202. 298), qui propter tribuniciam potestatem quintam incidunt in a. 735/6. Verisimile est eam acclamationem Augustum recepisse propter signa a Parthis recepta, in uno ex nummis illis (n. 292) simul praedicata: nam hanc restitutionem notum est pro victoria Augustum habuisse et multo magis quam veras victorias laudibus efferendam curavisse.

ab a. 739? ad a. 742 IMP. X.

Est in miliariis C. I. L. V, 8088 cet. *Augustus imp. x tribunicia potestate* XI, quo significatur a. 742/3, item in nummis inscriptis *Augustus divi f.*) (*imp.* X. in aliis nude, in aliis adiecto *Act.*. in aliis *Sicil.* (Cohen n. 130—146). Causa aucti honoris quamquam non traditur, paene certum est Augustum ob bellum Raeticum a. 739 acclamationem admisisse.

a. 742 IMP. XI.

Acclamatio haec non reperitur nisi in nummis eis quos modo memoravimus simillimis, nisi quod pro *imp. x* substituitur *imp.* XI (Cohen n. 147—150). Causa fuerunt omnino res in Pannonia a Tiberio gestae a. 742, de quibus

[1]) Friedlaender apud Salletum *num. Zeitschrift* 5 p. 11 tab. 1 n. 11 ad exemplum musei nostri; in simili musei Britannici item VIII esse, non VIII, ut mihi olim in ectypo videbar legere legitque Cohenus n. 59, credo peritis, qui ipsum viderunt. — Similes nummi num adsint inscripti *imp.* VII vel *imp.* VIII, adhuc dubitatur. Nummus musei d'Ailly, quem edidit Cohen *monn. de la rép. Rom.* p. 166 et Aug. n. 56 inscriptus *Caesar divi f.* | *Armen. capt.* | *imp.* VIII (*Augustus* in antica non adest) per se non offendit, cum possit cusus esse capta Armenia, vocabulo tamen imperatoris nondum admisso; sed iure monuit Friedlaender (l. c.) fieri posse, ut hic olim pro VIII fuerit VIIII. — In altero nummo, cuius adhuc innotuit unum exemplum Berolinense (aere expressum apud Cohenum n. 58), verba *Caesar div. f.* | *Armen. rece* | *imp.* VII (*Augustus* item abest) et priores legerunt et nobis priorem editionem curantibus sic in nummo esse videbatur, quamquam eum numerum cum rerum memoria nullo modo conciliari posse simul demonstrabamus. Contrarium Friedlaender l. c. et Salletus (*numismat. Zeitschrift* 9 p. 182) nuper adseveraverunt: cerni in nummo tertiam quoque lineolam et deesse posse quartam, et verum est lectionem non ita certam et evidentem esse, ut ea tuto innitare. Denique si vera est, redeat necesse est ad errorem fabrilem.

Dio 54, 31: *καὶ αὐτῷ διὰ ταῦτα ἡ μὲν βουλη τά γε ἐπινίκια ἐψηφίσατο· ὁ δ' Αὔγουστος ταῦτα μὲν οὐκ ἐπέτρεψεν ἑορτάσαι, τὰς δὲ τιμὰς τὰς ἐπινικίους ἀντέδωκε* et denuo c. 33 (v. infra). Per breve admodum tempus durasse eam subsequente mox appellatione XII ex nummis intellegitur; nam cum iidem fere typi per imperatorias acclamationes X. XI. XII. continuentur, mediae admodum rarae sunt.

ab a. 743 ad a. 744 IMP. XII.

Anni 743/4 videntur esse tituli Arbensis mutilus C. I. L. III, 3117: . . [*imp.*] *XII tr. pot. XIII* et Aleriensis C. X, 8035, in quo est *pont. max., cos. XI, imp. XII.. , tribun. potest. XII..*; sequentis sunt urbani C. I. L. VI, 701. 702, in quibus Augustus dicitur *pontifex maximus, imp. XII, cos. XI, trib. pot. XIV.* Praeterea nummi similes supra relatis inscripti, *imp. X* et *imp. XI* item inveniuntur inscripti *imp. XII* (Cohen n. 151—172 cl. 173). Redit acclamatio ad Drusi victoriam Germanicam. Dio 54, 33 ad a. 743: *διὰ μὲν οὖν ταῦτα τάς τε ἐπινικίους τιμὰς . . ἔλαβε· τὸ γὰρ ὄνομα τὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἐπεφημίσθη μὲν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν καὶ ἐκείνῳ τότε καὶ τῷ Τιβερίῳ πρότερον* (vide supra), *οὐ μέντοι παρὰ τοῦ Αὐγούστου ἐδόθη, καίπερ αὐτοῦ ἀπ' ἀμφοτέρων τῶν ἔργων τὸν ἀριθμὸν τῆς ἐπικλήσεως αὐξήσαντος.*

a. 745 AVGVSTVS IMP. XIII — TIBERIVS IMP.

Augusti acclamationem XIII habent titulus urbanus anni 745 C. VI, 457, in quo et consules eius anni adscribuntur et Augustus appellatur *pont. max., imp. XIII, cos. XI, trib. potest. XV*; titulus arcus Segusionensis a. 745/6 C. I. L. V, 7231: *pont. max., tr. p. XV, imp. XIII* et eiusdem fortasse anni Pompeianus C. I. L. X, 931 graviter corruptus; a. 746 videntur esse miliarii Hispani C. I. L. II, 4920—4923, in quibus Augustus appellatur *cos. XI, imp. XIII, tr. p. XVI, pont. max.* — Refragatur Augusti titulus originis incertae, hodie Veronensis V, 3325, in quo est *cos. XI, tribun. potest. XII, imp. XIII* omnino perturbatus.

Augusti acclamatio imperatoria XIII non solum a Tiberio parta videtur esse, sed etiam communicata cum Tiberio itaque huius prima fuisse; qua in re hoc quoque respiciendum est vivo Augusto Tiberium numquam sine eo eiusmodi acclamationem admisisse videri. Eius acclamationis diserte meminit unus Eusebius in adnotatione *Τιβέριος καὶ πολεμήσας Γερμανοὺς αὐτοκράτωρ ἀνηγορεύθη* in Armeniaca versione relata ad a. Abr. 2007 (2008 Hier.), qui annus iuxta computum Gutschmidianum incidens in urbis 744 iure referetur ad sequentem, cum mortem Augusti auctor adscribat ad Abr. 2029 et in ea numeratione aliquatenus sibi constet. Accedit quod efficitur ex Valerio Maximo 5, 5, 3 Tiberium imperatorem consalutatum esse ante obitum Drusi sub finem aestatis a. 745. Eodem redit quod ad a. 745 Dio 55, 2, item anno non definito Velleius 2, 96 et Suetonius Tib. 9 referunt Tiberium ovasse ob

devictos Pannonios et Dalmatas; nam ovatio sine minore honore acclamationis vix cogitari potest. De causa auctores dissentiunt, cum ad res in Illyrico gestas eam referant Velleius et Dio, ad victoriam Germanicam Eusebius, Suetonius autem utrumque ponat; neque id mirum, cum Tiberius Druso substitutus Germanicam victoriam Illyricanae paene continuarit. Sed verum sine dubio tradiderunt illi, quamquam ita admittendum est bellum quod in Illyrico exarsit a. 743 diversum habitum esse ab eo, propter quod Augustum modo vidimus a. 742 imperatoriam acclamationem XI admisisse. — Monumenta Tiberii cum imperatoria acclamatione prima nulla innotuerunt.

a. 746—755 IMP. XIV — a. 746—759 TIBERIVS IMP. II.

Augusti acclamationem XIV exhibent miliarii Hispani a. 746/7, in quibus est *cos. XI*, *tr. p. XVI*, *imp. XIIII*, *pont. max.* (C. I. L. II, 4931 cet.); titulus Tropaeorum a. 747/8 servatus apud Plinium potissimum C. V, 7817, in quo est *pont. max.*, *imp. XIIII*, *tr. p. XVII*; inscriptio aquaeductus urbani a. 749/50 C. I. L. VI, 1244: *pontifex maximus*, *cos. XII*, *tribunic. potestat. XIX*, *imp. XIIII*; inscriptio Saguntina a. 750/1 C. I. L. II, 3827: *pont. max.*, *imp. XIIII*, *cos. XII*, *tr. p. XV*, si quidem in ea recte emendatur XX pro XV; inscriptio quae infra edetur ad 2, 46 reperta Soriani prope Viterbum dedicata *imp. Cae[s]ari divi f. Aug. pont. maxim.*, *cos. XII*, *trib. potestat. XX*, *imp. XIIII*; miliarii provinciae Narbonensis a. 751 Orelli 600, in quibus est *pont. max.*, *cos. XII*, *cos. desig. XIII*, *imp. XIIII*, *tr. p. XX*, ut mittam titulum corruptum Segusionensem C. I. L. V, 7243 *pont. max. . . . imp. XIIII*, *tr. p. . . .* et nummos, in quibus non est nisi *imp. XIIII* (Cohen n. 174—176).

Ex Tiberii titulis secundam acclamationem habent urbanus C. I. L. VI, 385: *Ti. Claudius Ti. f. Nero pontifex*, *cos. iterum*, *imp. iterum* dedicatus omnino in ipso consulatu secundo a. 747, et Saepinas C. I. L. IX, 2443 scriptus inter a. 753 et 757: *Ti. Claudius Ti. f. Nero pont.*, *cos. II*, [*imp. I*]*I*, *trib. potest. V* (post V saxum hiat, sed deest nihil, cum tr. pot. sexta cum adoptione coeperit).

Acclamationem susceperunt Augustus et Tiberius propter huius victoriam Germanicam teste Dione 55, 6 ad a. 746: *καίτοι τὸ τοῦ αὐτοκράτορος ὄνομα καὶ αὐτὸς λαβὼν καὶ Τιβερίῳ δούς.*

a. 755 IMP. XV.

Acclamationem XV habent titulus Campanus C. I. L. X, 3827 a. 755/6: *pont. max.*, *cos. III* (immo *XIII*), *imp. XV*, *tr. p. XXV*, *p. p.* et nummus inscriptus *Caesar Augustus divi f. pater patriae* (quem titulum Augustus admisit a. 752))(*imp. XV Sicil.* Causa fuit victoria C. Caesaris Armeniaca teste Dione 55, 11 ad a. 755: (captis Artagiris) *τό τε ὄνομα τὸ τοῦ αὐτοκράτορος οὐχ ὁ Αὔγουστος μόνος, ἀλλὰ καὶ ὁ Γάιος ἐπέθετο.*

. . . . Imp. xvi.

Acclamationem xvi neque testatam vidi neque causam eius probabilem repperi.

a. 759 Avgvstvs Imp. xvii — Tiberivs Imp. iii.

Dio 55, 28 ad a. 759, postquam Tiberii in Germanos expeditionem narravit: *οὐ μέντοι*, inquit, *καὶ ἀξιομνημόνευτόν τι τότε γε ἐπράχθη· καίτοι καὶ αὐτοκράτορος μὴ ὅτι τοῦ Αὐγούστου, ἀλλὰ καὶ τοῦ Τιβερίου ἐπ' αὐτοῖς κληθέντος.* Eo iure referemus quod in arcu Ticinensi C. I. L. V, 6416 anni 760/1 Augustus appellatur *pont. max., pater patriae* cet., *cos. xiii*, *imp. xvii*, *tribunic. potest. xxx*, Tiberius *cos.* [*i*]*ter.*, *imp. ter.*, *tribuniciae pot. viii*[*i*]. Ab hoc inde tempore, scilicet post Tiberium a. 757 in domus imperiique consortium adscitum, acclamationes imperatoriae Augusto Tiberioque omnes communes videntur fuisse, scilicet ut Augusto xvii respondet Tiberii iii, ita xviii illius huius iv et sic deinceps.

. . . . Avgvstvs Imp. xviii — Tiberivs Imp. iv.

Neutrius acclamationis documenta repperi. Redire eam verisimile est ad res per eos annos in Illyrico gestas.

a. 762 Avgvstvs Imp. xix — Tiberivs Imp. v.

Acclamationis a. 762 factae meminit Dio 56, 17: *ἀπήγγειλε δὲ καὶ τότε τὴν νίκην* (scilicet profligatum bellum Dalmaticum) *ὁ Γερμανικὸς καὶ ἐπ' αὐτῇ τῷ μὲν Αὐγούστῳ καὶ τῷ Τιβερίῳ τό τε τοῦ αὐτοκράτορος ὄνομα προσθέσθαι . . . ἄλλαι τέ τινες τιμαὶ ἐδόθησαν.* Intellegi Tiberii acclamationem v colligitur ex nummis cusis a. 763/4 inscriptis *Ti. Caesar August. f. imperat. v*)(*pontifex, tribun. potestate xii* (Cohen n. 27: cf. n. 28—33. 208). Ea cum Augusti acclamationem xix requirat, refragatur quod in titulo apud Astures dedicato a. 762/3 C. I. L. II, 2703 Augustus appellatur *cos. xiii, imp. xx, pont. max., p. p., trib. potest. xxxii*; at lenius remedium est eum pro mendoso reicere quam aequabilitatem inter Augusti et Tiberii acclamationes pessumdare. Multo minus defendi potest titulus arcus Fanestris (Orelli 602): *imp. Caesar divi f. Augustus pontifex maximus*, *cos. xiii*, *tribunicia potes*[*t. xxxii*], *imp. xxvi*, *pater patriae murum dedit*, quem vere sic conceptum esse testis oculatus mihi est Bormannus meus, adsumptis iis quae intra [ ] inclusimus ex exemplis antiquis fide dignis.

a. 764 Avgvstvs Imp. xx — Tiberivs Imp. vi.

Augusti acclamationem xx habet nummus a. 764/5 (Cohen n. 226) inscriptus *imp. xx*)(*pontif. maxim.*, *tribun. potest. xxxiiii* et fortasse titulus miliarius Hispanus eiusdem anni male traditus (C. I. L. II, 4868): *pont. max.*, *imp. xv* (scr. *xx*), *cos. xiii*, *trib. potest. xxxiv*, *p. p.*, ut mittam titulum Asturicensem supra relatum; Tiberii acclamationem vi nusquam

repperi[1]). — Causa cum non tradatur, cogitari poterit de expeditionibus a Tiberio et Germanico in Germanos susceptis per a. 763 et 764, quamquam victoria tum vix parta est (Dio 56, 25).

a. 767 AVGVSTVS IMP. XXI — TIBERIVS IMP. VII.

Obiisse Augustum imperatorem vicies semel et ipse testatur iis de quibus agimus verbis et repetunt Tacitus ann. 1, 9 et Dio loco a librariis male habito 52, 41. Refragantur tamen lapides duo miliarii ad Narbonem reperti, quorum alterum edidit Allmer *rev. épigr.* p. 204, utrumque vidit Hirschfeldius, sic concepti: *imp. Caesar divi f. Augustus pontif. maxum[us], cos. XIII, tribunicia potestate XXXVI, imp. XIIII*; qui numerus nullo pacto anno 766/67 aptatur. Ipse quoque titulus pontis Ariminensis (Orell. 604 = C. I. L. XI, 367) ita conceptus: *imp. Caesar divi f. Augustus pontifex maxim., cos. XIII, imp. XX, tribunic. potest. XXXVII p. p., Ti. Caesar divi Augusti f. divi Iuli n. August. pontif. maxim., cos. IIII, imp. VIII, trib. potest. XXII dedere*, cum pateat ponti coepto Augusto vivo, absoluto a. p. C. 21 inscripta esse nomina Augusti quae fuerunt tempore mortis, licet publicus et duplici exemplo traditus nihilominus mendosus est.

Tiberii acclamationis septimae unum extat documentum Augusto vivo scriptum, nummus cusus Luguduni inscriptus *Ti. Caesar Augusti f. imperator VII*[2]). Proxime post principatum adeptum percussus est alter inscriptus *Ti. Caesar divi Aug. f. Augustus*)(*tr. pot. XVI* (a. 14/15) *imp. VII*, anno p. C. 20 tertius inscriptus *pont. maxim., cos. III, imp. VII, tr. pot. XXII* (Cohen n. 8. 9); quo erroris convincitur titulus Lilybitanus a. 18/9 (C. X, 7226) dedicatus Tiberio *pontif. max., cos. III, imp. VIII, trib. potest. XX*. Ab anno 21 incipiente una cum consulatu quarto succedit acclamatio octava teste titulo supra relato pontis Ariminensis (Eckhel 6, 191), admisso fortasse propter res a Druso in Illyrico gestas (Tacitus ann. 3, 11; cf. tamen *Staatsrecht* 2 p. 1098 adn. 3), et in eo numero ad mortem usque Tiberius permansit (C. VI, 885 cet.).

Cum acclamatione Augusti postrema. Tiberii septima fortasse iungenda est Germanici prior. Nam hunc monumenta plurima post obitum dedi-

[1]) In nummo cuso Luguduni, quem Cohen Tib. n. 34 ait extare Venetiis in museo Correriano, teste praefecto eius optimo amico Antonio Bertoldi, quem de eo interpellavi, scriptum est *Ti. Caesar August. f. imperat. VII*, non, ut ait Cohen, VI.

[2]) Cohen n. 35—38. Praeter aequabilitatem, qua acclamationes Augusti et Tiberii post adoptionem decurrere videntur, quaeque suadet ut Tiberii acclamationem VII cum Augusti XXI consociemus, hi nummi soli impediunt, quominus Tiberii acclamatio septima coniungatur cum nomine imperatoris decreto a. 14 exeunte Germanico (vide mox). Id si probari posset, eo commendaretur, quod ita haec Germanico cum Tiberio communis fit, cum sub Augusto certe imperatoriae acclamationes a Tiberio admissae omnes cum principe communicatae sint. Nec plane idem est, quod Blaeso Tiberius a. 22 imperatoris nomen ita concessit, ut ipse eo non uteretur (Tacitus ann. 3, 79).

cata testantur obiisse a. 19 imperatorem iterum[1]) et Tacitus (ann. 1, 9) scribit post obitum Augusti a. 14 exeunte Tiberio auctore nomen imperatoris accepisse. Sed ea acclamatio utrum prior an posterior fuerit et alteram quando pepererit parum constat, cum vivi eius tituli certi admodum raro reperiantur. Verisimile tamen est datam a. 14 secundam fuisse prioremque eam ipsam esse, quae in Augusto est XXI, in Tiberio VII. Nam primum has vix dubium est pertinere ad res in Germania per postremos Augusti annos gestas, quoniam, ut ait Tacitus ann. 1, 9, *bellum ea tempestate nullum nisi adversum Germanos supererat.* Germaniae autem exercitibus cum per eos annos Germanicus praecesset, non debuit quidem, sed certe potuit acclamatio ibi parta cum eo communicari. Potest sane opponi ex eodem bello acclamationes duas non recte repeti; at cum alterum sub Augusti auspiciis gestum sit, alterum sub Tiberii, fortasse inde consuetudinis neglectae excusatio peti poterit. Certe multo minus cogitari potest de rebus post a. 15 a Germanico ad Rhenum gestis imperatoris nomine antea e Germania ei decreto, neque quidquam in Oriente Germanicus manu gessit. Denique obstat silentium Taciti, qui cum horum annorum res gestas copiose narret, imperatorium honorem iterum concessum vix tacuisset. — Praeterea si recte ad Germanicum revocavi inscriptionem fastorum collegii Arvalium dedicatorum ante Augusti excessum .... [*i*]*mp.*, *mag. frat. Arval.* ... (Eph. epigr. 1 p. 33; Henzen Arv. p. CCXXXIII), inde efficitur eum imperatorem dictum esse vivo Augusto. Sed quo ratiocinatio illa nitebatur, eo tempore imperatorem alium nullum nobis innotuisse huic loco aptum praeter Germanicum, id iam sublatum est et nummo et titulo nuper repertis[2]) demonstratum L. Passienum Rufum consulem a. 750 ex Africa eam appellationem reportasse; unde collato loco Velleii 2, 116 idem etiam de Cosso Cornelio Lentulo cos. a. 753 statuatur necesse est. Quam ob rem quamquam neutrum horum Arvalis sacerdotio ornatum fuisse testatum est, supplementi illius auctoritas magnopere infracta est.

LAT. 1, 22 [*Cum deinde pli*]ris triumphos mihi se[*natus decrevisset*, | *eis su*]per-
23 sedi [§]. I[*tem saepe laur*]us deposui, § in Capi[*tolio votis*, *quae*]
24 | quóque bello nuncu[*paveram*, *solu*]tis. §

GR. 2, 10 *sq.* 2, 10 11 *Τῆς* | [*βουλῆς*] ..... *ψηφισσ* .. | ...
..... *ων τὴν* [*δάφνην*] .... (*reliqua fere perierunt*).

---

[1]) In titulo musei Neapolitani C. I. L. X, 1625, in quo appellatur [*flamen*] *Augusta*[*lis*, *cos.*] II, *imp.*, magis crediderim iterationem neglegenter omissam esse quam inde colligendum Germanicum eam admisisse post adeptum consulatum secundum.

[2]) Nummum edidit Mueller *num. de l'ancienne Afrique* suppl. p. 43 sic inscriptum: *imp. Ca*[*es.*] .... *divi f. p. p.*) (*L. Pass*[*ienus*] *Rufus imp.* Titulus, quem in vico Ellez agri

Huius capitis restitutio magnopere impedita est, cum Graeca fere deficiant, Latina passim hient. Quominus pro eo quod est [*plú*]*ris* v. 22 suppleamus numerum *tris*, apex qui superest ante *r* obstat. — Deinde cum v. 22 extr. quattuordecim litterae exciderint, v. 23 incipiente quinque, *decrevisset* vocabulum paullo longius est quam requiritur, debuitque fortasse substitui *dedisset*. Post *supersedi* quominus quidquam inseramus, id quod placuit Bergkio, ipsa tabula impedit spatio ibi vacante.

Quotiens Augustus triumphum decretum recusarit, neque ipse enuntiat neque satis auctores. Decretum a. 729, quo Cantabros ipse in dicionem redegit, Varro devicit Salassos, M. Vinicius Germanos perculit, Augustum non accepisse supra p. 12 vidimus. Deinde nummi cusi propter signa a. 734 a Parthis recepta cum Augustum exhibeant elephantorum bigis triumphantem, inde tum quoque triumphum ei decretum esse recte effecit Borghesius (opp. 2, 100 sq.); et ex eo decreto natum est, quod Dio (54, 8) ad a. 734 refert Augustum ovantem in urbem introiisse errore aperto (v. ad 1, 21). Tertium triumphum recusavit Augustus a. 746 post victoriam Germanicam Tiberii (Dio 55, 6). Num idem fecerit post eiusdem victoriam Pannonicam a. 763 (Dio 56, 17), dubium est; nam cum Dio scribat triumphum admissum esse, cogitandum potius de solo Tiberii triumpho tum decreto, acto autem a. demum 765, ut nuper contra opinionem vulgo receptam, quae eum adscribit anno praecedenti, demonstravit Hermannus Schulz in quaestionibus Ovidianis (Gryphiswaldiae 1883) p. 15 seq.

Votorum solutio fasciumque in Capitolio depositio arte coniunctae fuerunt. Nimirum aetate liberae rei publicae consul praetorve quo die ad rem gerendam exibat, mane in Capitolio vota nuncupabat, mox ad portam sumpto paludamento sumptisque fascibus vel certe securibus iter ingrediebatur; ubi deinde ei successerat, ut re bene gesta imperator acclamatus lauro fasces ornaret, regrediens in urbem in Capitolio et vota illa solvebat et laurum fascium in gremio Iovis optimi maximi Capitolini ponebat. *Consul proficiscens*, Livius ait 45, 39, 11, *praetorve paludatis lictoribus in provinciam et ad bellum vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eo eodem triumphans* (codex *perpetrato*

Siccensis repperit J. Poinssot, et a Carolo Tissot officiose mecum communicatus est et prodiit in eph. Oranensi *Bulletin trimestriel des antiquités africaines* a. 2 (1883) p. 260 sic conceptus:

IVNONI · LIVIAE · AVGVSTAE
L · PASSIENO · RVFO · IMPERATORE
AFRICAM OBTINENTE
CN · CORNELIVS · CN · F · COR · RVFVS
ET · MARIA · C · F · GALLA · CN
CONSERVATI
VOTA · L · M · SOLVONT

Formula v. 2. 3 insolita inde venit, quod Passienus imperator appellatus neque proconsul recte dici potuit et multo minus imperator Africae. — 3 hiatus notam inter duo vocabula delevi. — 5 fin. in lapide esse crediderim CoN, scilicet *coniux*.

eodem in Capitolio tr.) *ad eosdem deos, quibus vota nuncupavit, merita dona portans redit.* Obsequens c. 61: *C. Antonius procos. cum . . . . Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam tulit: ibi a Dardanis oppressus amisso exercitu profugit; apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quem in Capitolio debuerat deponere.* Laurus, quam victor in urbem rediens Iovi fert, et palma, quam triumphator eidem numini dat (Marquardt *Staatsverwaltung* 2, 569), ita coniunctae sunt, ut illa ad antiquiorem et aliquando ducibus omnibus communem victoriae celebrationem pertineat, haec triumphatoribus reservata ad augendam sollemnioris victoriae pompam postea ita adiecta sit, ut laurus quoque simul tradatur. De hac consuetudine, cuius documenta multa extant (v. *Staatsrecht* 1[2] p. 61. 96), non est quod hoc loco agamus; hoc quaerendum est, imperatoria aetate haec caerimonia quatenus manserit mutatave sit. Nam cum tota nitatur magistratus itu ad bellum redituque, iure quaeritur, utrum eiusmodi exitus etiam hac aetate requisitus sit an laurus deponi potuerit in Capitolio principe in urbe manente et per legatos rem gerente. Et Augustus quidem ni fallor antiquam consuetudinem servavit; nam etsi quae in indice scribit fortasse etiam sine profectione ipsius cogitari possunt, narrationes Dionis Augustum redeuntem ex Galliis et Germaniis a. 741 Iul. 5 laurum deposuisse in aede Iovis Capitolini (54, 25: *τῇ δ' ὑστεραίᾳ,* reditus scilicet, *ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο*), item redeuntem in urbem Ticino a. 745 in aede Iovis feretrii (55, 5: *τὴν ἄφιξιν ἐποιήσατο καὶ τὴν δάφνην ἐς τοῦ Διὸς τοῦ φερετρίου παρὰ τὸ νομιζόμενον ἐσήνεγκε*) eo ducunt in indice quoque intellegi vota nuncupata ab Augusto exeunte ad bellum et laurum depositam ab ipso in urbem redeunte cum fascibus laureatis. At post Augustum res videtur mutata esse. Nam quamquam quod scribit Plinius maior h. n. 15, 30, 134: (laurus) *fasces imperatorum decorat: ex his in gremio Iovis optimi maximique deponitur quotiens laetitiam nova victoria attulit*, itemque narrationes Suetonianae de Nerone (c. 13) et de Domitiano (c. 6: *de Cattis Dacisque duplicem triumphum egit, de Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi rettulit*) cum antiquo instituto facile conciliantur, minor Plinius quae de Nerva tradit (paneg. c. 8: *adlata erat ex Pannonia laurea . . . . . hanc imperator Nerva in gremio Iovis collocarat:* cf. c. 16) moris immutationem aliquam flagitant[1]). Utut est, in indice si numerum Augustus posuit lauruum in Capitolio depositarum, numeravit egressus suos ex urbe ad rem gerendam demptis opinor iis, propter quos triumphi honor

[1]) Consuetudo vetusta, ut quicumque exercitui praeerat sive suo iure iure sive alieno victoriam adeptus laureatas litteras Romam mitteret, etiam sub imperatoribus mansit testibus Tacito hist. 3, 77 de L. Vitellio: *lauream gestae prospere rei ad fratrem misit*, item in vita Agricolae c. 18: *ne laureatis quidem gesta prosecutus est*, et Frontone ad amicos 1, 6: *Iunius Maximus tribunus laureatas Romam attulit litteras.* Sed eas laurus in gremio Iovis depositas esse nemo auctor est.

maior ei obtigerat. Eum autem numerum nobis non datum est recuperare, nec certum eum in indice enuntiatum fuisse. Quae remanserunt verba non ita supplenda esse, ut adhuc fere explebantur: [*et tantummodo laur*]*us*, lapis docuit accuratius inspectus; nam post spatium litteris vacuum sequitur I residuum ex littera I vel L vel H, non ex EFTN, deinde post hiatum litterarum duodecim VS · DEPOSVI. Haec diverso modo expleri poterunt, exempli causa *i*[*tem saepe laur*]*us* vel *i*[*s ex bellis laur*]*us*; hoc si verum est, Augustus ait eo honore tum tantum se usum esse, cum triumpho decreto uti nollet. Ante *in Capitolio* interstitium cernitur et virgula, ut ea verba cum sequentibus iungere cogamur, nisi forte placebit cum Bergkio cogitare de lapsu tabrili. — Graecorum reliquiae exiguae vix ullam utilitatem habent: quod legitur v. 12 extr., potest fuisse [*ἐκ τούτων τῶν πολέμ*]*ων την* [*διάφημ*]*ην*; v. 13 extr. remansit [*τὰ*]*ς εὐχάς*.

Quamquam ad indicis verba recte accipienda id non pertinet, non abs re erit quaerere, qui praeter principem ea aetate consulari praetoriove imperio utebantur, utrum ad votorum nuncupationem lictorumque ad portam adsumptionem egredientes admissi sint itemque regredientes ad votorum solutionem et laurus depositionem. Et proconsules quidem iustum imperium habentes, maxime in Africam qui mittebantur ante Gaium, sine dubio in his quoque antiquum ius retinuerunt. Reliqui proconsules ut gladio (*Staatsrecht* 1² p. 119) ita eo quoque magis videntur caruisse. Legati imperatoris cum imperium haberent pro praetore (*Staatsrecht* 2 p. 234), per se ad hasce caerimonias admitti potuerunt, neque inde quod imperatoria aetate ab ipso triumpho prohibebantur (l. c. 1 p. 127), necessario sequitur etiam minores hos honores iis ademptos esse. Et Suetonius quidem quod scribit Aug. 29: *sanxit* (Augustus), *ut de bellis triumphisque hic* (in aede Martis Ultoris) *consuleretur senatus, provincias cum imperio petituri hinc deducerentur quique victores redissent, huc insignia triumphorum conferrent* et explicatius Dio 55, 10 inter privilegia eidem aedi a. 752 attributa recensens *τοὺς ἐπὶ τὰς ἀρχὰς τὰς ἐκδήμους στελλομένους ἐκεῖθεν ἀφορμᾶσθαι τάς τε γνώμας τὰς περὶ τῶν νικητηρίων ἐκεῖ τὴν βουλὴν ποιεῖσθαι καὶ τοὺς πέμψαντας αὐτὰ τῷ Ἄρει τούτῳ καὶ τὸ σκῆπτρον καὶ τὸν στέφανον ἀναθέναι καὶ ἐκείνους τε καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τὰς ἐπινικίους τιμὰς λαμβάνοντας ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦς ἱστασθαι*, suadet sane ut statuamus etiam legatos imperatoris ad eos honores admissos esse: erant enim sine dubio cum imperio et recte vota suo nomine nuncupare poterant fascesque ad portam sumere. Sed obstat silentium auctorum de eiusmodi sollemnibus et abhorrent omnino ab eius aetatis spiritu vota ita a privato suscepta; potestque fieri ut ipsum illud de aede Martis senatus consultum ad eos solos magistratus pertinuerit, quibus re bene gesta ius esset in triumphum. Ceterum quod corona, ea scilicet quae super caput triumphantis sustinebatur, et scipio eburneus Marti consecrantur, non impedit, quominus in palmam et lauri ramum Iovi Capitolino antiquum ius manserit.

LAT. 1, 24 25 Ob res á [*me aut per legatos*] | meós auspicís meis terra m[*ariqu*]e
26 pr[*o*]spere gestás qu[*inquagiens et quin*]|quiens decrevit senátus
supp[*lica*]ndum esse dís immo[*rtalibus*].

GR. 2, 15 16 [*Διὰ τὰ πράγ*]*μ*[*ατα, ἃ* | *αὐτὸς ἢ διὰ τῶν ὑποστρατήγων*
17 *ἐμῶν*] *κατώρθω*|*σα, π*[*εντ*]*ηκοντάκις* [*καὶ*] *πεντά*[*κις ἐψ*]*ηφί-*
18 *σατο ἡ* | *σύ*[*νκλητ*]*ος θεοῖς δεῖ*[*ν*] *θύεσθαι.*

Latinorum supplementa cum pleraque evidentissima sint et fere iam a Gronovio occupata, Graeca quoque postquam quae supersunt accurate et plene excepta sunt, non difficulter redintegrantur. Haerebamus adhuc in numero, utrum fuerit *quadragiens* an *quinquagiens*; iam reliquiae exemplaris Graeci ‾/,,ΗΚΟΝΤΑΚΙΣ hoc recte me posuisse in ed. 1, errore Bergkium illud praetulisse ostendunt. — Principium redit quodammodo apud Suetonium Aug. 21: *domuit partim ductu partim auspiciis suis Cantabriam* cet. Nullo autem modo audiendus est Zumptius mirabundus, cur Augusto, cum imperator semel tantum et vicies appellatus sit, supplicationes decretae sint quinquagies quinquies. Scilicet falsum est supplicationes coniunctas fuisse cum imperatoria acclamatione; immo notum ex eodem bello imperatoris titulum non plus semel parari, supplicationes autem iteratis vicibus decerni (cf. inter alios Caesar de b. Gall. 2, 35. 4, 38. 7, 90). — Propter expeditionem Tiberii in Armeniam a. 734 supplicationes (*θυσίαι*) decretas esse Dio 54, 9 scribit; de aliis duabus supplicationibus ex illis LV, quae memorantur in titulo P. Sulpicii Quirinii (Henzen n. 5366), agemus in appendice.

LAT. 1, 26 27 [*Dies autem,* | *pe*]r quós ex senátús consulto [*s*]upplicátum est,
fuere DC[*CCLXXXX*].

GR. 2, 18 19 [*Ἡμ*]*έραι οὖν αὖ*[*τα*]*ι ἐ*[*κ συ*]*ν*[*κλήτου*] *δ*[*ό*]*γματ*[*ο*]*ς ἐγένοντο*
20 *ὀκτα*[*κ*]*όσιαι ἐνενή*|[*κοντα*].

In Graecis *αὖ*[*ται*] Bergkio debetur. — Deinde postquam in marmore lectum est Δ/‾ΜΑΤ/ΣΕΓΕΝΟΝΤΟ praecedentibus in eodem versu litteris c. XV, mutavi supplementa sic ut supra proposui. Ut adiciatur in fine *πέντε*, spatium non sinit capax septem fere litterarum, ut ibi fuerit ΚΟΝΤΑ sequente interstitio. De alio numero ne cogitemus, impedit constans dierum ratio in supplicationibus decernendis. Caesari dictatori novimus supplicationes decretas esse dierum XV, XX, XXXX, L (Drumann 3, 609 n. 84); quinquaginta item dies decreti sunt post primas Hirtii Pansae Caesaris filii victorias a. 711 (Cic. Philipp. 14, 11, 29 al.; Drumann 1, 306). Cum Augusti nomine supplicatum sit quinquagies et quinquies, singulae supplicationes inter se exaequatae fiunt dierum circiter denorum quinorum (55 × 15 = 825).

LAT. 1, 27 28 [*In triumphis* | *meis*] ducti sunt ante currum m[*e*]um regés aut
r[*eg*]um lib[*eri novem.*]

GR. 2, 20 21 Ἐν [ι]οῖς ἐμοῖς [Θριάμ]βοις [πρὸ το]ῦ ἐμοῦ ἄρ᾽μ[ατος βασι]-
22 λεῖς ἢ [βασιλέων παῖ]δες π[αρήχθ]ησαν | ἐννέα. §

In Latinis post *novem* spatium vacavisse videtur trium fere litterarum. — In Graecis [ἀπήχθ]ησαν Kirchhoffius proposuerat, [καιήχθ]ησαν Bergkius; iam π[αρήχθ]ησαν substituit Kaibelius (cf. Appianus Mithr. 117). — Scribit Dio in triumphis a. 725, quos solos Augustus egit, ductos esse filios Cleopatrae Alexandrum Cleopatramque (51, 21), item Alexandrum Iamblichi Emesenorum reguli fratrem (51, 2); *regum colla auratis catenis circumdata* triumpho Actiaco memorat Propertius 2, 1, 33.

LAT. 1, 28 29 [*Consul* | *fuer*]am terdeciens, c[*u*]m [*scribeb*]a[*m*] haec, [*et agebam*
30 *se*]p[*timum et trigesimum annum* | *tribu*]niciae potestatis.

GR. 2, 22 23 [Ὑπάτ]ε[υ]ον τρὶς καὶ δέκ[ατο]ν, ὅτε [ταῦ]τα ἔγραφον, | καὶ
3, 1 ἤμη[ν τρια]κ[οστὸ]ν καὶ ἕβδομ[ον δημαρχ]ικῆς ‖ ἐξουσίας.

Inter TERDECIENSC M et A HAEC spatium intercedit litterarum c. V expletum litteris VII. — Inter HAEC et P litteram desiderantur litterae c. IX, pro quibus posui X; post P ad finem versus deficiunt litterae c. XXIII. Bergkius hoc loco scribere maluit [*eramque se*]p[*timum et trigesimum tribu*]*niciae potestatis*, presse secutus vestigia interpretis Graeci. At nec hiatus ita satis explentur et adnotat ipse: ‘sane qui *tribuniciae potestatis esse* dixerit, nullum novi scriptorem nisi Oro-‘sium 6, 18, 31: *ovans urbem ingressus ut in perpetuum tribuniciae potestatis* ‘*esset, a senatu decretum est*, a quo exemplo non multum abhorret Aurelius ‘Victor Caes. 1: *pater patriae ob clementiam ac tribunicia potestate perpetuo* ‘*habitus*, namque alias genetivus aut ablativus solus adhibetur’. — Ceterum cf. supra p. 2 et infra 6, 27.

CAPVT V

LAT. 1, 31 [*Dictatura*]m et apsent[*i et praesenti mihi datam . . . . . a populo et*
32 *senatu* | *M. Marce*]llo e[*t*] L. Ar[*runtio consulibus non accepi*].

GR. 3, 2 3 Αὐτεξούσιόν μοι ἀρχὴν καὶ ἀπόντι καὶ παρόντι | διδομένην
4 [ὑ]πό τε τοῦ δήμου καὶ τῆς συνκλήτου | Μ[άρκ]ῳ [Μ]αρκέλλῳ
5 καὶ Λευκίῳ Ἀρρουντίῳ ὑπάτοις | ο[ὐκ ἐδ]εξάμην. §

Lat. 31 fin. cum deficiant litterae c. XLIV, iis quas flagitat interpretatio XXXVII hiatus non totus expletur. — V. 32 post *accepi* cum spatium aliquod vacavisse videatur, supplementa quae posui sufficiunt.

Dictaturam notabile est Graece appellari *αὐτεξούσιον ἀρχήν*, quocum conferendi sunt loci Polybii 3, 87, 8, qui dictatorem dicit differre a consule tam fascium numero quam eo, quod cum hic saepe indigeat senatus auctoritate, hic sit *αὐτοκράτωρ στρατηγός*, quo constituto cessent reliqui magistra-

tus (cf. 3, 86, 7. 103, 4); Dionysii 5, 73, ubi dictator dicitur *μόναρχος πολέμου τε καὶ εἰρήνης καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ*; Appiani b. c. 2, 23, qui Pompeium solum consulem factum esse narrat ita, *ὡς ἂν ἔχοι τὴν μὲν ἐξουσίαν δικτάτωρος ἄρχων μόνος, τὴν δ' εὔθυναν ὑπάτου*. Cf. *Staatsrecht* 2 p. 136. — Dictaturam a. 732 populo flagitante a senatu oblatam esse Augusto neque ab eo receptam Dio 54, 1 ita enarrat: *πονούμενοι ὑπό τε τῆς νόσου καὶ ὑπὸ τοῦ λιμοῦ ... νομίσαντες οἱ Ῥωμαῖοι οὐκ ἄλλως σφίσι ταῦτα συμβεβηκέναι, ἀλλ' ὅτι μὴ καὶ τότε ὑπατεύοντα τὸν Αὔγουστον ἔσχον, δικτάτωρα αὐτὸν ἠθέλησαν προχειρίσασθαι· καὶ τήν τε βουλὴν κατακλείσαντες ἐς τὸ συνέδριον ἐπηνάγκασαν τοῦτο ψηφίσασθαι, ἀπειλοῦντές σφας καταπρήσειν. καὶ μετὰ ταῦτα τὰς ῥάβδους τὰς τέσσαρας καὶ εἴκοσι λαβόντες προσῆλθον αὐτῷ δικτάτωράτε ἅμα δεόμενοι λεχθῆναι καὶ ἐπιμελητὴν τοῦ σίτου καθάπερ ποτὲ τὸν Πομπήιον γενέσθαι· καὶ ὃς τοῦτο μὲν ἀναγκαίως ἐδέξατο ..... τὴν δὲ δικτατωρείαν οὐ προσήκατο, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐσθῆτα προσκατερρήξατο, ἐπειδὴ μηδένα τρόπον ἄλλως σφας ἐπισχεῖν μήτε διαλεγόμενος μήτε δεόμενος ἠδυνήθη*. Conveniunt Velleius 2, 89, 5: *dictaturam quam pertinaciter ei deferebat populus tam constanter repulit*; Suetonius Aug. 52: *dictaturam magna vi offerente populo gemu nixus deiecta ab umeris toga nudo pectore deprecatus est*; Eusebius in chronico ad a. Abr. 1994 sive urbis 732 (vide p. 14): *Αὔγουστος μοναρχίαν ἐγχειριζομένην ἀπεώσατο*, erratque ut solet Florus 2, 13 [4, 2, 91] (cf. 2, 34 [4, 12, 65]) Augustum adseverans ob facta ingentia creatum esse dictatorem perpetuum, et cum Floro auctor de viris ill. 79, 4. Bis dictaturam Augusto oblatam esse primum absenti, deinde praesenti ex solo indice intellegitur, nisi quod pertinacia populi apud Velleium eodem tendit. Utraque oblatio cum ad eundem annum referatur, verisimile est quae Dio narrat de senatu in curiam clauso, accidisse Caesare extra urbem, puta in Campania, morante (neque credibile est eiusmodi turbas fieri potuisse ipso inspectante), deinde eum in urbem reversum dictaturam recusasse, populum autem iterum praesenti iam fasces quattuor et viginti obtulisse. Populum cur ante senatum Augustus nominet, narratio Dionis explicat, et recte Bergkius eundem ordinem etiam in Latinis flagitavit, male vero collato loco 2, 1 hic scribi iussit: *iussu populi et senatus*.

LAT. 1, 32 33 [*Non recusavi in summa* | *frumenti p*]enuri[*a c*]uratio[*ne*]m an[*no-*
34 *nae, qu*]am ita ad[*ministravi, ut* ..... | *paucis diebu*]s metu et
35 per[*i*]c[*lo quo erat populu*]m univ[*ersum meis impen*|*sis liberarem*]. §
GR. 3, 5 6 *Οὐ παρητησάμην* (sic)· *ἐν τῇ μείζιστῃ* | [*τοῦ*] *σ*[*ίτ*]*ου σπάνει*
7 *τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἀγορᾶς, ἣν οἵ*][*τως ἐπετήδευ*]*σα, ὥστ' ἐν*
8 *ὀλίγαις ἡμέρα*[*ις το*]*ῦ παρόντος* | *φόβου καὶ κι*[*νδ*]*ύνου ταῖς*
9 *ἐμαῖς δαπάναις τὸν δῆμον* | *ἐλευθερῶσα*[*ι*].

Graeca ad sententiam expedivit Kirchhoffius, verba recte ordinavit Bergkius, qui quae proposuit, iam lapide confirmantur. In Latinis quoque formam orationis satis adsecutus est, quamquam quaedam verba ad ipsum monumentum mutanda fuerunt. — 33 fin. post AD desiderantur litterae c. XVII, pro quibus non suppletae sunt nisi XII. — 34 inter PER/C et MVNIV cum deficiant litterae c. XIV, supplementum *peric[ulo praesenti populu]m* mutandum fuit.

Quod ait Augustus divisiones enumerans 3, 10: *consul undecimum*, id est anno 731, *duodecim frumentationes frumento privatim coempto emensus sum*, et quod hic scribit significatve a. 732 repudiata dictatura suscepisse se annonae curationem et ab eo tempore suis sumptibus frumentationes publicas erogasse adsentiente Dione loco modo citato, res ut recte intellegatur iungenda sunt. Differunt enim quae ita Augustus suscepit eo, quod a. 731 frumentationes iure ad aerarium spectabant et magistratus ordinarios, princeps autem usus ex his praesertim ministerio Ti. Neronis eo anno quaestoris Ostiensis (Velleius 2, 94: *Ti. Claudius Nero ... quaestor ... maximam difficultatem annonae ac rei frumentariae inopiam Ostiae atque in urbe mandatis cīvici moderatus est*; cf. Suetonius Tib. 8 et *Staatsrecht* 2, 557) sumptus in se recepit, at ab a. inde 732 fiscus in locum aerarii frumentationes erogavit. Neque enim adsentiendum est Hirschfeldio statuenti p. 130 agi hoc loco de cura annonae in solum annum 732 ab Augusto suscepta. Iam hoc caput qui comparaverit cum eo quo agitur de liberalitate a. 731 et quanta gravitate Augustus hic loquatur expenderit, non negabit longe aliam rem et multo maioris momenti hic tractari quam largitio foret certae cuiusdam summae. Multo magis quod teste Dione (qui l. c. post *ἐδέξατο* sic pergit: *καὶ ἐκέλευσε δύο ἄνδρας ..... πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν κατ' ἔτος αἱρεῖσθαι*) adiutores in ea re a principe adsumpti creari coepti sunt a. 732, declarat tum non in eum annum solum gravem hanc curam a principe receptam esse, sed in perpetuum. Exinde igitur frumentationes urbanae inter liberalitates numerari desierunt — iam enim annonae cura principi iniuncta non est liberalitas pro voluntate exhibita, sed pars administrationis ei commissae, eoque magis quod sine dubio simul tributa certe frumentaria aerario adhuc soluta in fiscum translata sunt potuitque ea cura non re fortasse, sed iure ita administrari, ut princeps de suo nihil in annonam impenderet — et administrari coeptae sunt per adiutores principis, de quorum condicione et electione temptatis per aliquot annos multis et diversis tandem ad stabilitatem perventum est constituto praefecto annonae equite Romano (v. *Staatsrecht* 2, 992).

Sed curatio annonae urbicae, quam Augustus hic suscepisse se scribit, minime continebatur frumentationibus plebi urbanae concessis. Neque enim pertinent ad has quae narrat Dio 55, 26 agens de summa caritate anni 759: *ἄνδρες ὑπατευκότες ἐπί τε τοῦ σίτου καὶ ἐπὶ τοῦ ἄρτου κατέστησαν, ὥστε τακτὸν ἑκάστῳ πιπράσκεσθαι· ἐπέδωκε μὲν γὰρ καὶ προῖκα ὁ Αὔγουστος τοῖς σιτοδοτουμένοις τοσοῦτον ἕτερον ὅσον ἀεὶ ἐλάμβανον*, et in

universum, quamquam et ipse potissimum famem a. 759 respicit. Suetonius Aug. 41: *frumentum quoque in annonae difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est tesserasque nummarias duplicavit.* Nam frumentum publicum sive fixo pretio plebi distribuebatur sive nullo (id quod verum esse post alios docuit Otto Hirschfeld Philologi a. 1870 p. 13, errores a me aliquando commissos recte emendans), annonae difficultas non plebem gravat quae frumentum accipit, sed rem publicam. Agitur igitur his locis de annonae caritate ita sublevata, ut frumentum pretio iusto leviore ex horreis principis in urbe emendum proponeretur, interdum adeo ab accipientibus pretium nullum exigeretur. Nam in frumentum gratuitum etsi civibus Romanis urbanis ad annum usque 752 ius fuit omnibus exceptis senatoribus equitibusque Romanis, post eum annum parti eorum longe maximae, eo solo nequaquam annonae satis provisum erat. Ut mittam in ea re etiam peregrinorum in urbe degentium adeoque servorum necessario rationem habendam fuisse, frumentationes civiles non ita comparatae erant, ut iis solis domus sustentarentur, sed plerasque earum propter liberos servorumque familias ab annona pependisse rerum memoria luculenter ostendit. Cui ingravescenti quomodo opitulati sint principes, aliquatenus ex supra adlatis locis apparet, quibus addi potest quod habet Dio 53, 2 ad a. 726: *τῷ πλήθει τετραπλάσιον τὸν σῖτον ἔνειμε*, nam id frumentum si gratis divisum esset, sine dubio Augustus inter liberalitates non omisisset. Nec mihi videtur defendi posse, quod post alios defendit Hirschfeldius l. c., tesseras nummarias uno loco supra citato inventas (iam enim explosae sunt Bergkii nugae artificiosae, quibus tesseras eas huic indici 3. 10 male intrusit) ipsas esse frumentarias saepe memoratas, sed quod nomen indicat res quoque flagitat, frumentum quatenus gratis ministrabatur, divisum esse datis tesseris frumentariis, quatenus venibat leviore pretio, datis nummariis. Scilicet qui rebus praeerat cum constituisset, quantum frumenti quo pretio ita venumdare placeret, admissionis ad hanc liberalitatem et mensurae officia discreta fuisse apparet, ut qui illam expeterent recepto nomine et pretio soluto, interdum etiam remisso tesseram acciperent et per eam ex horreis frumentum. Hoc ita factum esse, ut singulis annis eadem fere frumenti quantitas eodem pretio veniret, et per se rationem habet et eo commendatur, quod in tributis de suo solvendis Augustus similem rationem secutus est (v. ad 3, 40) et inde colligitur, quod extra ordinem, sive necessitatis causa sive ob publicam laetitiam, tesserae nummariae duplicantur vel quadruplicantur. Hoc tantum nomine frumentationes gratuitae et frumenti venditio modo dicta coniunctae fuerunt, quod utrumque negotium Caesar per eosdem perfecit, id quod clare enuntiat Dio verbis supra citatis, sed etiam clarius ex universa rerum condicione intellegitur. Nam curae annonae sine dubio pars facillima negotium fuit certae quantitatis frumenti certis hominibus gratis subministrandae; at ut reliquis magnae urbis incolis frumentum semper suppeteret iusta quantitate et iusto pretio, ea deorum cura iam principis facta supra hominem erat

et, si omnino perfici poterat, res plane divina. *Magna quondam sterilitate*, Suetonius ait c. 42 respiciens ut videtur ipsius anni illius 759 gravissimam annonam, *ac difficili remedio, cum venalicias et lanistarum familias* (cf. Dio 55, 26) *peregrinosque omnes exceptis medicis et praeceptoribus partimque servitiorum* (cf. Dio l. c.) *urbe expulisset, ut tandem annona convaluit, impetum se cepisse scribit frumentationes publicas* (iis hoc certe loco utrumque genus tam gratuitae quam leviore pretio admensae videtur significari) *in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret, neque tamen perseverasse, quia certum haberet post se per ambitionem quandoque restitui: atque ita posthac rem temperavit, ut non minorem aratorum ac negotiantium quam populi rationem deduceret.* Hoc dubium non est Augustum ubi curae annonae in indice meminit, multo magis quam de frumentationibus publicis de hac frumenti provisione urbica cogitavisse.

LAT. 1, 35 36 Con[*sulatum tum dat*]um annuum e[*t perpetuum non* | *accepi*].
GR. 3, 9 10 *Ὑπατείαν τέ μοι τότε δι[δ]ομένην καὶ* | *ἐ[π]ιαύσιον κα[ὶ δ]ι[ὰ] βίου οὐκ ἐδεξάμην.*

Spatium quod vacat inter CON et VM litterarum c. XIII vocabulum *mihi*, quo ducit interpretatio, ut tolleretur coegit.

Dio l. c. cum narret famem illam a. 732, propter quam Augusto dictatura et cura annonae oblatae sunt, vulgo visam esse inde accidisse, *ὅτι μὴ καὶ τότε ὑπατεύοντα τὸν Ἀύγουστον ἔσχον* (continuarat scilicet consulatus per annos 723—731), verisimile est, quod hoc loco Augustus scribit, rerum scriptores expressim non habent, consulatum annuum perpetuumque ei oblatum ad ipsas illas turbas anni 732 pertinere, cum praesertim tria haec capita coniuncta in indice legantur. Oblatus est autem Augusto consulatus cum annuus tum perpetuus omnino eadem ratione, qua tribunicia potestas ei permissa est a. 718 perpetua, ab a. autem 731 etiam annua, nempe ut anni eius numerarentur (*Staatsrecht* 2 p. 772 cf. p. 836). — Diversum est quod ait Velleius 2, 89 hoc tantum ab Augusto impetrari potuisse, ut consulatus usque ad undecimum continuaret, et plenius Dio exequitur scribens (54, 6. 10) in annos 733 et 735 tamquam consule designato Augusto consules singulos tantum creatos esse, ut id ipsum etiam in a. 734 factum esse non sine causa suspicere. Suetonius quoque c. 26 consulatus multos sibi delatos Augustum ait recusasse. — Quod ait idem Dio 54, 10 Augustum a. 735 potestatem consularem in vitae tempus admisisse, non solum diversum est (nam potuit consulatum recusare, recipere consularem potestatem), sed totum ficticium; nam et omnes ceteri auctores id ignorant et ipse Augustus significans 2, 5. 8 secundi et tertii census causa consulare imperium se suscepisse eo praeterea se usum esse negat (*Staatsrecht* 2 p. 836).

CAPVT VI

LAT. 1, 37 [*Consulibus M. Vinucio et Q. Lucretio et postea P.*] et Cn. L[*entulis*
38 *et tertium* | *Paullo Fabio Maximo et Q. Tuberone senatu populoq*]u[*e*
39 *Romano consentientibus*] . . . . . (*reliqua perierunt*)

GR. Ancyr. 3, 11 Apoll. 1, 1–6 Ὑπάτοις Μάρκῳ Οὐινουκίῳ καὶ Κοίντῳ Λ[ου-
12 κρ]η[ίῳ] | καὶ μετὰ τα[ῦ]τα Ποπλίῳ καὶ Ναίῳ Λέντλοις καὶ
13 14 | τρίτον Παύλλῳ Φαβίῳ Μαξίμῳ καὶ Κοίν[τῳ] Του|βέρωνι §
τῆς [τε σ]υνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τοῦ (*sic Apoll.*, τῶν *Ancyr.*)
15 16 | Ῥωμαίωνόμολογ[ο]ύντων, ἵν[α ἐπιμε]λητὴς | τῶν τε νόμων
17 καὶ τῶν τρόπων ἐ[πὶ τῇ με]γίστῃ | [ἐξ]ουσ[ίᾳ] [μ]ό[νο]ς χειρο-
18 τονηθῶ §; ἀρχὴν οὐδε[μ]ί[αν πα]ρὰ τὰ πά[τρ]ια ἔ[θ]η διδο-
19 20 μένην ἀνεδε|ξάμην· § ἃ δὲ τότε δι' ἐμοῦ ἡ σύνκλητος οἰ|κο-
21 νομεῖσθαι ἐβούλετο, τῆς δημαρχικῆς ἐξο[υ]|σίας ὧν ἐτέλε[σα].

Latina praeter pauca vestigia cum interierint, Graeca utriusque exemplaris adiumento integra fere recuperari potuerunt, quamque in secunda editione proposui lectionem nactus Apolloniensis monumenti exemplar Waddingtonianum, eam lapis ita confirmavit, ut ostenderet v. 14 post ΤΗΣ propter spatium requiri ΤΕ, item 15 ex supplementis antea propositis *ὁμογνωμονούντων* et *ὁμολογούντων* hoc verum esse, 16 sic esse ΤΡΟΠΩΝ_//////ΓΙΣΤΗΙ, unde adiectum est quod suggesserat antea Kaibelius *ἐπί*, denique 17 cum sic sit //ΟΥΣ////Ο//Σ////ΟΤΟΝΗΘΩΙ, inter *ἐξουσίᾳ* et *χειροτονηθῶ* deficere vocabulum quinque fere litterarum, fortasse quod proposuit Domaszewskius, ΜΟΝΟΣ. — Duo exemplaria Graeca ubi discedunt v. 14, Apolloniense praestat Ancyrano; nam *ὁ δῆμος ὁ Ῥωμαίων* unice verum esse monuerunt amici, id autem quod substituit quadratarius Ancyranus *ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων* soloecismum apud deterioris ordinis scriptores passim obvium.

Ante editionem indicis meam secundam (cf. *Staatsrecht* 2, 686) et ego et priores omnes neque aliter Bergkius credideramus agi hoc loco de cura morum ab Augusto admissa, et habebit id excusationem, cum de ea re summus consensus sit apud auctores. Iam vero quidquid ii tradunt, Augustum ipso teste constat eam oblatam non accepisse, neque aliud caput extat in universo indice, quod gravitate sua hoc vincat simulque ostendat, quantam labem vulgaris de Augusto memoria passa sit. — Sunt autem quae de Augusti cura morum praeterea accepimus fere haec. Horatius in carmine 4, 5 (v. 22), quod scriptum videtur a. 740: *mos et lex maculosum edomuit nefas* (cf. 4, 15, 9); item in epist. 2, 1 (v. 1) eiusdem fere temporis: *cum . . . res Italas armis tuteris, moribus ornes, legibus emendes.* Ovidius metam. 15, 833: *legesque ferat iustissimus auctor exemploque suo mores reget*; trist. 2, 233: *urbs te et legum lassat tutela tuarum et morum, similes quos cupis esse tuis.* Sueton. Aug. 27: *recepit et morum legumque regimen aeque perpetuum* (ac

potestatem tribuniciam), *quo iure, quamquam sine censurae honore, censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus.* Dio ad a. 735 (54, 10): *ἐπιμελητής τε τῶν τρόπων ἐς πέντε ἔτη παρακληθεὶς διεχειροτονήθη καὶ τὴν ἐξουσίαν τὴν μὲν τῶν τιμητῶν ἐς τὸν αὐτὸν χρόνον, τὴν δὲ τῶν ὑπάτων διὰ βίου ἔλαβεν,* item ad a. 742 (54, 30): *ὁ Αὔγουστος, ἐπιμελητής τε καὶ ἐπανορθωτὴς τῶν τρόπων ἐς ἕτερα πέντε ἔτη αἱρεθείς, καὶ γὰρ τοῦτο κατὰ προθεσμίας, ὥσπερ που καὶ τὴν μοναρχίαν, ἐλάμβανε.* — Ex his testimoniis poetae aequales vel aetate suppares cum indice facile conciliantur; nam ita alludunt ad curam legum morumque, ut re eam Caesar exercuerit, nimirum sub titulo tribuniciae potestatis, ut ipse Augustus ait, neque impediunt, quominus extraordinarium honorem repudiarit. At Suetonius et Dio et inter se pugnant et multo magis cum indice, ita ut quid in eorum narrationibus veri lateat vix agnoscas. Curam perpetuam fuisse Suetonius contendit, Dio datam esse Augusto a. 735 in quinquennium, deinde a. 741 in alterum quinquennium, de medio tempore parum sollicitus; iam Augustus scribit eam curam ter sibi oblatum esse, primum a. 735 semestri secundo, iterum anno sequente, tertium a. 743; in quibus annis elementa quaedam narrationis Cassianae deprehenduntur. Etiam quod scribit Suetonius eius curae iure ter eum censum egisse, quodammodo coniunctum videtur esse non solum cum tribus censibus vere ab Augusto factis (v. p. 36), sed item cum trina illa curae oblatione; sed id ut largiamur, ad veritatis modicum auctor admiscuit gravissimos errores: nimirum census illos egisse se ipse Augustus scribit aut consulem aut iure consulari, neque ullo modo eos agere potuit iure curae quam non accepit, neque denique censuum trium anni 726. 746. 767 ad curam legum ullo modo pertinent. — His igitur missis posteriorum commentis duo sunt quae restant expendenda, scilicet qualis esse debuerit potestas illa contra patrios mores constituta et propterea ab Augusto repudiata, et quaenam occasio fuerit eius offerendae. Sed illum locum cum alibi satis tractarim (*Staatsrecht* 2[2] p. 686seq.) ostenderimque eam a decemviratu dictaturaque legis Valeriae Sullana similibusque potestatibus nomine magis quam re differre, alter superest de causa offerendi. Eam sic fere tradidit Dio (54, 10; cf. 53, 24, item Velleius 2, 91. 92 et Suetonius Aug. 19). Anno u. c. 735 Augusto etiam tum in Asia morante cum M. Egnatius Rufus in locum Augusti qui recusarat consulatum petens turbas suscitasset neque a caedibus abstinuisset consiliumque adeo ipsius Augusti interficiendi cepisse diceretur, urbis autem propter haec consilia commotae custodiam a senatu mandatam unus qui tum erat consul C. Sentius tamquam tanto negotio impar recusasset, Augustus primum in itinere ei rei providit ut potuit, deinde die Oct. 12 Romam reversus quietem rei publicae reddidit. Ea igitur occasione, scilicet anni 735 semestri secundo, senatus populusque petierunt, ut sub curae legum morumque vocabulo extraordinarium imperium susciperet. Repetitae anno proximo preces explicatione non indigent; post octo annos vero cur tertium prolatae sint,

annales qui supersunt non aperiunt. E contrario quo spectet id quod ait Augustus potestate tribunicia usum effecisse se, quidquid senatus per honorem illum parum civilem effici voluisset, satis declarant. Nam opus esse cum morum correctione tum novis legibus cum senatus censuisset, Dio primum ad ipsum a. 735 narrat senatum legibus ab Augusto ferendis nomen iam tum indidisse Augustarum et in eas paratum fuisse iurare (*τοὺς νόμους τοὺς γραφησομένους ὑπ' αὐτοῦ Αὐγούστους ἐκεῖθεν ἤδη προσηγόρευον καὶ ἐμμενεῖν σφίσιν ὀμόσαι ἤθελον*), deinde a. 736 (54, 16) leges latas esse, quae ambitum illum aliasque pravas consuetudines tollerent, de ambitu, sumptuariam, de maritandis ordinibus. Eae leges cum ab ipso nominentur et propterea constet non per alios eas rogatas esse, plebiscita fuerint necesse est lata iure tribuniciae potestatis, id quod aliunde quoque confirmatur (*Staatsrecht* 2 p. 846). Corpus autem legum Iuliarum anni potissimum 736 decemvirum XII tabulis Corneliisque legibus dictatoris Sullae iure meritoque comparatur, quasque laudes Augustus hic ipse sibi tribuit, posteri quoque ratas habuerunt.

Publicorum morum correctionem, quae postea quoque pars eaque maxima mansit curarum principis (Suetonius Tib. 42 cf. 33; Tacitus ann. 2, 33), quomodo eodem tempore Augustus executus sit, mox dicetur ad 2, 1; nam quae de ea re tradita accepimus, cum relationibus de senatus lectione imperante Augusto contaminata simul examinentur necesse est.

Rerum de quibus diximus memoria etiam in nummis reperitur. Extat denarius triumviri monetarii L. Caninii Galli exhibens subsellium et virgam tribunorum plebis[1]) cum adscriptione *Augustus tr. pot.* (Cohen Aug. n. 382), quem aliunde constat cusum esse inter a. 734 (nam adsunt in aliis eiusdem magistratus nummis signa a Parthis recepta) et a. 739 (nam eo fere eiusmodi nummi cudi desierunt); accedunt aliorum duorum P. Stolonis (Cohen n. 438—440. 442) eiusdem fere aetatis et L. Mescinii Rufi triumviri a. 738 vel 739 (Cohen n. 461. 464) ad caput Augusti praeter consuetudinem adscribentes *Caesar Augustus tribunicia potestate* similiterve. Ili nummi et imprimis Galli cum tempore satis distent tam ab anno potestatis tribuniciae acceptae quam ab eo, quo annua facta est 731, sine dubio id illustrant quod caput hoc indicis arguit, scilicet summa et difficillima negotia recusato extraordinario honore Augustum maxime per a. 735 et 736 perfecisse iure tribuniciae potestatis.

LAT. *perierunt.*

GR. 3, 21 22 [Κ]*αὶ ταύτης αὐτῆς τῆς ἀρχῆς* | *συνάρχοντα* [*αὐτ*]*ὸς ἀπὸ τῆς* 23 *συνκλήτου π*[*εν*]|*τάκις αἰτήσας* [*ἔλ*]*αβον.*

Collegas in tribunicia potestate Augustus accepit primum Agrippam in quinquennium anno 736 vel paullo post (Dio 54, 12; Vellei. 2, 90; Tacitus ann. 3,

[1]) Egregie eum nummum illustravit Borghesius opp. 2, 122 seq.

56), iterum in quinquennium anno 741 (Dio 54, 12. 28), deinde Agrippa a. 742 defuncto Tiberium in quinquennium a. 748 (Dio 55, 9; Velleius 2, 99; Suetonius Tib. 9. 10. 11), iterum in decennium a. 757 (Dio 55, 13; cf. Velleius 2, 103; Tacitus ann. 1, 3. 10), denique aut in decennium (minui enim spatium non potuit) aut tempore non praefinito a. 766 (Dio 56, 28). Suetonius tamen Tib. 16 refert a. 757 Tiberio tribuniciam potestatem renovatam esse in quinquennium. Alterum locum Aug. 27, ubi sic traditur: *tribuniciam potestatem perpetuam recepit, in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptavit*, sanum esse nego; quamquam erunt fortasse qui ita defendent duos collegas Augustum cooptavisse, utrique autem honorem per singula lustra prorogasse. Verisimilius est quaedam excidisse sic fere redintegranda: *semel atque iterum* [*M. Agrippam, ter? Tiberium*] *per singula lustra collegam sibi cooptavit*, quamquam si ita Suetonius scripsit, utique eo nomine erravit, quod Tiberium semel certe oportet accepisse potestatem hanc aut in decennium aut in perpetuum[1]. Pro Dione contra Suetonium hoc stat, quod renovatae potestatis a. 762 nulla memoria superest. Dubitatio tamen remanet, de anno 757 uter auctor errarit; potestque fieri, ut Tiberius a. 757 tribuniciam potestatem acceperit in quinquennium, a. 762 aut in decennium aut tempore non praefinito. Utut est, recte Augustus ait ad eum diem, quo haec scripsit aestate a. 767, quinquies collegam tribuniciae potestatis a senatu se accepisse. Cooptationis vocabulo minus proprie Suetonius usus est, cum vere Augustus collegam a senatu petierit (v. *Staatsrecht* 1 p. 212).

CAPVT VII

LAT. *perierunt.*

GR. 4, 1 2 *Τριῶν ἀνδρῶν ἐγενόμην δημοσίων πραγμάτων | κατορθωτὴς συνεχέσιν ἔτεσιν δέκα.* §

Hinc omnino Suetonius Aug. 27: *Triumviratum rei publicae constituendae per decem annos administravit.* Triumviratus prior teste tabula Colotiana a die 27 Nov. 711 continuatus est ad d. 31 Dec. 716, posterior a d. 1 Ian. 717 ad 31 Dec. 721. Eo autem die, quem hic indicat, num vere triumviratum deposuerit, disputavi *Staatsrecht* 2 p. 698.

LAT. 1, 44 45 [*Princeps senatus fui usque ad eum diem, quo scrips*]eram [*haec, | per annos quadraginta*].

GR. 4, 2 3 4 5 *Πρῶτον | ἀξιώματος τόπον ἔσχον τῆς συνκλήτου ἄχρι | ταύτης τῆς ἡμέρας, ἧς ταῦτα ἔγραφον, ἐπὶ ἔτη τεσ|σαράκοντα.* §

[1]) Bergkius p. 31 supplet diverse: *semel atque iterum* [*per decennium, ter*] *per singula lustra collegam sibi cooptavit* et, ne Suetonius secum ipse pugnet, in vita Tiberii c. 16 pro eo quod traditur *data rursus tribunicia potestas in quinquennium* substituit *in decennium.*

Princeps senatus factus est Augustus in censu a. 726 (Dio 53, 1); unde ad aestatem a. 767, qua haec Augustus scripsit, anni numerantur quadraginta integri 727—766, non computatis primo et extremo.

LAT. 1, 45 46 [*Pontifex, augur, quindecimviru*]m sacris [*faciundis,* | *septemvirum epulonum, frater arvalis, sodalis Titius, fetiali*]s fui.

GR. 4, 5 6 7 Ἀρχιερεύς, § αὔγουρ, § τῶν δεκαπέντε ἀν|δρῶν τῶν ἱεροποιῶν, § τῶν ἑπτὰ ἀνδρῶν ἱεροποι|ῶν, § ἀ[δε]λφὸς ἀρουᾶλις, § ἑταῖρος Τίτιος, § φητιᾶλις. |

Ex Graecis verbum substantivum videtur excidisse.

Quod deinde mansit in re publica Romana, ut princeps adscriberetur collegiis sacerdotum omnibus, quae quidem non infra eius fastigium essent (*Staatsrecht* 2, 1047 seq.), id ab Augusto coepit. Quando is singula ceperit, videamus secundum ordinem commentarii, qui non temporis est, sed dignitatis (cf. Marquardt *Staatsverwaltung* 3 p. 214).

Pontifex a Caesare dictatore creatus est Octavius a. 706 post pugnam Pharsalicam (Nicolaus Damascenus § 4: *ἐνεγράφη εἰς τὴν ἱερωσύνην εἰς τὸν Λευκίου Λομιτίου τόπον τετελευτηκότος καὶ ὁ δῆμος μάλα προθύμως ἐχειροτόνησε. καὶ ὁ μὲν ἅμα τῇ μεταλλαγῇ τῆς ἐσθῆτος καὶ τῇ καλλίστῃ τιμῇ κοσμηθεὶς ἔθυε.* Cicero Phil. 5, 17, 46. Velleius 2, 59. Drumann 4, 250 n. 74), unde in nummis Octavii quos primos cudit saepe pontificatus invenitur.

Augur quando factus sit, quaesiverunt Drumannus (4, 250) et Borghesius (dec. num. 7, 7 opp. 1, 353); videtur autem id sacerdotium cepisse a. 713 vel 714. Nimirum cum cusi sunt nummi sub nomine eius et M. Antonii hunc augurem, ipsum pontificem appellantes, alii tertio nomine nullo addito (Cohen Ant. et Octav. 2), alii adiecto nomine M. Barbatii (l. c. n. 7. 8), L. Gellii (l. c. n. 9. 10), M. Nervae (l. c. n. 6), auguratu caruit; ex his autem certe Barbatii et Nervae facti sunt a. 713. Nam quod ex his L. Gellius ad Antonii caput simpulum pontificale, ad caput Caesaris lituum auguralem adpingit, inde non recte colligemus utrumque duo sacerdotia habuisse, sed vel ex lubitu monetarii vel operarum incuria signa permutata esse. Item si vere L. Barbatius ad Caesaris caput lituum, nullum simile signum ad Antonii apposuit, nihilo minus lituum illum magis ad Antonium referemus quam cum Borghesio (dec. num. 7, 7 opp. 1, 353) ad auguratum Caesari attributum; sed ipsa res nititur sola tabula Morelliana (Anton. 2, 8), cum recentiores omnes (Cohen Barbat. 1 cet.) eum nummum sine lituo repraesentent. Ab altera parte extant aurei inscripti *C. Caesar cos. pont. aug.* (Cohen Caes. et Aug. 2) et *C. Caesar imp.* IIIvir *r. p. c. pont. aug.* (Cohen Ant. et Aug. n. 3) cusi ante quam imperatoris praenomen Caesar filius adscivit, id quod sumpsit a. 714 (*Staatsrecht* 2 p. 744). Reperitur praeterea lituus ad caput Caesaris in aureo Q. Voconii Vituli

(Cohen Aug. 547 = Vocon. 4); item in manu statuae equestris, cui subiacet prora, in aureo inscripto *Caesar* IIIvir *r. p. c.* (Eckhel 6, 74; Cohen Aug. 245), qui nummi eiusdem fere aetatis sunt, accuratius autem adhuc definiri non potuerunt. Posteriore tempore auguratus diserta mentio nulla reperitur in nummis Augusti, nisi quod in iis, quos signavit L. Pinarius Scarpa a. 724—727, nominatur una cum pontificatu (Cohen Aug. 125. 500; Eckhel 6, 82). Etiam nummi inscripti *imp. Caesar divi f.* IIIvir *iter. r. p. c. cos. iter. et ter. design.* (Cohen Aug. 91) cusi inter a. 717 et 720 exhibent simpulum et adspersorium quae dici solent signa pontificatus, item urceum et lituum signa auguratus (Borghesi opp. 1, 354). Simpulum lituumque solos habent nummi complures (Cohen Aug. 339. 414. 460), lituum solum omissa pontificatus indicatione nummi n. 2. 3. 31. 32 laterculi Coheniani.

Ad quindecimviratum sacris faciendis recte rettulit Borghesius (l. c. 1, 354) nummum cum tripode inscriptum *imp. Caesar divi f.* IIIvir *iter. r. p. c. cos. iter. et tert. desig.* (Cohen Iul. 60; Aug. 88; R·P·C saepe omissum a descriptoribus cernitur in ipso tripode), quem signatum esse patet inter a. 717 et 720. Idem sacerdotium memoratur infra 4, 35, ubi agitur de ludis saecularibus.

Ad septemviratum quando Augustus pervenerit, parum constat; nam ex fastis Praenestinis d. Ian. 4 nihil effici et ad Borghesium adnotavi opp. 1, 353 et ostendi in C. I. L. 1 p. 383. Nummum (Cohen Aug. 126. 127) habentem ab una parte caput Caesaris, ab altera discum rotundum magnum cum adscriptione *imp. Caesar divi f.* huc rettulit Borghesius (opp. 1, 354), discum eum non clupeum indicans, sed pateram sacerdotii eius insigne; sed ea interpretatio parum certa est. At C. Antistii Regini nummum cusum a. 738/9 (v. *röm. Münzwesen* p. 742) cum simpulo lituo tripode patera optime idem Borghesius (opp. 1, 347 sq.) ostendit Augustum significare receptum in *sacerdotum quattuor amplissima collegia*, ut paullo post 2, 17 appellantur ab ipso Augusto; itaque ante hunc annum etiam epulo factus sit necesse est. Eadem quattuor sacerdotia redeunt in titulo arcus Ticinensis (C. I. L. V, 6416) sic: *imp. Caesari divi f. Augusto, pontific. maximo, patri patriae, aug., xvvir. s. f.,* VIIvir. *epulon.* Eodem autem ordine observandum est sacerdotum collegia ubivis recenseri et in commentario et in titulo Ticinensi et in nummis supra citatis omnibus, ut etiam ubi non nominantur, signa eorum eodem ordine collocata inveniantur, nisi quod soli denarii Scarpi auguratum praeponunt pontificatui. Cf. de ordine praeterea quae collegit Marquardt in enchir. 4, 166.

Inter arvales Augustum sententiam tulisse per tabellam a. 767 d. Mai. 14, item eodem anno d. Dec. 15 in eius defuncti locum alium creatum esse acta eius anni ostendunt (p. XXIX. XXX Henzen). — Titiorum collegio Augustum adscriptum fuisse primum ex commentario innotuit. — Pro fetiali Caesarem a. 722 bellum indixisse Cleopatrae memoriae prodidit Dio (50, 4). — Propter tria haec sacerdotia, quae exoleta et aetate Ciceronis fere abolita inter caeri-

monias alias obsoletas (Suet. Aug. 31) ab Augusto instaurata videntur esse et quodammodo resuscitata, conferri poterit, quod Nero Caesar Germanici f. adulescentulus in titulo Orell. 2366 = C. VI, 913 appellatur *flamen Augustalis, sodalis Augustalis, sodalis Titius, frater arvalis, fetialis, quaestor.*

CAPVT VIII

LAT. 2, 1 Patriciórum numerum auxí consul quintum iussú populi et senátús. §

GR. 4, 8 9 10 *Τῶν* [*παι*]*ρικίων τὸν ἀριθμὸν εὔξησα* (sic) *πέμπτον* | *ὕπαι*[*ος ἐπιτ*]*αγῇ τοῦ τε δήμου καὶ τῆς συνκλή*|*του.* §

In Graecis pro *iussu* nec *γνώμῃ* fuit, quod Kirchhoffius, nec *δόγματι*, quod Bergkius proposuit, sed cum supersit ΑΓΗΙ (ΑΤΗΙ Perrot), scribendum esse *ἐπιταγῇ* vidit Domaszewskius, idque solum tam populo aptum est quam senatui.

Anno u. c. 725, quo consul fuit quintum, Caesar patriciorum numerum auxit (Tac. ann. 11, 25. Dio 52, 42). Fecit id tabula teste *iussu populi et senatus*, scilicet ex lege Saenia (Tac. l. c.), quam tulit sine dubio L. Saenius consul per menses Nov. et Dec. a. 724, et ex senatus consulto a Dione qui de lege tacet commemorato (l. c.: *τῆς βουλῆς οἳ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι*), quo de ea re ad legem illam perficienda cavebatur; nam post legem latam demum factum esse senatus consultum neque, quae sententia est Zumptii, legem latam esse ex hoc s. c. ostendit tabula Ancyrana. Consentaneum autem est lege lata a. 724 extremo Caesarem ad patricios creandos non accessisse ante aestatem a. 725, quo tempore rediit Romam. — Ceterum quod scribit Dio (49, 43) antea iam a. u. c. 721 patricios a Caesare adlectos esse, haud scio an non recte tradiderit. Refragatur enim ipse Augustus, qui secundum huius commentarii institutum de eiusmodi negotii repetitione tacere non debuit; refragatur Tacitus l. c., ubi Claudium scribit patricios legisse paucis iam reliquis familiarum vetustarum, *exhaustis etiam, quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere*; refragatur denique ipsa res. Nam initiis principatus apparet ipso iure creationem hanc principi non esse permissam, sed opus fuisse ad eam rem privilegio, qualia fuerunt commemorata l. c. a Tacito, nec patricii facti videntur esse a principibus ante Claudium nisi duabus illis creationibus institutis ex legibus Cassia et Saenia. Claudius primus fuit, cui patriciorum creatio non principatus iure, sed tamquam censori permitteretur, eaque ordinatio mansit, donec imperante Domitiano censurae ius perpetuum cum principatu coniunctum est (*Staatsrecht* 2 p. 1046). Quod Dio videtur ignorasse suaeque aetatis consuetudinem, qua imperator quot vellet quandoque vellet patricios facere poterat, male rettulisse ad aetatem Augusti. Bergkius quod statuit a. 721 paucas tantum gentes adlectas esse videri et minus

legitime et propterea eam adlectionem Augustum in indice praetermisisse non probabit, qui gravissimam rerum interpolationem apud Dionem recte perspexerit.

LAT. 2, 1 2 Sena|tum ter légi.

GR. 4, 10 [*Τὴν σύ*]*γκλητον τρὶς ἐπέλεξα.* §

Augustus cum scribat senatum se legisse ter annis non adscriptis, rerum scriptores de senatus lectionibus ab Augusto institutis haec habent. Suetonius Aug. 35: *senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba (erant enim super mille et quidam indignissimi et post necem Caesaris per gratiam et praemium adlecti, quos orcivos vulgus vocabat) ad modum pristinum et splendorem redegit duabus lectionibus, prima ipsorum arbitratu, quo cir circum legit, secunda suo et Agrippae, quo tempore existimatur lorica sub veste munitus ferroque cinctus praesedisse, decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Cordus Cremutius scribit ne admissum quidem tunc quemquam senatorum nisi solum et praetemptato sinu.* Ibidem c. 37: *nova officia excogitavit ... triumviratum legendi senatus et alterum recognoscendi turmas equitum, quotiensque opus esset.* Uberior longe narratio est Dionis. Primum (52, 42 cf. 53, 1) censuram a. 725 et 726 enarrans refert ex senatoribus, qui super mille tum essent indignis multis per bella civilia adsumptis, praeter LX qui sponte cessissent, aliorum CXL, qui coacti idem fecissent, nomina publice proposita esse. Deinde ad a. 736 (54, 13. 14) senatum primum electione quadam et sortitione, deinde cum eae parum procederent, ipso legente ad sescentorum numerum redactum esse[1]). Tertium senatum lectum esse a. 743 (54, 35), quartum a. 757 per tresviros: *διαλέξαι*, Dio ait (55, 13), *τὴν γερουσίαν αὖθις ἠθέλησε· καὶ δέκα βουλευτὰς οὓς μάλιστα ἐτίμα προβαλόμενος τρεῖς ἀπ' αὐτῶν ἐξετασταὶς ἀπέδειξεν, οἷς ὁ κλῆρος ἔλαχε.* Ita Dio quoque tenuit senatus lectionem lege publica partem fuisse censurae: nam tres census quos statuit (de quibus dictum est p. 36) annorum 726. 735. 743 aperte coniuncti sunt cum lectionibus senatus a. 726. 736. 743; ad quartam vero cum adnotet tum censum nullum actum esse, eam non obscure significat extraordinariam fuisse. Ad ipsam rem quod attinet, quae de lectione a. 725/6 uterque auctor habet (nam Suetonii c. 35 ad hanc referendum esse patet collato Dione), proba et fida videntur esse; e contrario lectio a. 743 verbo tantum a Dione commemorata ficticii census pars est et cum eo concidit. At quae ad a. 736 et 757 a Dione narrantur, et a Suetonio aliquatenus confirmantur (nam triumviratus senatus legendi respicit sine dubio ad narrationem secundam) et ipsa ita comparata sunt, ut pro commentis

[1]) Quod deinde a. 741 Augustus curam egit, adulescentes rebus apti et senatorium clavum habentes in curiam adscribi ne recusarent (54, 26), pro recensu senatus accipi non debet.

haberi non debeant, quamquam ipse alibi (*Staatsrecht* 2, 905) habui. Immo prior et potior (nam altera parum effectum esse ipse Dio significat) sine dubio pars est gravissima earum rerum, quas ut Augustus perficeret, senatus ei a. 735 et 736 curam legum morumque obtulit quasque mox tribunicio iure contentus perfecit (vide supra p. 28); neque ei gestioni solae leges latae sufficiunt, sed requiritur item morum correctio aliqua insignis et severa. Itaque has duas senatus lectiones a. 736 et 757 qui inter tres numerat, statuat necesse est census populi a. 746 et 767 ad senatum non pervenisse. Magis tamen crediderim cum tribus censibus a. 726. 746. 767 tres senatus lectiones institutas esse; nam legitime senatus lectio re certe, quamquam non iure pars est census populi Romani (*Staatsrecht* 2^2 p. 415) eumque praecedit (l. c. p. 415), suadetque idem quae in indice statim sequitur trium censuum plena enarratio. Quam ob rem verisimile est Augustum a. 736 et 757 senatum ita purgasse, ut a legitimo senatus legendi vocabulo abstineret, hos autem recensus extra ordinem factos in indice praeteriisse propter odium inde generatum.

LAT. 2, 2 et In consulátú sexto cénsum populi conlegá M. Agrippá égí.
3 § | Lústrum post annum alterum et quadragensimum féc[*i*]. §
4 Quó lústro civi|um Románórum censa sunt capita quadragiens
5 centum millia et sexa|g[*i*]nta tria millia. [§]

GR. 4, 10 11 12 13 14 15 16 Ἔκτον ὕπα|τος τὴν ἀπ[ο]τείμησιν τοῦ δήμου συνάρχον|[τ]α ἔχων Μάρκον Ἀγρίππαν ἔλαβον, ἥτις ἀπο|[τείμη]σις μετὰ [δεύτερον] τεσσαρακοστὸν ἐνιαυ|τὸν [σ]υνε[κ]λείσθη. Ἐν ᾗ ἀποτειμήσει Ῥωμαίων | ἐτει[μήσ]α[ντο] κεφαλαὶ τετρακό[σιαι ἑ]ξήκον|τα μυ[ριάδες καὶ τρισχίλιοι].

In principio Latinorum *et* abundat; ego deleri iussi, Bergkius transponi post *egi*. In Graecis adhuc edebatur ἐγένετο pro eo quod est συνεκλείσθη, defuerunt extrema inde a κεφαλαί.

De censibus ab Augusto actis cum sinceram et intemeratam relationem in indice ipsius habeamus, non omittenda sunt quae de iis annales tradiderunt quique ex annalibus pendent, quoniam faciunt ad iustam auctorum existimationem. Et Suetonius quidem quod scribit c. 27: *recepit et morum legumque regimen ... perpetuum; quo iure, quamquam sine censurae honore, censum tamen populi ter egit primum ac tertium cum collega, medium solus*, dempto principio de cura legum, quam supra vidimus Augustum recusavisse, verum tradit, pendens, ut videtur, ex ipso indice. At longe alia ratio est Dionis. Eum si sequimur, Augustus primum populi censum egit per a. 725. 726 (52, 42. 53, 1), iterum a. 735 una cum cura legum potestatem censoriam in quinquennium recepit (54, 10: ἐπιμελητής τε τῶν τρόπων ἐς πέντε ἔτη παρακληθεὶς διεχειροτονήθη, καὶ τὴν ἐξουσίαν τὴν μὲν τῶν τιμητῶν ἐς τὸν αὐτὸν χρόνον .... ἔλαβεν), tertium a. 742 (eo enim spectat quod scribit 54, 28

Augustum Agrippae cadaver adspicere noluisse *ὅτι τὰ τῶν τιμητῶν ἔπραττε* ipsam tamen narrationem improbans) et 743 (54, 35: *Ἄγγουσιος ἀπογραφάς — ὑπογραφάς* libri — *τε ἐποιήσατο πάντα τὰ ὑπάρχοντά οἱ καθάπερ τις ἰδιώτης ἀπογραψάμενος*); quartum a. 757 (55, 13), quem tamen pro censu habere ipse Augustus noluerit, nam lecto senatu censos esse eos solos qui in Italia habitarent et plus ducenta milia sestertium in bonis haberent: *καὶ ὅπως γε μὴ δόξειεν ὡς τιμητὴς αὐτὸ ποιεῖν ... ἀνθύπατον ἐξουσίαν πρός τε τὸ τέλος τῶν ἀπογραφῶν καὶ πρὸς τὴν τοῦ καθαρσίου ποίησιν προσέθετο.* Haec a vero ut longe recedunt, ita cur recedant intellegi potest; neque enim hic versamur in meris erroribus, sed in rerum interpolatione gravissima. Ter censum egisse Augustum Dio quoque ponit, sive a Suetonio edoctus sive aliunde; eamque ipsam ob causam a. 757 lustrum quidem neque tamen censum factum esse contendit sane quam perverse, ne ternarium numerum excederet. Census autem duo ficticii a. 735 et 742/3 aperte originem traxerunt ex cura morum, quam Dionem vidimus contendere ab Augusto bis receptam esse a. 735 et 742, eiusque erroris pars et sequela est curae eius ad censuram translatio. Hi census falsi expulerunt veros a. 746 et 767; primus remansit. Narrationem de quarto censu eatenus patet corruptam esse, quod census actus esse dicitur iure proconsulari non solum contra Augusti ipsius testimonium, sed etiam contra iuris publici rationem; ipsa autem sine dubio non magis ficticia est quam quae simul narrantur de senatu purgato (v. ad 2, 1), quamquam vera rei actae condicio ex turbata Graeci auctoris relatione parum perspicitur.

Primum censum Augustus egit teste Dione (52, 42, 5[3], 1) per annos 725 et 726. Lustrum conditum esse hoc anno Dio scribit confirmantque fasti Venusini (C. IX, 422) ad a. 726: *imp. Caesar* VI, *M. Agrippa* II *(cos.); idem censoria potest(ate) lustrum fecer(unt)*, et confirmat ipse Augustus, cum in censibus omnibus annum censurae non coeptae, sed finitae adscripserit. Censores qui facti sunt inter L. Gellium et Cn. Lentulum et Caesarem lustrum non fecisse post luculentum de censoribus saeculi VII commentarium Borghesii hodie omnes consentiunt; lustrum illud videtur fuisse LXIX, hoc LXX (*Staatsrecht* 2[2] p. 331). Anni qui interfuerunt inter lustrum a Gellio et Lentulo conditum et Augusti primum XLII quomodo computati sint, pendet ab anno lustri proxime praecedentis. Solet id adscribi ad a. 684; at res a. 683 vix ita ordinaris, ut eo censores illi inierint; quod si inierunt a. demum 684, ut videntur iniisse, magistratum deposuerunt sequenti. Et Livius quoque (per. 93) lustrum eo loco refert, ut ad a. 685 id pertinere appareat. Anni itaque XLII cum numerati sint ab a. 685 ad a. 726, apparet primum postremumque hic comprehensum esse. — *In consulatu sexto* Augustus ait lustrum se collegamque fecisse, *censoria potestate* fasti Venusini, recte et ille et hi; scilicet rediit Augustus more suo ad antiquissimam rerum ordinationem, quando sub regibus primisque consulibus res publica erat nec censores ulli creabantur, sed reges consulesve

eam rem procurabant lustraque condebant; censoris nomen aspernatus est utpote factionum certationibus nimis iactatum et senatui maxime invisum, quam ob rem etiam censoris perpetui munus oblatum sibi a. 732 non accepit (Dio 54, 2). Verisimile igitur est a. 725 lege lata ipsi et Agrippae utpote consulibus anni eius, quo lustrum condendum esset, censoriam potestatem datam esse. Eadem ratione census secundi et tertii causa, cum eo tempore consul non esset, consulare imperium ad id tempus ut sibi mandaretur effecit (*Staatsrecht* 2 p. 326). Collegam cum in secunda censura nullum habuisset, Tiberius, quocum tertiam communicavit, cum non magis consul esset, idem imperium lege de ea re lata accepit, scribitque Suetonius Tib. 21: *lege per consules lata ut* (Tiberius) *provincias cum Augusto communiter administraret simulque censum ageret.* Contra quod Dio quae Augustum pro censore anno 757 gessisse vult, cum gessisse credit iure proconsulari, commentorum eius longe infelicissimum est et vere ineptum.

Censa sunt a. 726 *capita quadragiens centum millia et sexaginta tria millia*, id est 4,063,000; pro quo numero apud interpretem Graecum, cum poni deberet *τετρακόσιαι ἑξ μυριάδες καὶ τριςχίλιοι*, leguntur *τετρακόσιαι ἑξήκοντα μυριάδες καὶ τριςχίλιοι*, id est 4,603,000, apud Eusebium autem (verba servavit Syncellus p. 593 Bonn. confirmantque versiones Hieronymi et Armeniaca p. 140. 141 Schoene) leguntur *μυριάδες υιζ΄ καὶ ͵δ*, id est 1,164,000. Scilicet alter vocabulum *sexaginta* male rettulit ad praecedentia *quadragiens centum millia*, quasi esset *quadragiens et centum sexaginta tria millia*, alter autem, sicut recte observavit Zumptius maior (*über den Stand der Bevölkerung im Alterthum* in comm. acad. Berol. a. 1840 p. 29), cum Augustus praeter usum non *quadragiens* dixisset, sed adiecto eo quod solet intellegi *quadragiens centum milia*, id accepit quasi dixisset *quadragiens semel*. Itaque Augustus praecipuam curam ducens sensum animi quam apertissime exprimere nec dubitans gratiae aliquid detrahere, ut vitaret obscuritatem (Sueton. Aug. 86), ut fit, ipso nimio ambiguitatis vitandae studio incidit in ambiguitatem. — Egit de hoc loco Huschkius (*über den zur Zeit der Geburt Christi gehaltenen Census* p. 47 sq., item altero libello *über den Census der Kaiserzeit* p. x) diligenter magis quam feliciter: ita tres hos census re diversos fuisse voluit propterea quod primus solus diserte appellatur *census populi*, neque intellexit Augustum, ut par erat, primum usum esse rei plena definitione, postea breviore significatione, et recte omnino Suetonium (Aug. 27) hunc monumenti locum reddere his verbis: *censum populi ter egit.*

LAT. 2, 5 6 [*Iteru*]m consulari cum imperio lústrum | [*s*]ólus féci C. Censo-
7 rin[*o et C.*] Asinio cos. § Quó lústro censa sunt | cívium Roma-
8 nóru[*m capita*] quadragiens centum̃ millia et ducen|ta triginta tria
m[*illia*].

GR. 4, 16 17 [*Δεύτερον ὑ*]*πατι*|*κῇ ἐξ*[*ουσίᾳ μόνος Γαΐῳ Κηνσωρίνῳ καὶ*]
18 19 | *Γαίῳ* [*Ἀσινίῳ ὑπάτοις τὴν ἀποτείμησιν ἔλαβον*] |· *ἐν* [*ᾗ*]
20 *ἀπ*[*οτειμήσει ἐτειμήσαντο Ῥωμαί*]||*ων τει*[*ρακόσιαι εἴκοσι*
21 *τρεῖς μυριάδες καὶ τ*]*ρι*[*σ*]|*χίλιοι.*

Quae ante *solus* interposuit Huschkius verba *primus et*, in errorem inductus Chishulliani exempli lacuna falsa, ea expulerunt et exempla meliora et versio Graeca. In Graecis sub linem Bergkio iubente addidi *καί*, quamquam spatium vix sufficit. — Censum hunc alterum a. 746 nemo praeterea diserte commemorat. Numerus civium eo tempore censorum fuit 4,233,000, quocum conveniunt etiam reliquiae versionis Graecae, creveratque igitur his viginti annis populus centum et septuaginta milibus capitum.

LAT. 2, 8 9 [*Tertiu*]m consulári cum imperio lústrum | conlegá Tib. Cae[*sare*
10 *filio feci*] § Sex. Pompeio et Sex. Appuleio cos. | Quó lústro ce[*nsa*
11 *sunt civium Ro*]mánórum capitum quadragiens | centum mill[*ia*
et nongenta tr]iginta et septem millia. § |

GR. 4, 21 22 *Κ*[*αὶ τρίτον ὑπατικῇ ἐξουσίᾳ τὰς ἀποτειμή*]|*σε*[*ι*]*ς ἔλα*[*βο*]*ν,*
23 [*ἔχω*]*ν* [*συνάρχοντα Τιβέριον*] | *Καίσαρα τὸν υἱὸν μο*[*υ Σέξτῳ*
5, 1 *Ὁμπηίῳ καὶ*] || *Σέξτῳ Ἀππουληίῳ ὑπάτοις· ἐν ᾗ ἀποτει-*
2 3 *μήσει* | *ἐτειμήσαντο Ῥωμαίων τετρακόσιαι ἐνενήκοντα* | *τρεῖς*
μυριάδες καὶ ἑπτακισχείλιοι. §

Lat. 9 cum deficiant litterae non plus XIII, delevi *meo* post *filio*. — V. 10 adest *capitum*, in simili loco 2, 4 *capita* idemque fuit 2, 7, cum plura elementa spatium non recipiat: interpres primo loco expressit *κεφαλαίων*, secundo tertioque omisit. Genetivum hic pro nominativo substituisse quadratarium Bergkius suspicatur.

Supra p. 2 iam vidimus lustrum Augustum tertium condidisse a. 767 centesimo fere ante obitum die, id est Mai. 11. Universum autem locum et maxime numerum certa ratione explevit versio Graeca, in qua numerus plene servatus est 4,937,000. Eundem etiam apud Eusebium traditum accepimus, sed gravi labe adfectum. Habet enim Suidas s. v. *Αὔγουστος* sine dubio ex Eusebio: *Αὔγουστος Καῖσαρ ἔδοξεν αὐτῷ πάντας τοὺς οἰκήτορας Ῥωμαίων κατὰ πρόσωπον ἀριθμεῖ ... καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες νι΄ μυριάδες καὶ χίλιοι ιζ΄ ἄνδρες*, Syncellus p. 602 indidem: *ὁ αὐτὸς τοὺς οἰκήτορας Ῥώμης κατὰ πρόσωπον ἀριθμήσας εὗρεν οἰκοῦντας αὐτὴν ἀνδρῶν μυριάδας ιγ΄ καὶ ,αλζ*, Armenius (p. 146 Schoene): *Sebastus censum habuit cum Tiberio et invenit multitudinem Romae myriadas CCCC et XIX centum et XVII capita*, Hieronymus (p. 147 Schoene): *Augustus cum Tiberio filio suo censum Romae agitans invenit hominum nonagies ter centena et LXX milia.* Videtur Eusebius id ipsum posuisse quod ponere debuit: *μυριάδες τετρακόσιαι ἐνενήκοντα τρεῖς καὶ ἑπτακισχίλιοι*; quae Hieronymus miro errore

ita transtulit, ut *τετρακοσίας* omitteret, praeterea myriadibus centena milia, milibus dena milia substitueret. Armenius contra vel codicis ab eo usurpati Eusebiani librarius pro nonaginta myriadibus et septem milibus dedit perverse *myriades XIX centum et XVII* similisque error Eusebianum codicem occupavit adhibitum a communi auctore Suidae et Syncelli.

LAT. 2, 12 | Legibus novi[*s latis complura e*]xempla maiorum exolescentia
13 | iam ex nost[*ro usu reduxi et ipse*] multárum rér[*um exe*]mpla
14 imi|tanda pos[*teris tradidi*].

GR. 5, 3 4 *Εἰσαγαγὼν και|νοὺς νόμους πολλὰ ἤδη τῶν ἀρχαίων ἐθῶν*
5 6 *κα|ταλυόμενα διωρθωσάμην καὶ αὐτὸς πολλῶν | πραγμάτων*
7 *μείμημα ἐμαυτὸν τοῖς μετέπει|τα παρέδωκα.* |

Hunc quoque locum a prioribus non satis perspectum primum patefecit versio Graeca, quamquam interpres haec non solum liberius reddidit quam solet, sed etiam vocabulum *iam* male non ad *exolescentia* traxit, sed ad enuntiatum universum. In Latinis cum v. 12 perierint elementa xv, v. 13 in hiatu priore XVI, supplementa ad hos numeros formavi, cum antea dedissem *reduxi multa* (*multa revocavi* Bergkius) *exempla m. ex. iam ex nostra civitate*. Deinde cum ego supplevissem *et ipse proposui ... posteris*, Bergkius *et ipse de me ... posteris tradidi*, iam hoc recepi Graecis magis accommodatum, suppresso tamen additamento arbitrario *de me*. In fine v. 14 deficiunt elementa non plus XVII, fortasse minus.

Augustus in re publica restituenda ante omnia hoc sive secutus est sive certe prae se tulit corruptum aevum revocandum esse ad antiquos mores; qua de re sufficiet laudavisse locos Suetonii duos c. 34: *leges retractavit et quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, [et] de adulteriis et de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus*; item c. 89: *in evolvendis utriusque linguae auctoribus nihil aeque sectabatur quam praecepta et exempla publice vel privatim salubria eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent: etiam libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum saepe fecit, ut orationes Q. Metelli de prole augenda* (cf. Liv. epit. 59; Gellius 1, 6) *et Rutilii de modo aedificiorum, quo magis persuaderet utramque rem non ab se primo animadversam, sed antiquis iam tunc curae fuisse.*

CAPVT IX

LAT. 2, 15 | [*Vota pro valetudine mea suscipi per cons*]ulés et sacerdotes qu[*into*]
16 | *qu*[*oque anno senatus decrevit. Ex iis*] votis s[*ae*]pe fecerunt
17 vivo | *me* [*ludos aliquotiens sacerdotu*]m quattuor amplissima
18 collé|[*gia, aliquotiens consules*].

GR. 5, 8 9 *Εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας ἀναλαμβάνειν | διὰ τῶν ὑπά-*
10 *των καὶ ἱερέων καθ' ἑκάστην πεν|τετηρίδα ἐψηφίσατο ἡ*
11 *σύνκλητος. ἐκ τού|των τῶν εὐχῶν πλειστάκις ἐγένοντο θέαι, |*
12 13 *τοτὲ μὲν ἐκ τῆς συναρχίας τῶν τεσσάρων ἱερέ|ων, τοτὲ δὲ*
ὑπὸ τῶν ὑπάτων.

Graeca cum integra sint, Latinorum quoque primum enuntiatum plene suppleri potuit, postquam verborum *quinto quoque anno* certa vestigia apparuerunt. Pro Graecis *ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας* retinui quod in priore editione scripsi *pro valetudine mea* nec *pro salute mea* dedi cum Bergkio, cum propter ea quae in indice sequuntur 2, 19 tum propter nummum infra laudatum C. Antistii Veteris; praeterea pro *ut susciperentur* infinitivum posui, cum spatium non admittat plus litteras c. XXXIV. In sequentibus verba *vivo me*, quae in editione priore retinueram quamquam dubitans (nam mire omnino in ludis pro salute sua editis hoc addit Augustus eos vivo se celebratos esse), vere in lapide extant (scilicet *me* etsi in gypso non comparet, in lapide Domaszewskius deprehendit), coniduntque coniecturae cum Bergkii [*q.u*]*aqu ennalis*] vel si mavis *V*[*eiovi et Apollini*] tum mea *ut vo*[*veram*]. — V. 16 post QV interceptae esse videntur litterae plus minus XXX, pro quibus dedi XXVIII. — V. 17 quod commendavit Bergkius [*ludos in vicem sacerdotu m quattuor amplissima colle*[*gia vel consules eius anni*], recte Hirschfeldius eo nomine reprehendit, quod *eius anni* quo referatur non habet, ipse substituens *publice*. Cum deficiant litterae c. XXVI post ME, v. 18 in. c. XXVII, pro *modo . . . modo* iam posui *aliquotiens* bis, ut spatium recte expleretur. — Graecus interpres *sacerdotum quattuor collegia* male vertit *ἐκ τῆς συναρχίας τῶν τεσσάρων ἱερέων*, *quattuor* vocabulum iungens non cum collegiis, sed cum sacerdotibus.

De ludis institutis a. u. c. 726 sic Dio 53, 1: *τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένῃ ψηφισθεῖσαν* (scilicet a. 724 teste Dione 51, 19) *ἤγαγε* (Caesar eo anno cos. VI) *μετὰ τοῦ Ἀγρίππου καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησε. καὶ αὕτη μὲν διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν μέχρις οὗ* (*μέχρι που* emendat Dindorf) *ἐγίγνετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱερωσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλουσα· λέγω δὲ τούς τε ποντίφικας καὶ τοὺς οἰωνιστὰς τούς τε ἑπτὰ καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους.* Eosdem ludos commemorat idem ad a. 738 (54, 19): *τὴν πενταετηρίδα τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ διεώρτασαν, τοῦ Ἀγρίππου* (*ἐν γὰρ τοῖς πεντεκαίδεκα ἀνδράσιν, οἷς ἐκ τῆς περιτροπῆς ἡ διοίκησις αὐτῆς ἐπέβαλλεν, ἱέρωτο*) *διὰ τῶν συνιερέων ἀναλωσαντος.* Ad eosdem pertinet quod in senatus consulto de ludis saecularibus (C. I. L. VI, 877) facto a. u. c. 737 mentio fit *summae* [*sacerdotibus pro ludis*], *quos pro salute Caesaris fecerunt, lucaris nomine cons*[*titutae*]. Nec diversi sunt *ludi pro salute divi Augusti votivi* celebrati C. Poppaeo Q. Sulpicio cos. a. 762 (Plin. h. n. 7, 48, 158); denique *ludi pontificales*, quorum meminit Suetonius (Aug. 44), videntur fuisse ludi iidem scilicet alicuius anni, quo celebratio eorum ad ponti-

fices spectaret. Ad ludos eos indicis locum hunc recte Chishullius revocavit. Utrique fiunt quinto quoque anno, id est cum coepissent a. 726, celebrati sunt deinceps ternis annis solidis intermissis. Fecerunt eos Augusto teste consules et quattuor collegia sacerdotum; Dio quamquam scribit per vices eos edidisse pontifices augures xv viros epulones, ipse addit primos a. 726 factos esse ab eius anni consulibus Caesare et Agrippa eorum impensis (cf. Dio 53, 2) vel potius ab Agrippa solo, cum Caesar ipse vix videatur hosce ludos recte edere potuisse. Hos exceperunt secundum voti leges a. 730 pontifices, a. 734 augures, a. 738 xv viri (id quod convenit cum loco Dionis supra relato), a. 742 epulones; deinde, si quidem consules nulli se interposuerunt, rursus facti sunt a. 746 per pontifices, a. 750 per augures, a. 754 per xv viros, a. 758 per epulones, a. 762 per pontifices, a. 766 per augures, qui ludi extremi fuerunt. Eo solo nomine a commentario Dio differt, quod ludos altero loco dicit quinquennales principatus, altero refert ad victoriam Actiacam; contra in commentario Augusti referuntur ad vota consulum sacerdotumque ex senatus consulto conceptis pro salute Caesaris in quinquennium proximum tuenda. Hoc ut verum esse patet, ita quid significet rerum scriptor hoc loco non errans, explicant nummi C. Antistii Veteris (Eckhel 6, 104; Cohen Aug. n. 343. 349; *röm. Münzwesen* p. 742) facti ipso anno, quo ludos celebratos esse constat, u. c. 738[1]), in quorum altero cernitur sacerdos ad aram sacrificans cum adscriptione: *pro valetudine Caesaris s. p. q. R.*, in altero Apollo ipse stat sacrificans cum adscriptione: *Apollini Actio.* Itaque vota illa pro valetudine Caesaris suscipiebantur Apollini Actio, qui eum vel maxime rei publicae servasset, quamquam ludi

[1]) Eo anno altera quoque similia vota suscepta sunt, cum Augustus post cladem Lollianam in Galliam proficiscebatur; pertinent ad ea cum verba Dionis 54, 19: *εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου τοῦ Αὐγούστου ἐποιήσαντο* tum nummi L. Mescinii Rufi triumviri eo ipso anno, quorum in aliis (Cohen Aug. n. 464. 465) est *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) v(ota) s(uscepta) pro s(alute) et red(itu) Aug(usti)*, in alio *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus): v(ota) p(ro) red(itu) Caesaris* (Cohen Aug. n. 462), in alio (Cohen Aug. n. 462) *I(ovi) o(ptimo) m(aximo) s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) v(ota) s(uscepit) pr(o) s(alute) imp. Cae(saris), quod per eu(m) r(es) p(ublica) in amp(liore) atq(ue) tran(quilliore) s(tatu) e(st)*, eodemque verisimile est pertinere inscriptum (Cohen Aug. 133) *Iovi vot(a) susc(epta) pro sal(ute) Caes(aris) Aug(usti)*: *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus)* et inscriptum (Cohen Aug. 324) *I(ovi) o(ptimo) m(aximo) sacr(um) vot(is) p(ublice) susc(eptis) pro sal(ute) et red(itu)*. Soluta sunt haec vota post reditum Augusti a. 741 teste titulo C. I. L. VI, 386, in quo quae interciderunt ex gemello a. 747 (l. c. VI, 385) certo supplentur: [*P. Quinctilius S*]*ex. f. Varus ... cos. [ludos votivos pr*]*o reditu [imp. Caesaris div*]*i f. Augusti [Iovi optimo m*]*aximo fecit [cum Ti. Claudio Ner*]*one conlega ex s(enatus) c(onsulto)*. — Haec vota *pro reditu* Augusti suscipiuntur, quinto quoque anno facta *pro valetudine*, utraque autem, ut par est, *pro salute*; denique Iovi haec fiunt, altera autem Apollini. Itaque non recte opinor Salletus (*Zeitschrift für Numismatik* 9, 175 cf. 11 p. 77) utraque vota pro iisdem habuit. Quod sollemnium votorum quinquennalium ad hunc annum potissimum in annalibus mentio facta est, potest inde venisse, quod vota pro reditu in iis praeteriri non potuerunt; sed potius crediderim illa ideo memorari, quod eo anno Agrippa ea executus est.

Actiaci non dicebantur neque ulli eius nominis urbani umquam fuerunt[1]). Minus proprie, sed non temere hi ludi poterant celebrari videri propter principatum pugna illa Actiaca fundatum. Quamquam non propter hoc resuscitarim veterem Norisii opinionem decennalium et quinquennalium imperatoriorum originem ex his ludis repetentem (v. Eckhel 8, 476); cui opinioni hoc maxime obstat, quod ludi de quibus agimus celebrati sunt non per quinquennia, sed quinto quoque anno. Multo minus vota haec quinto quoque anno suscepta et cum ludis coniuncta confundi debent, ut fecit Zumptius, cum votis annuis factis ab sacerdotibus omnibus utriusque sexus pro salute imperatoris die Ian. 3 (vide quae de his dixi C. I. L. I p. 382). — Ludos Actio Apollini sacros etiam in urbe celebratos esse more Graeco et habuisse, ut habuerunt Actiaci qui Nicopoli edebantur, agonem musicum et gymnicum circensesque (Dio 53, 1) probabile est; de circensibus per pueros virosque nobiles editis etiam Dionem scribere vidimus athletasque pugiles in ludis his certasse ex Suetonio (Aug. 41) colligitur. — Ludos pro valetudine Caesaris non durasse post excessum Augusti et Dio significat et consentaneum est; non translatos esse ad imperatores posteriores verisimile, quoniam post illud tempus certa eorum nulla memoria superest, quae vix deficeret in tanto ludorum splendore tantaque de ludis aetatis imperatoriae testimoniorum abundantia. Fuerunt igitur inter honores paternos, quibus Tiberius uti recusavit.

LAT. 2, Λ8 19 [*Privat*]im etiam et múnicipatim úniversi | [*cives sacrificaverunt*
20 *sempe*]r apud omnia pulvínária pró vale[*tudine mea*].

GR. 5, 13 14 *Καὶ κατ' ἰδίαν δὲ καὶ | κατὰ πόλεις σύνπαντες οἱ πολεῖται*
15 *ὁμοθυμα|δ[ὸν] συνεχῶς ἔθυσαν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σω[τ]ηρίας|.*

Lat. 18 vocabulum *municipatim* antea coniectura a me restitutum iam in ipso lapide lectum est. — V. 19 ubi *saepe* posuit Bergkius, *continuo* ego, extrema quae superest littera R utrumque supplementum refutavit. 19 in. cum deficiant litterae XXV, v. 20 in. item non plus XXV, supplementa supra proposita non certa quidam sunt, sed recte procedunt; verbis *apud omnia pulvinaria* Graece videtur aliquo modo respondere *ὁμοθυμαδόν*.

Ad rem vide quae narrat Suetonius Aug. 59, maxime haec: *provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt.* Cf. c. 98 et Horatius carm. 4, 5, 31 sq. et Dio 51, 19 et alii. Nec neglegemus ne hoc quidem loco lapidem infra allatum ad 3, 35, ubi qui thea-

[1]) Ludos, quibus teste Suetonio Tib. 6 praesedit Tiberius adulescentulus, *astici* fuerunt, ut est in codice Memmiano confirmatque alter locus Suetonii (Gai 20), non *Actii*, ut olim edebatur. De Actiacis ludis celebratis Nicopoli et alibi vide C. I. Gr. n. 5804 quique ibi citantur; item quae scripserunt Henzenus ann. inst. arch. 1865 p. 105 et Dessau *bull. dell' inst.* 1881 p. 139.

trum fecit Iguvii praeterea scribit dedisse se civibus pecunias cum in alia tum *in ludos Victoriae Caesaris Augusti*, comparandos eos cum ludis urbanis *Victoriae Caesaris divi Iulii* (C. I. L. I p. 397).

CAPVT X

LAT. 2, 21 [*Nomen meum senatus consulto inc*]lusum est in saliâre carmen.
GR. 5, 16 17 *Τὸ ὄν*[*ομ*]*ά μου συνκλήτου δόγματι ἐνπεριελή*|*φθη εἰ*[*ς τοὺ*]*ς σαλίων ὕμνους.*

Huius loci supplementa Mariniana (Arv. p. 596) confirmata sunt Graecis; neque obstat, quod ita supplentur elementa XXVII, cum deficere videantur plus minus XXIV.

Idem de Augusto refert Dio (51, 20) ad a. 725, mentione tamen suppressa saliorum, senatum decrevisse *ἐς τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐγγράφεσθαι*. Germanici nomen receptum esse in carmen saliare ex senatus decreto scribit Tacitus[1]), Veri filii M. Antonini huius biographus (M. Anton. 21).

LAT. 2, 21 22 et sacrosan[*ctus ut essem . . . . . et ut q*]uoa[*d*] viverem, tri-
23 búnicia potestás mihí | [*esset, lege sanctum est*].
GR. 5, 17 18 *καὶ ἵνα ἱερὸς ᾧ* (*sic*) | *διὰ* [*βίο*]*υ* [*τ*]*ε τὴν δημαρχικὴν ἔχῳ*
19 (*sic*) *ἐξουσίαν,* | *νό*[*μῳ ἐκ*]*υρώθη.* §

V. 22 pro XXIII litteris quae deficiunt supplevi XVI: *in perpetuum*, quod inseruit Bergkius, spatium excedit. Ego malui hiatum relinquere septem fere litterarum quam gravis auctoritatis monumento incerta additamenta temere adstruere. — V. 23 ante EX deficiunt litterae c. XXIV.

Devicto Lepido a. u. c. 718 exeunte tribunicia potestas Caesari ad exemplum patris data est in perpetuum. Appian. b. c. 5, 132: *ἐφ' οἷς αὐτὸν εἵλοντο δήμαρχον ἐς ἀεί, διηνεκεῖ ἄρα ἀρχῇ προτρέποντες τῆς προτέρας* (triumviratum intellege) *ἀποστῆναι· ὃ δὲ ἐδέξατο.* Oros. 6, 18, 34: *ovans urbem ingressus* (Nov. 13) *ut in perpetuum tribuniciae potestatis esset, a senatu decretum est.* Dio 49, 15 ad a. 718: *ἐψηφίσαντο . . μήτε ἔργῳ μήτε λόγῳ τι ὑβρίζεσθαι· εἰ δὲ μή, τοῖς αὐτοῖς τὸν τοιοῦτό τι δράσαντα ἐνέχεσθαι, οἵσπερ ἐπὶ τῷ δημάρχῳ ἐτέτακτο. καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν αὐτῶν βάθρων συγκαθέζεσθαί σφισιν ἔλαβε.* Idem cum scribat 51, 18 ad a. 724 decretum esse *τὸν Καίσαρα τὴν ἐξουσίαν τὴν τῶν δημάρχων διὰ βίου ἔχειν* et 53, 32 ad a. 731: *ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο*, illud pertinere videtur ad tribuniciam potestatem etiam extra urbem Caesari

[1]) ann. 2, 82. In senatus consulti eius quae supersunt reliquiis C. I. L. VI, 911 hoc caput non reperitur, nec recte simili in honorem Drusi Caesaris C. I. L. VI, 912 Borghesius (opp. 6, 449) id inseruit.

concessam, hoc constat spectare ad tribuniciam potestatem praeter perpetuam item annuam factam. Data opera de ea re egi *Staatsrecht* 2² p. 836.

LAT. 2, 23 24 [*Pontif*]ex maximus ne fierem in vivi [c]onle|[*gae locum, populo*
25 *id sace*]rdotium deferente mihi, quod pater meu[s | *habuit, recusavi.*
26 *Cepi id*] sacerdotium aliquod post annós eó mor|[*tuo qui civilis*
27 *motus o*]ccasione occupaverat [§], cuncta ex Italia | [*ad comitia mea*
28 . . . . *tanta mu*]ltitudine, quanta Romae nun[*q*]*uam* | [*antea fuisse*
fertur, coeunte] P. Sulpicio C. Valgio consulibu[*s*] §.

GR. Ancyr. 5, 19 20 Apoll. 3, 1 2 Ἀρχιερωσύνην, ἣν ὁ παιήρ | μ|ου |ἐσχ|ήκει,
21 τοῦ δήμου μοι καταφέροντος | εἰς τὸν τοῦ ζῶντος τόπον,
22 οὐ προεδεξά|μ[η]ν. § [ἦ]ν ἀρχιερατείαν μετά τινας ἐνιαυτοὺς
6, 1 2 || ἀποθανόντος τοῦ προκατειληφότος αὐ|τὴν ἐν πολειτικαῖς
3 ταραχαῖς, ἀνείληφα, εἰς | τὰ ἐμὰ ἀρχαιρέσια ἐξ ὅλης τῆς
4 5 Ἰταλίας τοσού|του πλήθους συνεληλυθότος, ὅσον οὐδεὶς | ἔν-
προσθεν ἱστόρησεν (sic Apoll., ἱστόρης Anc.) ἐπὶ Ῥώμης γεγο-
6 νέναι Πο|πλίῳ Σουλπικίῳ καὶ Γαίῳ Οὐαλγίῳ ὑπάτοις.

In Latinis v. 23 *conlegae*, quod Bergkius ex vestigiis recuperavit, lapis confirmat. — V. 26 cum ego dedissem *per civiles dissensiones*, Bergkius *in rerum confusione*.- iam lectione expleta supplementa mutanda fuerunt. *Civilium turbarum* praetulissem, nisi obstaret spatium; nam ante CCASIONE non deficiunt plus litterae XXI. — 27 in. exciderunt litterae c. XXIII. — In Graecis 5, 22 ἣν lapis flagitat, ubi *τὴν* nos posueramus, *ταύτην* Bergkius.

Res notae. Post Caesaris dictatoris mortem a. u. c. 710 *in confusione rerum ac tumultu M. Lepidus pontificatum maximum intercepit* (Liv. ep. 117; cf. Vell. 2, 63: *pontifex maximus in Caesaris locum furto creatus*, scilicet non consulto populo teste Dione l. 44 extr.; Drumann 1, 15). Eum retinuit etiam post ademptum imperium a. 718, nam cum interfici eum Caesar vetuisset, religio obstitit quominus vivo auferretur pontificatus, etsi non solum tum a populo Caesari oblatus (Appianus b. c. 5, 131: *τοῦ δήμου τὴν μεγίστην ἱερωσύνην ἐς αὐτὸν ἐκ Λεπίδου μεταφέροντος, ἣν ἕνα ἔχειν νενόμισται μέχρι θανάτου, οὐκ ἐδέχετο*, cf. 5, 126; Dio 49, 15. 56, 38; Suet. Aug. 31), sed etiam postea saepe (Dio 54, 15). Mortuo tandem Lepido anno opinor 741 (nam ita explicandum, quod Augusti creationem ad hunc annum refert Dio 54, 27) Augustus pontifex maximus factus est a. 742 Mart. 6 testibus fastis Praenestinis (cf. C. I. L. I p. 387). Suetonii verba c. 31: *pontificatum maximum, quem numquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum recepit* fortasse ex ipso hoc indicis loco sumpta sunt. Extremam huius loci sententiam ad comitiorum de Augusto pontifice maximo creando insignem frequentiam pertinere Graeca interpretatio aperuit, cum antea de aliis alii cogitassent.

CAPVT XI

LAT. 2, 29 | [*Aram Fortunae reduci iuxta*? *ae*]dés Honoris et Virtutis ad
30 portam | [*Capenam pro reditu meo se*]nátus consacravit, in qua
31 ponti[*fices et virgines Vestales anni*]versárium sacrificium facere
32 | [*iussi die, quo consulibus Q. Luc*]retio et [*M. Vinuci*]o in urbem
33 ex | [*Syria redi, et diem Augustali*]a ex [*c*]o[*gnomine nost*]ro
appellavit. |

GR. Ancyr. 6, 7 Apoll. 3, 3—5 | *Βωμὸν Τύχης Σωτηρίου ὑπὲρ τῆς ἐμῆς ἐπαν-*
8 9 *όδου* | *πρὸς τῇ Καπήνῃ πύλῃ ἡ σύνκλητος ἀφιέρωσεν·* | *πρὸς*
10 *ᾧ τοὺς ἱερεῖς καὶ τὰς ἱερείας ἐνιαύσιον θυ*|*σίαν ποιεῖν*
11 *ἐκέλευσεν ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ,* | *ἐν ᾗ ὑπάτοις Κοίντῳ Λου-*
12 *κρητίῳ καὶ Μάρκῳ* | *Οὐινουκίῳ ἐκ Συρίας εἰς Ῥώμην ἐπαν-*
13 14 *εληλύ*|*θει*[*ν*]*, τήν τε ἡμέραν ἐκ τῆς ἡμετέρας ἐπωνυ*|*μίας*
προσηγόρευσεν Αὐγουστάλια. |

Lat. 29 in. exciderunt elementa c. XXV, 30 in. c. XXIV, 31 in. 32 in. c. XXV, 33 in. c. XXIV, inter EX/O et RO c. XII. Ad ea spatia supplementa reformavi, quamquam anxie eiusmodi dimensuratio exigi neque debuit neque omnino potuit; ita v. 31 inserui litteras XXVII pro XXV. — 30 supplementum quod suasit Hirschfeldius *pro incolumi reditu* spatium excedit. Perverse Bergkius huic versui inseruit *ex Syria*, deinde v. 33 dedit *ex transmarinis provinciis* contra interpretationem Graecam et inani repetitione expulitque comma *ex nomine nostro*, quod nostrum supplementum iam lapis ita confirmavit, ut *Augustalia* ante id ostendat scriptum fuisse et *cognomine* fuisse, non *nomine*.

Facta sunt haec a. 735 Oct. 12, quo tempore fasces tenuerunt Q. Lucretius et M. Vinucius, apparetque iam, longe aliter ac prioribus visum est, totum hunc locum spectare ad honores decretos Augusto ex Syria tum redeunti. Testimonia de ea re reliqua collecta iam C. I. L. I p. 404 hoc loco duxi repetenda. Fast. Amit. ad Oct. 12: *Fer(iae) ex s(enatus) c(onsulto), q(uod) e(o) d(ie) imp. Caes(ar) Aug(ustus) ex transmarin(is) provinc(is) urbem intravit, araq(ue) Fort(unae) reduci constit(uta)*. Feriale Cum. (C. I. L. X, 8375) ad Dec. 15: *Eo die a*[*r*]*a Fortunae reducis dedicatast, quae Caesarem* [*ex transmari*]*nis provincis red*[*uxit*]; *supplicatio Fortunae reduci*; item fast. Amit. errore ad Dec. 16: *Ara Fortunae reduci dedic(ata) est.* In nummis aureis argenteisque ara haec cernitur cum adscriptione *Fortun(ae) redu(ci), Caesari Augus(to) s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus)* (Eckhel 6, 106; Cohen Aug. n. 102—108) vel, ut est in nummis Q. Rustii, *For(tunae) re(duci) Caesari Augusto ex s(enatus) c(onsulto)* similiterve (Eckhel l. c.; Cohen l. c. n. 513). Dio 54, 10 ad a. 735 narrat

Augusto post ordinatum statum Siciliae Graeciae Asiae Syriae Romam redeunti plurimos honores decretos esse, nullum vero eum accepisse *πλὴν Τύχῃ τε ἐπαναγωγῷ βωμὸν ἱδρυθῆναι καὶ τὴν ἡμέραν ἣν ἀφίξοιτο ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι καὶ Αὐγουσταλίαν ὀνομάζεσθαι*, honores tres diversos enumerans a recentioribus non satis distinctos, aram consecrandae Fortunae reduci, feriarum instituendarum, nominis Augustalium ei diei tribuendi. — *Τύχην σωτήριον* non esse Fortunam aliquam salutarem, sed ipsam reducem recte perspexit Beckerus enchir. 1, 641 n. 1372, male negavit Zumptius. Ara quo loco constituta sit iam ex monumento Ancyrano discimus; elegerunt autem locum propterea quod Augustus e Campania (vide mox) per Appiam ad urbem veniens ingressus est porta Capena. De aedibus gemellis Honoris et Virtutis ad portam Capenam egit Beckerus enchir. 1, 510; praepositio quaenam fuerit ante *aedes*, parum constat. Dies adventus fuit Oct. 12 eodemque die ara constituta est, absoluta et dedicata die Dec. 15. Sacrificium anniversarium perficiunt pontifices virginesque vel, ut Graece dicitur, *οἱ ἱερεῖς καὶ αἱ ἱέρειαι* (cf. Dio fr. 87 Bekk. et 51, 19; App. 2, 106).

CAPVT XII

LAT. 2, 34 | [*Senatus consulto eodem tempor*]e pars [*praetorum et tri*]bunorum
35 | [*plebi cum consule Q. Lucret*]io et princi[*pi*]bus [*viris ob*]viam
36 mihi | mis[*s*]a e[*st in Campan*]ia[*m, qui*] honos [*ad hoc tempus*]
37 nemini prae|ter [*m*]e es[*t decretus*].

GR. 6, 15 16 *λόγμαιτι σ[υ]γκλήτου οἱ τὰς μεγίστας ἀρχὰς ἄρ|ξαντε[ς σ]ὺν*
17 *μέρει στρατηγῶν καὶ δημάρχων | μετὰ ὑπ[ά]του Κοίντου*
18 *Λουκρητίου ἐπέμφθη|σάν μοι ὑπαντήσοντες μέχρι Καμ-*
19 *πανίας, ἥτις | τειμὴ μέχρι τούτου οὐδὲ ἑνὶ εἰ μὴ ἐμοὶ*
20 *ἐψηφίσ|θη.* §

Lat. 34 quod dederam [*senatus consulto eodem tempor*]e improbavit Bergkius substituens [*itemque ex senatus auctoritat*]e, male; nam et Graeca interpretatio et consuetudo Augusti vocabulum proprium et legitimum requirit, cumque cum appareat hanc legationem inter dedicationes ararum duarum ideo interpositisse, quod cum priore re et tempore coniuncta fuit, eius coniunctionis significatio aliqua requiritur. In principio intercepta sunt elementa c. XXIV. — 35 in. cum deficiant litterae c. XXI, *plebi* tolerari poterit; antea dederam *una cum*. — In sequentibus ego proposueram *principibus viris obviam mihi missi sunt in Campaniam*, Bergkius *principibus in Campania mihi missi sunt obviam salutatum*; quae accesserunt ex pleniore reliquiarum lectione, illa supplementa fere confirmarunt. — Idem Bergkius quod flagitat *ante hoc tempus*, spatium excedit. — 37 post EES cum non deficere videantur litterae plus IX, suppletae sunt XI.

Continuantur modo narrati honores a. 735. Eandem rem, aliter tamen, narrat Dio 54, 10, scilicet senatum propter comitiorum consularium turbas legatos misisse ad Augustum cum binis lictoribus singulos, unum ex his ipsis legatis Q. Lucretium ab Augusto consulem dictum esse. Nam quod statuit Bergkius legationem a Dione memoratam diversam esse ab ea, cuius in indice Augustus meminit, hanc autem pertinere ad narrationem quae apud Dionem sequitur: *ἐπεὶ δὲ . . . αἵ τε ἀρχαὶ καὶ οἱ ἄλλοι προαπαντῆσαί οἱ προπαρεσκευάσαντο, νύκτωρ ἐς τὴν πόλιν ἐσεκομίσθη,* id nemini persuadebit qui obviam itionem amicorum redeunti ad urbem (cf. Plutarchus Anton. 11; Cic. Phil. 2, 32, 78) et legationem a senatu missam recte distinguere didicit; illa sponte suscipitur et si quando de ea senatus decernit, ut fiat hortatur (cf. Dio 51, 4), hanc fieri iubet et qui eam suscipiant deligit. Quid quod de illa si ageretur, collato honore, qui Augusto decretus est devicto Antonio: *ἐς τὴν πόλιν ἐσιόντι αὐτῷ τάς τε ἱερείας τὰς ἀειπαρθένους καὶ τὴν βουλὴν τόν τε δῆμον μετά τε τῶν γυναικῶν καὶ μετὰ τῶν τέκνων ἀπαντῆσαι ἐγνωσαν* (Dio 51, 19 cf. c. 4), nullo modo senatus a. 735 partem tantum magistratuum obviam ei mittere potuisset. Immo rerum Romanarum non imperitus non dubitabit hoc quidem loco Dionis narrationem Augustae praeferre: scilicet princeps scribens Lucretium consulem ad se legatum esse, cum vere is privatus ad eum veniret, consul in urbem rediret, callide verum texit, non ut honorem augeret (id enim infra eum foret), sed ne enuntiaret post rem publicam a se restitutam civiles motus ullos fuisse. Alibi quoque ubi tanguntur turbae tam hae quam quae per a. 731 et 732 acciderunt, de seditionibus nullum verbum facit. Id ipsum princeps quamquam texit, tamen item prodit; nam si legationis princeps consul ad eum venisset, sine dubio scripsisset *consul Q. Lucretius cum parte praetorum et tribunorum plebi et principibus viris.* Ita invitus quodammodo significat senatus decreto ad se missos esse ex magistratibus praetores et tribunos, Lucretium autem nondum consulem venisse inter principes civitatis. Interpretem quomodo locus vexarit, iuxta positae praepositiones *σύν* et *μετά* declarant. — Tempus legationis aliquatenus inde definitur quod extant huius anni tesserae cum nomine unius consulis Saturnini scriptae k. Apr. (C. I. L. I, 742) et mense Iunio (l. c. n. 743), item titulus Cordubensis (C. I. L. II, 2255) positus *C. Sentio Sat. cos. k. Sextilib.* Itaque Lucretius consul creatus est post mensem Maium, nuntius de creato eo Cordubam pervenit post k. Augustas.

LAT. 2, 37 :8 [*Cu*]m ex H[*ispa*]niâ Gal[*liaque, rebus in his p*]rovincis prosp[*e*]re
[*gest*]i[*s*], R[*omam redii*] Ti. Ne[*r*]one P. Qui[*ntilio consulibu*]s [§],
39 áram | [*Pácis A*]u[*g*]ust[*ae senatus pro*] redi[*t*]ú meó co[*nsacrari*
40 *censuit*] ad cam|[*pum Martium, in qua ma*]gistratús et sac[*er-*
41 *dotes et vírgines*] V[*est*]á[*les* | *anniversarium sacrific*]ium facer[*e*
iussit.] |

GR. 6, 20 21 Ὅτε ἐξ Ἱσπανίας καὶ Γαλατίας, τῶν ἐν ταύ|ταις ταῖς ἐπαρ-
22 χείαις πραγμάτων κατὰ τὰς εὐ|χὰς τελεσθέντων, εἰς Ῥώμην
23 ἐπανῆλθον § | Τιβερίῳ [Νέ]ρωνι καὶ Ποπλίῳ Κοιντιλίῳ
7, 1 ὑπάτοις, || βωμὸν Ε[ἰρ]ήνης Σεβαστῆς ὑπὲρ τῆς ἐμῆς ἐπανό-
2 3 |δου ἀφιερωθῆναι ἐψηφίσατο ἡ σύνκλητος ἐν πεδίῳ Ἄρεως,
4 πρὸς ᾧ τούς τε ἐν ταῖς ἀρχαῖς καὶ τοὺς | ἱερεῖς τάς τε
ἱερείας ἐνιαυσίους θυσίας ἐκέλευσε ποιεῖν.

Lat. 37 in hiatu post GAL supplevimus litteras XVII, at v. 36, ubi dempta una eodem spatio interceptae sunt, tantummodo XII. Utrumque defenditur scripturae inaequabilitate: nam post hiatum eodem ambitu comprehenduntur v. 36 litterae X, v. 37 litterae XIV. Cavendum igitur, ne in eiusmodi computis nimia anxietate a vero aberremus. — 38 *redibam* cum spatio excludatur, dedi *redii*. — 39 ex littera secunda apex remansit. — Inter VST et RED cum deficere videantur litterae non plus VIII, inseruimus XII.

Confirmantur in summa re supplementa huius loci ante cognita Graeca a me proposita C. I. L. vol. 1 p. 396, nisi quod Mordtmanni exemplo deceptus pro Hispania ibi posui Germaniam. — Testimonia de ara Pacis Augustae constituta a. 741 Iul. 4 illo loco collecta hic quoque apponam. Fast. Amit. ad Iul. 4 (item brevius fasti Antiat.): *Feriae ex s. c., q(uod) e(o) d(ie) ara Pacis Aug(ustae) in camp(o) Mar(tio) constituta est Nerone et Varo cos.* Fasti Praen. ad Ian. 30 (item brevius fasti Caeretani Eph. epigr. 3 p. 6): *Feriae ex s. c., quo[d eo] die ara Pacis Augustae in campo Martio dedicata est Druso et Crispino c[os]*. (u. c. 745). Diem dedicationis habent etiam Ovidius fast. 1, 709 et acta Arvalia a. 38. Praeterea cf. Dio 54, 25. — Augustus cum illo anno in urbem rediret via Flaminia, ad eam consentaneum est aram dedicatam esse, nec dubium eius esse magnae et splendidae arae reliquias effossas non longe ab obelisco ob Aegyptum captam ab Augusto consecrato ad ecclesiam S. Laurentii in Lucina et domum Fiano; quas reliquias nuper composuit et illustravit Duhnius (ann. inst. archaeol. 1881 p. 302 seq. tabb. 34—36. V. W.).

CAPVT XIII

LAT. 2, 42 | *Ianum* Quirin[*um, quem cl*]ausum esse | *maiores nostri voluer*]unt,
43 | [*cum p*]er totum i[*mperium po*]puli Roma[*ni terra marique es*]set
44 parta vic[*toriis*]s pax, cum pr[*ius, quam*] náscerer, [*a condita*]
45 u[*rb*]e bis ommino clausum | [*f*]uisse prodátur m[*emori*]ae, ter me
princi[*pe senat*]us claudendum esse censui[*t*]. |

GR. 7, 5 | Πύλην Ἐννάλιον, ἣν κεκλῖσθαι (sic) οἱ πατέρες ἡμῶν ἠθέ-
6 | λησαν εἰρηνευομένης τῆς ὑπὸ Ῥωμάοις (scr. Ῥωμαίοις) πάσης
7 γῆς τε | καὶ θαλάσσης, πρὸ μὲν ἐμοῦ, ἐξ οὗ ἡ πόλις ἐκτίσθη,
8 9 | τῷ παντὶ αἰῶνι δὶς μόνον κεκλεῖσθαι ὁμολογεῖ|ται, ἐπὶ δὲ
10 ἐμοῦ ἡγεμόνος τρὶς ἡ σύνκλητος ἐψη|φίσατο κλεισθῆναι. |

Lat. 12 propter hiatum x litterarum capacem inseri iussit Hirschfeldius p. 262 *olim*; sed potest spatium vacavisse post *Quirinum*. — 43 quae proposueram *Romani esset terrestris navalisque pax*. Bergkius *Romani terra marique esset non dubia parta pax*, iam ex ipso lapide emendantur. — 44 *a condita urbe* Bergkii. cum ipse dedissem *ab urbe condita*, reliquiis scripturae confirmatur. — 45 vocabuli *senatus*, quod deleri iussit Bergkius propter hiatus ambitum, nunc in lapide postremae duae litterae apparuerunt.

Ianum Quirinum, quem Graece dictum esse vides *πύλην Ἐνυάλιον*, nemo ignorat (Liv. 1, 19. Varr. 5, 165 al.). Clausus est primum regnante Numa, iterum post bellum Punicum primum a. u. c. 519. Se principe Ianum ter clausum esse Augustus perhibet repetitque Suetonius (Aug. 22): *Ianum Quirinum semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clusit*, indicem videlicet secutus. Et primum quidem id factum esse post bellum Actiacum u. c. 725 (Liv. l. c.; Dio 51, 20; Vell. 2, 38; Vict. vir. ill. 79, 6; Plutarchus de fort. Rom. 9; Oros. 6, 20, 8) die ut videtur Ian. 11 (v. C. I. L. I p. 384) inter omnes convenit. Nec magis dissentiunt auctores de secunda vice, scilicet Ianum reseratum propter bellum Cantabricum a. 728 (Dio 53, 26; Plutarchus de fort. Rom. c. 9; a. 726 Orosius 6, 21, 1 male) clausum rursus esse a. u. c. 729 (Dio 53, 26; Oros. 6, 21, 1; nam nummi Eckheliani 6, 89, apud Cohenum Aug. n. 110, fides nulla est). Post eum annum quando reclusus sit, non traditur, nec facile est definire, quidnam ius sacrum requisierit, ut Ianus clausus aperiretur, cum possit fortasse defendi bella non iure publico per fetiales indicta etiam clauso Iano ut peragerentur licitum fuisse. Videtur tamen statim rursus apertus esse expeditione Arabica eo ipso anno suscepta, proximo autem Cantabris rebellantibus. Rursus ut clauderetur Dio (54, 36) scribit senatum decrevisse u. c. 744, nec tamen clausum esse Dacis rebellantibus. Sed ei narrationi obstat, quod inter media bella Germanica Drusi de Iano claudendo decretum fieri vix potuit; potest de ea re actum esse in senatu, scilicet debellata fere Germania iam rem in eo esse, ut Ianus denuo claudi posset, id quod Dio auctorve eius fortasse paullum exaggeravit. Utut est, Ianum tum clausum non esse Dio quoque ait, neque ullo modo quod Augustus scribit tertium se Ianum clausisse, ad hoc senatus consultum referri potest. Sed post Germanica bella Drusi et Tiberii finita a. u. c. 746[1]) usque ad a. 753, quo C. Caesar exiit ad bellum Armenium, Romana arma ita quieverunt, ut recte Ianus claudi potuisse videatur, et cum Dionis annales ab a. inde 748 passim hient, narratio de Iano tertium clauso facile alicubi intercepta esse potest. Quando denuo apertus sit, non traditur, sed vix clausus manere potuit coepto

[1]) Scilicet debellatum esse in Germania aestate a. 746 inde efficitur, quod k. Ian. a. 747 Tiberius de Germanis triumphavit (Dio 55, 8; cf. Velleius 2, 94); neque obstat rebellio non magni momenti secuta anno insequenti (Dio l. c.).

bello Armenio a. 753, nec difficile id conciliatur cum verbis Cornelii Taciti (vide infra) Ianum patefactum esse *sene Augusto*. — Praeterea quae de Iano clauso leguntur apud auctores, parum iuvant. Horatius († 746) in epistula, quae prima est libri secundi, scripta, ut mea fert opinio, a. 741 (v. Hermae vol. 15 p. 103), v. 255 *claustra* memorans *custodem pacis Ianum cohibentia*, item in carmine 4, 15 anni incerti v. 8 Augustum laudans quod *vacuum duellis Ianum Quirini clausit*, utroque loco respicit ad Ianum clausum a. 725 finitorum bellorum civilium indicem et merito propterea diu lateque celebratum. Ipsae portae utrum propter alias causas postea reclusae essent necne poeta non quaesivit; multo minus hoc loco cogitavit de Iano clauso vel potius non clauso a. 744, ut recte docuit Frankius (in fastis Horat. p. 223 seq.). — Flori narratio libro extremo de Iano clauso anno urbis conditae septingentesimo, cum praecedat alia de signis a Parthis restitutis u. c. 734, apte referetur ad aedem tertium clausam, sed cum numerus corruptus sit sive auctoris culpa sive librariorum, quae apud eum legimus ad difficultatem expediendam parum valent. — Etiam minoris momenti relatio est Orosii, postquam exposuit de Iano imperante Augusto bis clauso, ita pergentis (6, 22, 1): *anno ab urbe condita* DCCLII *Caesar Augustus ab oriente in occidentem, a septentrione in meridiem ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis Iani portas tertio ipse tunc clausit: quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper observatas otio ipsa etiam robigo signavit, nec prius umquam nisi sub extrema senectute Augusti pulsatae Atheniensium seditione* (eam Eusebius Armeniacae versionis adscribit ad ipsum annum, quo Augustus obiit) *et Dacorum commotione patuerunt.* Mox (6, 22, 6) addit: *eo tempore, id est eo anno quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione dei Caesar composuit, natus est Christus.* Denique (7, 3, 7) scribit: *ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum novae gentes saepe ex usu et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.* Nam ut mittam eum annum quem Orosius significat, duodecimum ante mortem Augusti, u. c. 755 vel 756, incidentem in C. Caesaris bellum Armeniacum Iano claudendo parum aptum esse et Ianum vix clausum esse potuisse per tempora quae sequuntur belli Pannonici et Germanici, tota narratio evidenter interpolata est fraude tam pia quam absurda ea ipsa, quae triumphos Augusti ex die Aug. 13. 14. 15 in Dec. 24 Christi natalem transtulit (6, 20, 1). Nimirum Ianum ter clausum esse Orosius repperit apud Suetonium, sene Augusto tertium patefactum esse apud Tacitum, reliqua monachi commenta sunt.

CAPVT XIV

LAT. 2, 46 | [*Fil*]ios meos, quós iuv[*enes mi*]hi eripuit for[*tuna*], Gaium et Lu-
3, 1 cium Caesares || honoris mei caussá senatus populusque Romanus
2 annum quíntum et deci|mum agentís consulés designávit, ut [e]um

magistrátum inírent post quin|quennium. Et ex eó die, quó deducti [*s*]unt in forum, ut interessent consiliís | publicís decrevit sena[*t*]us. § Equites [*a*]utem Románi universi principem | iuventútis utrumque eórum parm[*is*] et hastís argenteís donátum ap|pelláverunt. § |

GR. 7, 11 | *Υἱούς μου Γάιον καὶ Λεύκιον Καίσ[α]ρας, οὓς νεανίας* 12 13 *ἀ|νήρπασεν η τύχη, εἰς τὴν ἐμὴν τειμ[ὴ]ν ἥ τ[ε] σύνκλη|τος* 14 *καὶ ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων πεντεκαιδεκαέτεις | ὄντας ὑπά-* 15 *τους ἀπέδειξεν, ἵνα μετὰ πέντε ἔτη | εἰς τὴν ὑπατον* (scr. 16 *ὑπάτων*) *ἀρχὴν εἰσέλθωσιν· καὶ ἀφ' ἧς ἂν | ἡμέ[ρα]ς [εἰς* 17 *τὴν ἀ]γορὰν [κατ]αχθ[ῶ]σιν, ἵνα [με]τέχω|σιν τῆς συ[ν]κλήτου* 18 *ἐψηφίσατο. § ἱππεῖς δὲ Ῥω|μαίων σύν[π]αντες ἡγεμόνα* 19 *νεότητος ἑκάτε|ρον αὐτῶν [πρ]οσηγόρευσαν, ἀσπίσιν ἀργυ-* 20 *ρέαις | καὶ δόρασιν [ἐτ]είμησαν* |.

Lat. 3. 3 [*s*]*unt* in lapide fuisse, quamquam prima littera olim periit, hiatus ambitus et forma declarant, non [*er*]*unt* a Bergkio propositum. — Gr. 14 *ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων* pro *ὁ Ῥωμαίων* sine dubio a quadratario Ancyrano venit, non ab interprete (v. supra Gr. 3, 14). — 20 requiri *τιμήσαντες* pro *ἐτείμησαν* adnotavit Bergkius.

Iisdem fere verbis Augustus testamentum suum exorsus est (Sueton. Tib. 28): *quoniam atrox fortuna Gaium et Lucium filios mihi eripuit.* — C. Caesar natus a. 734 (Dio 54, 8), a. 737 cum fratre ab avo materno adoptatus (Dio 54, 18, Eusebius ad a. Abr. 2001, u. c. 739: *Αὔγουστος Γάιον Ἀγρίππαν υἱοθετήσατο*), cum quartum decimum annum explevisset a. 748, in forum deductus est a patre consule XII a. 749 (Sueton. Aug. 26; Zonar. 10, 35), ipsis opinor k. Ianuariis, certe non multo post, cum pater consulatu propter hanc deductionem accepto mox se abdicarit. Similiter L. Caesar natus a. 737 (Dio 54, 18), adoptatus una cum fratre, cum annum quartum decimum explevisset a. 751, togam virilem accepit a patre consule XIII a. 752 (Sueton. l. c.; errat in anno Zonaras l. c.), item opinor k. Ianuariis. Tria autem Augustus hoc loco scribit in honorem Gaii et Lucii tum decreta esse, designationem consulatus, senatorium locum, principatum iuventutis. De singulis iam videamus.

Ut Gaio fratri nondum sumpta virili toga consulatus tribueretur, Dio 55, 9 ad a. 748 narrat Lucium Caesarem petiisse, sed Augustum deprecatum esse, ne talis calamitas rursus ingrueret in rem publicam, quali coactus ipse consulatum ante annum vicesimum iniisset; simul alia quaedam pro consulatu denegato eum Gaio tribuisse. Haec narratio, nisi forte Dio in eiusdem annalis parte posteriore adiecit eodem anno de eadem re rursus aliterque decretum esse, id quod parum verisimile est, ostendit Gaium non anno 748 consulem designatum esse; potestque id recte cum indice ita conciliari, ut designatus sit post k. Ian. a. 749 sumpta toga virili, quintodecimo anno nondum expleto.

Neque obstat quod scribit Tacitus ann. 1, 3: (*Augustus*) *Gaium et Lucium . . . . . necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupierat.* Respicit enim utique ipsas illas Lucii preces sine dubio ad secretum patris monitum prolatas et in hoc Augustum reprehendit, quod de consulatu vel ante praetextam depositam filio dando verbis recusans, re proposito favens in senatu egerit, non hoc dicit ipsum consulatum praetextato ei dandum curasse. Consul itaque designatus videtur esse Gaius a. 749, Lucius a. 752, legibus de quaestura et praetura ante consulatum suscipiendis soluti decreto senatus, creati autem a populo Romano (cf. *Staatsrecht* 2, 882), quo tempore comitia consularia fieri solebant, mense ut videtur Martio (*Staatsrecht* 1 p. 569), non ut alii privati in k. Ianuarias proximas, sed in k. Ianuarias quintas, id est Gaius in a. 754, quo iniit consulatum annum sic ut pater quondam agens vicesimum, Lucius in a. 757, quem consulatum quominus iniret mors obstitit eveniens die Aug. 20 a. 755. — Ex testimoniis honorum, quos tituli numique suppeditant, reliqua tempore praecedunt qui repertus est Soriani prope Viterbum titulus nondum editus, mihi notus ex Oderici schedis Genuatibus f. 14 ita conceptus[1]):

c. CAESARI · AVG · F · D · N — IMP · CAESARI · DIVI · F — L · CAESARI · AVG · F
*p*ONTIF · COS · DESIGN — AVG · PONT · MAXIM · COS · XII — DIVI · NEP
*pr*INCIPI · IVENTVT — TRIB · POTESTAT · XX · IMP · XIIII
P · SERGIVS · P · F · RVFVS
T · BRAETIVS T · F · RVFVS
MAG · ITER
*p*AGI · ST*ell*ATINI · *a*EDEM · ET · SIGNA · DE · SVA · PECVNIA · DEDERVNT

et nummi duo cusi ab iisdem duoviris Caesaraugustanis (Heiss *monnaies de l'Espagne* p. 200 n. 9. 10) inscripti alter *imp. Augustus divi f., trib. potes. XX,* alter *imp. Aug. — L. Caes. — C. Caes. cos. des.*, scripti et ille et hi secundo semestri a. 750 ante quam L. Caesar consul designatus est et princeps iuventutis nominatus. Deinde nummus urbanus inscriptus ab una parte sic: *Caesar Augustus, divi f., pater patriae,* ab altera sic: *C. L. Caesares, Augusti f., cos. desig., princ. iuvent.* (Eckhel 6, 171), cusus est inter a. 752 Febr. 5, quo Augustus pater patriae appellatus est, et a. 753 Dec. 31, quo C. Caesar consul designatus esse desiit. Ex titulis alteri utri dedicatis non laudabo nisi Nicomediensem nuper repertum (C. I. L. III n. 323): *L. Caesari Augusti f(ilio), augur(i), co(n)sul(i) des(ignato) an(nos) nat(o) XIIII, princ(ipi) iuventutis*] et urbanum VI, 900, qui quamvis principio careat, eiusdem sit necesse est: . . . *[p]rinc[ipi] iuventutis, a[ug(uri)], quem cos. populus creavit ann(os) nat(um) XIIII, [se]natus et populus Romanus*, propter aetatem adscriptam, quae eadem est atque in monumento Ancyrano.

[1]) Hiatus nulli indicantur traduntur que I, 1 GAESARI — II, 1 CAELARI — III uno versu DIVI · NEP · L · CAESARI · AVG · F · ; in subscriptis 2 TB · BRAETIVS — 3 AGI · STEIIATINI AAEDEM.

Consiliis publicis ut interesse filiis liceret, Augustus ait senatum ita decrevisse, ut eo iure uterentur inde ab eo die, quo in forum deducti sint. Quo cum deducti esse videantur k. Ian. a. 749 et 752, senatus consulta illa si praecesserunt deductionem, facta sint necesse est a. 748 et 751. Sed opponi potest quod Augustus in indice usus est indicativo vix ferendo, si senatus consulta illa ante deductionem facta sunt, sed qui tolerari possit, si deductionem statim secuta sunt consulta. Utut est, idem esse nego senatus consultum Gai causa a. 748 factum, de quo Dio post verba supra adlata ita refert: *καὶ μετὰ τοῦθ' ἱερωσύνην μέν τινα αὐτῷ* (Gaio) *καὶ τὴν ἐς τὸ συνέδριον συμφοίτησιν τό τε συνθεᾶσθαι καὶ τὸ συνεστιᾶσθαι τῇ βουλῇ ἔδωκε*, quod continuat Zonaras 10, 35 in Dionis deperditi locum subiens: *δωδέκατον ὑπατεύων* (a. 749) *ὁ Αὔγουστος εἰς τοὺς ἐφήβους τὸν Γάιον ἔταξε καὶ ἐς τὸ βουλευτήριον ἅμα εἰσήγαγε*. Nam ut alibi exposui (*Staatsrecht* 2 p. 903), ius sedendi inter senatores tam in curia quam inter ludos et epulas publicas etiam praetextato recte dari potuit, eoque magis ducunt verba Dionis. Denique nihil impedit, quominus senatus Gaio et Lucio alterum honorem praetextatis, alterum post sumptam togam virilem tribuerit. — Praeterea titulus C. I. L. I p. 286 (ubi eum inter elogia rettuli deceptus falsis supplementis damnatis deinde in add. p. 565) = VI, 895:

decreuit senatus ut interesset
CONSILIIS · PVBLICIS · COI*retque inter senatores, cum*
ANNVM · EXPLETVRVS *erat xiiii (xu?)*
MORTEM · EIVS · IVSTITIO · PER · CON*sules indicto*
OMNES · LVXERVNT / CENSV*rae* . . . . . .
INSIGNIBVS · DECORATA · CV . . . . . .

pars videtur esse elogii sepulcralis Lucii filii Augusti; nam Gai si esset, inter decretum de honore senatorio mortemque interponendus fuit consulatus et nomen imperatoris adeptum, neque alium ullum novimus domus imperatoriae, cui eiusmodi elogium recte adscribas praeter Lucium[1]). Decretum id cuius memi-

[1]) Addo similis elogii duo fragmenta Romae ex ipsis mausolei Augusti parietibus olim descripta C. VI, 894 (cum add. p 840):

1 *anteq*\/AM · PER · LE*ges liceret*
*consilii*S · PVBLICIS · *interesse*
*drus*O · FRÁTRE · SV*o*
*senatu*S · DÉCRÉVIT · V*ti*

2 *dalmatas devicit reliquos e*ORVM · IN · DÉDITIÓNE*m accepit*
*cum qui*NQVENNIVM · INTERCES*sisset*
IS · QVI · PRÓ · CONSVLE C
ex senatus cons\/LTÓ · VÓTA · PER · CÓNSVLES
5 *uiri femi*IAEQVE · LVXERVNT/ · HON*or*
TALIBVS · INFERRÍ · SOLERE
PSÍVS · ET · QVANDÓ

nit cum secundum supra dicta factum esse videatur a. 752 incipiente, cum Lucius annum XIIII aut explevisset aut expleturus esset, v. 3 utrum XIIII fuerit an XV, definiri non potest. — De censorio funere vide Tacitum ann. 13, 2; Marquardtium *Privatleben* 1, 340; *Staatsrecht* 1² p. 125. Iustitii propter mortem C. Caesaris indicti meminerunt fasti Ripatransonenses (v. infra ad 5, 24).

Principatus iuventutis praeter nummos titulosque et Taciti locum supra relatos (cf. item *Staatsrecht* 2 p. 800) meminit ex Dione Zonaras 10, 35 de Gaio et Lucio narrans: *ὁ Αὔγουστος .... πρόκριτον ἀπέφηνε τῆς νεότητος ἔλαρχόν τε φυλῆς γενέσθαι ἐπέτρεψε*, quamquam et de auctore honoris et in annis errat. Praeterea Dio 55, 12 in exequiis Gai et Lucii enarrandis inter alia haec habet: *αἱ πέλται τά τε δόρατα, ἃ παρὰ τῶν ἱππέων ἐς τοὺς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ* (sic errore) *εἰλήφεσαν, ἐς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη*. Restant quaedam adnotanda de ipsa dignitate. Et opinatio quidem eorum, qui principem iuventutis proprie eum esse sibi persuaserunt, quem in equitibus recensendis censores primum vocassent (Becker 2, 1 p. 288), dudum explosa est et refutata (Marquardt hist. eq. p. 75): nam principes equestris ordinis similiaque, quae passim apud Ciceronem reperiuntur, ne posse quidem sic accipi vel inde apparet, quod ab a. 685 ad a. 726 lustrum nullum conditum est, neque quem comparant princeps senatus ideo sic dicitur, quod primus est in tabulis censoriis senatorum, sed quod primus in senatu sententiam rogatur. Nec tamen propterea crediderim principis iuventutis dignitatem totam noviciam esse neque ullo modo applicatam ad antiquam rei publicae formam: immo verum vidit in universum Spanhemius (de usu et praest. numism. 2, 359) principatum iuventutis repetens ex seviratu equitum Romanorum. Nam cum principes iuventutis constet fuisse principes equitum Romanorum[1]), seviri autem equitum Romano-

---

Titulum C. Caesari Henzenus tribuit, sed ipse vidit obstare versum 2, 1. Quae supersunt quamquam continuam restitutionem non recipiunt, uni ni fallor Germanico conveniunt. Ei enim, cum a. 762 bello Dalmatico finem imposuisset, ut ait Dio 56, 17, inter alia datum est *τὴν ὑπατείαν θᾶσσον παρὰ τὸ νενομισμένον λαβεῖν*, quod recte ita accipi potest ei permissum esse, ut quinto anno post quaesturam gestam ad consulatum admitteretur (cf. *Staatsrecht* 1² p. 557); quaestor enim fuit a. 760, consul a. 765. Quae sequuntur, ita fortasse supplenda sunt: [*missus est b*]*is qui pro consule G*[*allias et Orientem obtineret*]; nam de viro proconsulari potestate ad exemplum principis praedito proconsulis vocabulum nudum recte evitatur.

[1]) Lotharii Koch (de principe iuventutis. Lipsiae 1883. 8) si recte intellexi disputationem obscuram et perplexam, is principem iuventutis ad equitatum referendum esse negans solam iuris in principatum rei publicae hereditarii significationem in eo vocabulo inesse contendit. Nos id inventum suo auctori relinquemus mirificum sane ut multis aliis nominibus, ita maxime eo quod ita futurum populi Romani imperatorem soli equites Romani deligunt vel adeo, si Kochium sequimur, seviri eorum; is enim auctor et acutus et modestus Augustum ait (p. 14) sive erravisse sive mentitum esse ab universis equitibus id repetentem, vere Gaium et Lucium principes iuventutis factos esse decreto collegii sevirum equitum Romanorum. Quodsi princeps iuventutis erat, ut fuisse eum adhuc omnes credidimus, primus equitum Romanorum, cum senatui adscribebatur, ut eques Romanus ita princeps quo-

rum non sint nisi ipsorum equitum duces, fieri non potest, quin etiam ad seviros illi principes quodammodo pertinuerint et inter eos potissimum eminuerint. Neque eius coniunctionis argumenta deficiunt, recte explicata a Marquardtio (hist. eq. p. 76). Ita Zonaras vel potius Dio loco modo adlato iungit principatum iuventutis et seviratum turmae; ita M. Aurelium Caesarem cum Dio 71, 35 scribat tamquam principem equestris ordinis (*πρόκριτον τῆς ἱππάδος*) cum reliquis equitibus pompam duxisse, biographus eius c. 6 eandem sine dubio rem sic effert sevirum eum creatum esse turmis equitum Romanorum. Quare principes iuventutis aetatis imperatoriae probabiliter repetentur a seviris illis vetustissimis[1]). Equites autem Romani turmatim ordinati videntur fuisse singulisque turmis numero quinquaginta quattuor praefuisse decuriones terni et optiones terni, qui sunt ipsi illi seviri (v. hist. Rom. meae vol. 1[2] p. 786); unde qui honorificentissimus locus erat in ordine equestri primae turmae trium decurionum, eum videntur occupasse Gaius et Lucius Caesares reliquique principes iuventutis. Nam plures simul principes iuventutis esse potuisse demonstrant tam ipsi de quibus agimus quam postea imperante Vespasiano Caesares Titus et Domitianus. Fuisse autem eos si non tres, tamen ex tribus, ostendit scriptor vitae Commodi c. 1: *cooptatus est inter tres solos* (immo

---

que iuventutis esse desineret necesse erat; idque vere ita evenisse clare ostendit arcus Ticinensis (C. V. 6416) dedicatus Gaio et Lucio post mortem utriusque et non illum, qui diem functus est consularis, sed hunc solum, qui eques Romanus obiit, principem iuventutis appellans. Quod argumentum quomodo subterfugiat Rochius, referre supersedeo. Afferens autem titulos non paucos, qui C. Caesari etiam post honorem proconsularem adeptum principatum iuventutis adscribunt, et iis sententiam illam ratus refelli, rem de qua agitur ne hic quidem perspexit. Nam honores etiam depositos tituli vulgo enuntiant neque inde, quod principem iuventutis eum post mortem appellant, ullo modo efficitur eum morientem eum locum obtinuisse, ut eum consulem appellantes non magis negant obiisse post fasces depositos. Sed equitis Romani condicio hoc proprium habet, quod qui ex equestri ordine ad senatorium pervenerunt, qui solitus est honorum ordo apud Romanos, uno solo exemplo excepto (C. VI, 1421) equitis Romani vocabulo abstinent neque cursui honorum id inserunt. Id ipsum severiore lege etiam ad principatum iuventutis pertinuisse ex arcu Ticinensi intellegitur neque inde ullo modo infringitur, quod prona adulatio et remissior usus mature equestrem principatum ab ordine honorum abesse noluit. Posteriore aetate ipsam legem illam oblitteratam esse et principatum iuventutis geri non desitum post adeptum locum senatorium primum in Domitiano apparet et deinceps mansit.

[1]) Qui haec sibi nuper refutanda sumpsit idem Rochius l. c. p. 10 seq. sententiam meam ut everteret pervertit: neque enim hoc dixi eundem esse sevirum equitum Romanorum et principem iuventutis, sed coniunctum fuisse utrumque honorem. Scilicet cum seviri praeessent ordini equestri, princeps autem iuventutis item primum locum obtineret inter nobiles Romanos nondum senatui adscriptos, necessario sequitur eundem primum locum inter seviros obtinuisse, idque ipsum loci supra allati plane confirmant, praesertim secundus. Nam princeps iuventutis sive *πρόκριτος τῆς νεότητος* et sevir equitum Romanorum, alias Dioni appellatus *φύλαρχος*, aperte ibi coaluerunt, ut ita prodiret *πρόκριτος τῆς ἱππάδος*.

solus) *princeps iuventutis, cum togam sumpsit*[1]). Idem confirmant nummi Getae (Eckhel 7, 230; Cohen ed. 1 vol. 3 p. 472 n. 119 p. 480. 481 n. 172—175), in quibus cum scribatur *P. Septimius Geta Caes., princ. iuvent., cos.*, cernuntur equites cito currentes tres, quorum unus praecedit. Caesar scilicet, duo sequuntur loci ut videtur inferioris[2]). Denique ita explicatur, quod M. Aurelius Caesar princeps iuventutis ludos sevirales edidit *cum collegis* (vita M. Anton. c. 6); edidit nimirum una cum quinque aliis seviris turmae primae. Itaque ex tribus decurionibus primae turmae equitum Romanorum si qui erat ex domo imperatoria et, ut ait Ovidius (artis amat. 1, 194), nunc iuvenum princeps, deinde futurus senum, appellabatur princeps iuventutis, contra privati eodem loco constituti subsistebant in antiqua appellatione seviri equitum Romanorum turmae primae. Idque significat Augustus, cum scribit filios suos ab equitibus Romanis appellatos esse nomine illo honorificentiore. Evidenter enim in ea appellatione spes continetur principi qui nunc est aliquando succedendi, neque ullum extat certius et firmius documentum hereditarii iuris ab Augusto in rem publicam una cum principatu aliquatenus certe introducti quam haec principis iuventutis appellatio in filios successoresque collata iisque solis reservata. Quod ipsum enuntiare Pisani non dubitaverunt, cum C. Caesarem queruntur ereptum esse populo Romano *iam designatum iustissumum ac simillumum parentis sui virtutibus principem* (Orell. 643). — In nummis principes iuventutis repraesentantur stantes velati et togati, dextra hastam tenentes, sinistra parmae innixi; supra capeduncula est et lituus (Eckhel 8, 376) iunguntur que ita, ut recte observavit Cavedonius (*mon. Ancir.* p. 336), tres honores simul recepti, scilicet toga virilis et sacerdotia duo indicata tam velo quam instrumentis et principatus equitum. Ubi autem principes iuventutis exhibentur citato equo currentes, id quod probabiliter refertur ad equitum travectionem sive probationem idibus Iuliis, ibi parma hastaque absunt[3]).

Quod si quaeris quomodo Gaius et Lucius principes iuventutis facti sint,

---

[1]) Id est *cooptatus est ab equitibus inter tres primarios seviros ita, ut solus esset princeps iuventutis.* Ab emendatione Lipsii sane speciosa *inter trossulos* verba illa optime defendit Spanhemius l. c., neque auctor, qualis est biographus, obsoleto nomine trossulorum equites appellare potuit.

[2]) Raro additur ad tres hos equites alter ordo superior in partem oppositam currens (Cohen l. c. n. 176); quae res spectat fortasse ad certam aliquam equitum pompae vel decursionis formam.

[3]) Vergilii poetae (Aen. 5, 545 seq.) turmae tres Troiam ludentes puerorum duodenorum non recte adhibebuntur ad sevirum pristinam condicionem definiendam; nam et alibi Troiam ludunt turmae duae sub magistris duobus (Suetonius Caes. 39: *Troiam lusit turma duplex maiorum minorumque puerorum;* idem Aug. 43. Tib. 6; Plutarchus Cat. min. 3) neque quicquam commune habent Troiae lusus ludique sevirales. Nam ille pertinet ad pueros nondum in forum deductos, hi ad adulescentes post sumptam togam virilem; illum pueri ipsi in circo ineunt, hos suis sumptibus seviri faciunt praesidentes iis pro magistratibus sacerdotibusve.

de decreto peritus non cogitabit, primum quod equitum Romanorum iustum concilium nullum umquam fuit, deinde quod Augustus non decernendi similive vocabulo usus est, sed appellandi. Immo ut antiqua aetate principes tam populi quam iuventutis non delectu aliquo decretove facti sunt, sed communi consensu et popularibus iudiciis, ita aetate imperatoria hoc quidem mutatum est, ut unus esset tam in civitate quam in iuventute ceteros omnes dignitate praecellens, sed tantum afuit, ut id vocabulum imperatori filiove vel filiis eius decreto legeve tribueretur, ut cum loco quem obtinebant sponte iis pararetur. Augustus autem significat filios tum opinor, cum primum inter equites equo publico publice prodibant, ab universis equitibus principum iuventutis vocabulo consalutatos esse, quae tamen acclamatio magis ad declarandum honorem pertinuit quam ad attribuendum. — Quo tempore Gaius et Lucius principes iuventutis facti sint, Augustus non definit, nec licebit efficere ex Tacito eum honorem praetextatis iis habitum esse; immo videtur ita iis acclamatum esse, cum post praetextam depositam primum inter equites publice prodirent.

CAPVT XV

LAT. 3, 7 | Plebei Románae viritim ~~HS~~ trecenos numeravi ex testámento
8 patris | mei, § et nomine meo ~~HS~~ quadringenos ex bellórum
9 manibiís consul | quintum dedí, iterum autem in consulátú
10 decimo ex [*p*]atrimonio | meo ~~HS~~ quadringenos congiári viritim
11 pernumer[*a*]ví, § et consul | undecimum duodecim frúmentátiónes
12 frúmento pr[*i*]vatim coémpto | emensus sum, [§] et tribuniciá
13 potestáte duodecimum quadringenós | nummós tertium viritim
14 dedí. Quae mea congiaria p[*e*]rvenerunt | ad [*homi*]num millia
15 nunquam minus quinquáginta et ducenta. § | [T]ribu[*nic*]iae potes-
16 tátis duodevicensimum consul XII trecentís et | vigint[*i*] millibus
17 plebís urbánae sexagenós denariós viritim dedí. § | *In* colon[*i*]s
18 militum meórum consul quintum ex manibiís viritim | millia
nummum singula dedi; acceperunt id triumphale congiárium
19 | in colo[*n*]ís hominum circiter centum et viginti millia. § Consul
20 ter|tium dec[*i*]mum sexagenós denáriós plebeí, quae tum frúmen-
21 tum publicum | accipieba[*t*], dedi; ea millia hominum paullo
plúra quam ducenta fuerunt.

GR. Ancyr. 7, 21 Apoll. 4, 1 2 | *Δήμῳ Ῥωμα[ίω]ν κατ' ἄνδρα ἑβδομήκοντα*
22 23 *π[έντ]ε* | *δηνάρια ἑκάστῳ ἠρίθμησα κατὰ διαθήκην τοῦ*
24 *πατρός μου, καὶ τῷ ἐμῷ ὀνόματι* | *ἐκ λαφύρων [π]ο[λέ]μου*
8, 1 *ἀνὰ ἑκατὸν δηνάρια* || *πέμπτον ὕπατος ἔδωκα, § πάλιν τε*
2 3 *δέ[κατο]ν* | *ὑπατεύων ἐκ τ[ῆ]ς ἐμῆς ὑπάρξεως ἀνὰ δηνά[ρια*
4 *ἑκατὸν ἠρίθ[μ]ησα, [§] καὶ ἐνδέκατον ὕπατος* | *δώδεκα σειτο-*

5 *μετρήσεις ἐκ τοῦ ἐμοῦ βίου ἀπε|μέτρησα,* [§] *καὶ δημαρχικῆς*
6 *ἐξουσίας τὸ δωδέ|κατον ἑκατὸν δηνάρια κατ' ἄνδρα ἔδωκα·*
7 8 *αἵτ[ι]|νες ἐμαὶ ἐπιδόσεις οὐδέποτε ἧσσον ἤλϑ[ο]ν ε[ἰ]ς | ἄνδρας*
μυριάδων (immo *ἤλϑον ἢ εἰς ἀνδρῶν μυριάδας*) *εἴκοσι πέντε.*
9 *δημα[ρ]χικῆς ἐ|ξουσίας ὀκτωκαιδέκατον, ὕπαι[ος] δ[ωδέκατον]*
10 11 *| τριάκοντα τρισ[ὶ] μυριάσιν ὄχλου πολειτικ[οῦ ἐ]ξή|κοντα*
12 *δηνάρια κατ' ἄνδρα ἔδωκα, κα]ὶ ἀποίκοις στρα|τιωτῶν ἐμῶν*
13 *πέμπτον ὕπατος ἐ[κ] λαφύρων κατὰ | ἄνδρα ἀνὰ διακόσια*
14 *πεντήκοντα δηνάρια ἔδ[ωκα·] | ἔλαβον ταύτην τὴν δωρεὰν ἐν*
15 *ταῖς ἀποικίαις ἀν|ϑρώπων μυριάδες πλ[εῖ]ον δώδε[κα. ὕ]πατος*
16 *τ[ρι]σ|καιδέκατον ἀνὰ ἑξήκοντα δηνάρια τῷ σειτομει[ρου]-*
17 18 *|μένῳ δήμῳ ἔδω[κα· οὗτο]ς ἀρ[ι]ϑμ[ὸς πλείων εἴκο|σ]ι [μυ]ριά-*
δων ὑπῆρχ[ε]ν. |

Lat. 17 pro *in colonis* (nam *in* legerunt in lapide Perrotus et Domaszewskius, priorque littera ı etiam in ectypo cernitur) Bergkius scribi iussit *et colonis*, perperam, nam quae viritim dantur, non coloniis dantur, id est rebus publicis, scribendumque fuit aut *colonis militibus meis* aut *in coloniis militum meorum viritim*. At in Graecis v. 11 quod cernitur ΕΔΩΚ/ΙΙΑΠΟΙΚΟΙΣ, fuerit necesse est ΕΔΩΚΑ ΚΑΙ ΑΠΟΙΚΟΙΣ, nam littera ante ΑΠΟΙΚΟΙΣ non Ν fuit, sed ı, nec spatium satis expletur duabus litteras ΕΝ. Interpres cum *colonis* pro *coloniis* positum esse non perspiceret, *in* vocabulum perperam mutavit, quamquam vel sic quod dedit *ἀποίκοις στρατιωτῶν* parum recte procedit.

Octo hae liberalitates praeter quartam frumentariam pervenerunt minimum ad summam sestertium 619,800,000 (v. ad 6. 29). Enumerantur ordine temporis, nisi quod septima a. 725 eaque sola civium veteranorum, cum reliquae ad plebem urbanam pertineant, mire separatur ab urbana simul facta interponiturque inter paenultimam ultimamque. Quod ut explicationem habeat, sumendum esse existimo recensum hunc primum perscriptum esse c. a. 750, ut enumerarentur donationes primum urbanae, deinde veteranorum, congiarium autem a. 752 postea adiectum esse (cf. p. 4). Neque ob aliam causam vocabulum scriptor mutavit plebem quam antea Romanam dixerat postea urbanam appellans[1]). Dona autem militibus oblata ante missionem (ut a. 711: Dio 46, 46; a. 718: Appian. b. c. 5, 129, Dio 49, 14; a. 746: Dio 55, 6) consulto praeteriit Augustus. Praeteriit item quod c. a. 756 iis qui inopia premerentur

[1]) Vocabuli mutati causam recte requisivit Hirschfeldius (Philol. vol. 29 p. 4), non recte autem posuit plebem Romanam intellegi cives Romanos plebeiae condicionis, urbana eos quoque comprehendi, quibus civitatis Romanae plenum ius deesset. Immo ut *urbs Roma* tam *urbs* dici potest quam *Roma*, ita cives Romani plebeiae condicionis in urbe Roma degentes pari iure et *plebs Romana* appellari possunt et *plebs urbana*, peregrini autem Romae degentes neutra comprehenduntur, ad quos praeterea quomodo priores liberalitates magis pervenire potuerint quam postrema difficile intellegitur. — Bergkius comma v. 19 *consul* — 21 *fuerunt* interponi iussit v. 17 inter *et* (ut legit pro *in*) et *colonis*.

sestertium sescenties (60.000.000) in triennium mutuum dedit sine usura teste Zonara (10, 36: *χιλίας καὶ πεντακοσίας μυριάδας δραχμῶν ἀτόκους τοῖς δεομένοις δανείσας ἐπ' ἔτη τρία ἐπηνεῖτο παρὰ πάντων*). Plebis Romanae sive urbanae cum a. 749 numerentur milia cccxx (nam cccxxx quod interpres dedit sine dubio erratum est), quinque liberalitates ab a. 710 ad 742 divisae dicuntur numquam pervenisse ad homines minus ccl milia, ut postea datae pervenisse videantur ad numerum aliquanto maiorem et plebs ab a. 710 ad a. 749 paullatim a minore hoc numero ad maiorem illum succrevisse. Ultimam autem largitionem cur non ceperint nisi hominum milia paullo plus ducenta, inde explicatur quod paullo ante Augustus plebem denuo recensuerat et cum antea plebeii ordinis civibus omnibus in urbe degentibus in frumentum publicum ius esset, accipientium numerum ad hunc redegerat teste Dione epitomato 55, 10, 1: *ὁ δὲ Αὔγουστος τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ὂν ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε* (cf. Suetonius Aug. 40). Id cum in epitoma interpositum sit inter res a. 748 et 752, collato hoc capite commentarii factum esse intellegitur inter largitiones duas a. 749 et 752 videturque cum ipsa hac quodammodo coniunctum fuisse, cum apud Dionem congiarium, quod non potest esse nisi anni 752, statim subiungatur. — Summam quodammodo capitis huius rettulit Suetonius (Aug. 41) ita: *congiaria populo frequenter dedit, sed diversae fere summae, modo quadringenos, modo trecenos, nonnumquam ducenos quinquagenosque* (immo *quadragenosque*) *nummos.* Chronographus a. 354 cum ait de Augusto (p. 646 ed. meae): *congiarium dedit ter* ⁜ *cccLXIIS*, tam in congiariorum numero errat quam in summa; nam ex octo liberalitatibus, quas enumerat ipse Augustus, missa testamentaria et frumentaria et militari numerandae erant quinque, quarum summa fiebat ⁜ · MDCLXXX sive ⁜ ccccxx. Videtur laterculi auctor numerasse tria congiaria sestertium quadringenorum, ex duobus sestertium ducenorum et quadragenorum alterum omisisse, alterum cum Suetonio credidisse sestertium ducenorum et quinquagenorum.

Prima largitio pertinens ad a. 710 saepe memoratur apud scriptores (Sueton. Caes. 83; Plutarch. Anton. 16. Brut. 20; Appian. 2, 143), qui cum praeterea etiam in summa cum commentario consentiant, solus Dio 44, 35 cum adsecla Zonara 10, 12 et hanc summam ponit et auctore citato ipso Augusto alteram sestertiorum cxx (cf. Drumann 1, 101).

Liberalitates secunda et septima profectae ex bellorum manibiis datae sunt post triumphum triduanum a. 725. Rem confirmat Dio 51, 21: *καὶ τοῖς στρατιώταις ἔδωκέ τινα, τῷ τε δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμάς, προτέροις μὲν τοῖς ἐς ἄνδρας τελοῦσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς παισὶ διὰ τὸν Μάρκελλον τὸν ἀδελφιδοῦν, διένειμεν.* Paullo ante (51, 17) rettulerat militibus qui cum Caesare venerant Alexandream numerata esse milia nummum singula tamquam in solacium urbis non traditae diripiendae. De numero militum v. ad 3, 22.

Tertium donum in consulatu decimo a. 730 dedit Augustus post devictos Cantabros Romam rediens. De eo Dio 53, 28 sic tradit Augustum tum

plebi denarios centenos promisisse, cumque prius se de eo congiario edicturum negaret quam senatus approbasset, senatum statim eum absentem etiam tum legibus solvisse. Videtur igitur lege prohibitum fuisse, quominus plebi nummi dividerentur.

De quarta liberalitate frumentaria egimus ad 1, 32.

Quintum congiarium datum a. 742 praeterea commemoratur tribus locis, in fastis Ripatransonensibus et apud Dionem et Iosephum. Fasti illi (C. I. L. I p. 472 = IX n. 5289) sic ni fallor explendi sunt paullo aliter atque explevit Borghesius dec. 6, 6 opp. 1, 314[1]):

cos. m. ualerius messalla p. sulpicius quirinius u. c. 742
suf. . . . . *c. ualg* I V S *rufus*
. . . . . *c.* CANINIVS *rebilus*
k. AVGVST L · VOLVSIVS · SA*turninus*
*prid. non mart. imp. caes*AR · PONTIF · MAXIM · CRE*atus est*
. . . . . *ide*M · CONGIARIVM · POPVLO *dedit*
. . . . . RIVS · M · F P · RVPIL*ius . . f . iiuir?*
*cos. paullus fa*BI*us maximus q.* AELI*us tubero* u. c. 743

Dio (54, 29) ad a. 742 postquam dixit de morte Agrippae, quae evenit eius anni mense Martio, et de legatis, quae heredem Augustum populo Romano dare iussisset, addit praeterea Augustum, tamquam ita testamento iussus esset, quadringenos sestertios plebi divisisse (*καὶ κατ' ἐκεῖνον δραχμὰς τῷ δήμῳ, ὡς καὶ ἐκείνου τελεύσαντος, διένειμε*). Denique Iosephus 16, 1, 5, postquam narravit congressum Caesaris et Herodis Aquileiae, quo scilicet Augustus venit eodem anno Tiberium inde ad bellum Pannonicum dimittens (cf. Dio 54, 31; Sueton. Aug. 20), antequam exponit de aedificatione oppidi Caesareae absoluta a. 743 (16, 5, 1), haec interponit: *ἐν δὲ ταῖς ὑστέραις ἡμέραις Ἡρῴδης ἐδωρεῖτο Καίσαρα τριακοσίοις ταλάντοις, θέας τε καὶ διανομὰς ποιούμενον τῷ Ῥωμαίων δήμῳ*. Ubi non intellegi munus gladiatorium editum ab Augusto filiorum nomine quinquatribus, id est die Mart. 19 a. 742 (Dio 54, 28), quod Zumptius sibi persuasit, inde colligitur, quod id neque cum divisione ulla coniunctum fuit et editum est Agrippa vivo (Dio l. c.). Immo cogitavit Iosephus de quadringenis sestertiis, qui tamquam ex testamento Agrippae eo anno post diem Iun. 26 (dies congiarii dati in fastis Ripatransonensibus adscriptus fuit, sed intercidit) populo numerati sunt, et de munere gladiatorio in honorem Agrippae defuncti statim sine dubio promisso, sed edito a. demum 747 (Dio 55, 8), scilicet procrastinatis spectaculis propter apparatum ludorum longum et molestum.

[1]) Bergkium statuentem ludos factos esse ab Augusto a. 742 ob susceptum pontificatum maximum, erravisse igitur Dionem ex testamento Agrippae eos repetentem, fastos Ripatransonenses supplendos esse sic: [*pr. non. Mart. imp. Caes*]*ar pontif. maxim. cr*[*eatus ludos circienses et*] *congiarium populo* [*dedit*], iam redarguit ipse lapis lectione expleta.

Sexta liberalitas facta est ab Augusto in tribunicia potestate XVIII, consulatu XII, id est a. 749 inter Ian. 1 et Iun. 26, octava in consulatu XIII, quem suscepit extremum omnium a. 752. Probabiliter omnino utramque Casaubonus rettulit ad C. et L. Caesares illis annis in forum deductos (cf. supra ad 2, 46), cum praesertim utriusque congiarii summa eadem sit et harum deductionum causa Augustum constet consulatus suscepisse duodecimum et tertium decimum (Suet. Aug. 26). Eadem ex causa non solum pro Germanici filiis Nerone et Druso (Sueton. Tib. 54; Tacitus ann. 3, 29; Henzen 6443) et pro Nerone Claudio (Suet. Ner. 7) congiaria data sunt, sed privati quoque ob togam virilem liberis datam sportulas dividere solebant (Plin. ad Trai. 116). Scriptores qui supersunt prioris congiarii non meminerunt interciditque eius anni annalis Dionis, alterius mentio superest apud Dionem in fragmento 55, 10, ubi post verba modo (p. 61) adlata pergitur: *καὶ ὥς γέ τινες λέγουσι, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε* causa in epitoma certe non adscripta.

CAPVT XVI

LAT. 3, 22 |Pecuniam [*pro*] agrís, quós in consulátú meó quárto et posteá
23 consulibus | M. Cr[*asso e*]t Cn. Lentulo Augure adsignávi militi-
24 bus, solví múnicipís. Ea | [s]u[*mma sest*]ertium circiter sexsiens
25 milliens fuit, quam [*p*]ró Italicís | praed[*ís*] numeravi, § et ci[*r*]-
26 citer bis mill[*íe*]ns et sescentiens, quod pro agrís | próvin[*c*]ialibus
27 solví. § Id primus et [s]olus omnium, qui [*d*]edúxerunt | colonias
28 militum in Italiá aut in provincís, ad memor[*i*]am aetátis | meae
feci.

GR. Ancyr. 8, 19 Apoll. 4, 3—8 |*Χρήματα ἐν ὑπατείᾳ τετάρτῃ ἐμῇ κα*[*ὶ*]
20 *μετὰ ταῦτα ὑ*|*πάτοις Μάρκῳ Κράσσῳ καὶ Ναίῳ Λέντλῳ*
21 *Αὔγου*|*ρι ταῖς πόλεσιν ἠρίθμησα ὑπὲρ ἀγρῶν, οὓς ἐμέρισα*
22 23 |*τοῖς στραι*[*ιώ*]*ταις. Κεφαλαίου ἐγένοντο ἐν Ἰταλίᾳ*|*μὲν μύριαι*
24 *π*[*εντακι*]*σ*[*χ*]*ε*[*ίλιαι μυ*]*ριάδες,* [*τῶ*]*ν* [*δὲ ἐ*]*παρ*|*χειτικῶν ἀγρῶν*
9, 1 [*μ*]*υ*[*ριάδες ἑξακισχίλ*]*ιαι πεν*[*τακό*]*σ*[*ιαι*]. ‖ *Τοῦτο πρῶτος καὶ*
2 *μόνος ἁπάντων ἐπόησα τῶν* | [*κατα*]*γαγόντων ἀποικίας*
3 *στρατιωτῶν ἐν Ἰτα*|*λίᾳ ἢ ἐν ἐπαρχείαις μέχρι τῆς ἐμῆς*
ἡλικίας. §

Lat. v. 24 cum dedisset //COLLAIICIS Perr., //COEPADICIS Mordtm., //COLLA . Lucas. in lapide fuisse conieci *pro collaticis*, bonorum auctorum consensu deterritus quominus reponerem id quod res et sermo sane multo magis commendabant, *pro Italicis*: sed erravisse me et Bergkius statuit et nunc lapis confirmat. — In Graecis v. 19 removimus quae in exemplo Apolloniensi post *χρήματα* male repetita est littera A; eam enim neque exemplum Graecum alterum agnoscit, nec hians in Latino post PECVNIA spatium supplementa

capit, qualia Zumptius proposuit *pecunia quam pro agris.* — Deinde v. 22 post *στρατιώταις* quae antea temptata sunt *κεφάλαιον γέγονεν μεροιθέντων* ab Hauptio, *κεφάλαιον γέγονεν αὐτὸ ἐν Ἰταλίᾳ* a Bergkio, iam emendantur duobus exemplis melius et plenius lectis. — Nona pagina nunc primum accedit.

Hoc loco quae traduntur, antea iam de praemiis militum disserens 1, 17 princeps tetigit, hic explicatius redeunt inter liberalitates civibus praestitas. Narrantur autem hoc loco duae res, quarum prior pertinet ad a. 724, altera ad a. 740. Anno 724 Augustus scribit se militibus adsignavisse praedia Italica et pro eis numerasse municipiis sestertium circiter sexies millies (600,000,000). Cum his componenda sunt, quae de praemiis post victoriam Actiacam militibus persolutis auctores tradiderunt. Quorum qui rerum ordinem reliquis plenius enarrat Dio (51, 3. 4) Caesarem scribit post victoriam Actiacam (723 Sept. 2) veteranos tam sui exercitus quam Antoniani in Italiam ablegavisse; deinde cum illi traiecti in Italiam neque tamen dimissi (nam praemia et missionem poscebant teste Suetonio Aug. 17) tumultuarentur, principio a. 724 Brundisium advectum res ita ordinavisse, ut vetustissimis et suis militibus oppida Italica adsignaret ea scilicet quae Antonio favissent (*τοὺς δήμους τοὺς ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τοὺς τὰ τοῦ Ἀντωνίου φρονήσαντας ἐξοικίσας τοῖς στρατιώταις ἁς τε πόλεις καὶ τὰ χωρία αὐτῶν ἐχαρίσατο*), reliquis pecunia satisfaceret, veteribus autem possessoribus Italicis partim Dyrrachii et Philippis alibique in provinciis agros redderet, partim pecuniam pro agris promitteret, quae pecunia post captam Aegyptum demum persoluta est. Etiam Orosius 6, 19, 14: *Caesar*, inquit, *quartum . . . consul Brundisium venit: ibi orbis terrarum praesidia divisis legionibus composuit.* Spectat denique huc adnotationum duarum Eusebianarum ad a. Abr. 1985 (1984 Hier. sive urbis 723 (vide p. 14): *Romani colonias deduxerunt* et ad a. Abr. 1991 (1989 Hier.) sive urbis 729: *coloniae deductae sunt* altera; nam prior pariter loco mota atque ovatio (v. ad 1, 21) pertinet ad colonias post victoriam Philippensem constitutas. Certius autem et luculentius quam rerum scriptores rem patefacit auctor gromaticus Hyginus de lim. p. 177 Lachm.: *divus Augustus [postquam] adsignavit orbi terrarum pacem* (id est post debellatum Antonium Ianumque clausum, v. ad 6, 13), *exercitus, qui aut sub Antonio aut sub Lepido militaverant* (cf. Dio 51, 3 initio), *pariter et suarum legionum milites colonos fecit alios in Italia alios in provinciis: quibusdam deletis hostium civitatibus novas urbes constituit; quosdam [in] veteribus oppidis deduxit et colonos nominavit; illas quoque urbes quae deductae a regibus aut dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauserat, dato iterum coloniae nomine numero civium ampliavit, quasdam et finibus.* — Ademptionem igitur cum triumviri ita instituissent, ut nulli quicquam pro agro erepto redderent[1]), Caesar ita temperavit, ut pro

[1]) Non obstat quae Bergkio obstare visa est narratio Dionis 49, 14 ad a. 718 de adsignatione triumvirali: *καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον*

adempto pretium vix iustum, aliquod tamen veteribus possessoribus persolveret. Pervenisse impensas ad sexiens miliens ipse scribit; cave autem collato militum veteranorum, qui triumphale congiarium acceperunt, numero CXX milium inde efficias veteri possessori pro singulis possessionibus, quae adimerentur et militi adsignarentur, persoluta esse quina milia sestertium. Nam CXX milia hominum, quibus in suo cuique oppido numerabatur a. 725 triumphale congiarium, milites sunt victoris exercitus omnes praeter peregrinos eosque qui etiamtum sub signis merebant. Hic vero inde deducendi sunt milites paucorum stipendiorum, quos Dio scribit non agrum accepisse, sed pecuniam; praeterea parti possessorum, scilicet iis qui graviter offenderant, sine dubio pretium nullum solutum est, parti pro agris Italicis redditi provinciales, ut summa aliquanto maior ad possessores extorres pervenisse videatur. Spectant autem omnino ad hanc necessariam quasi pretii solutionem quae Dio rettulit de pecuniae pro agris a Caesare pernumerandae summa et necessitate et difficultate.

Deductionem veteranorum Actiacorum a. 724 ita factam esse, ut quae oppida iis tradebantur, inter colonias Iulias redigerentur, et auctores significant et confirmat ipse princeps eo quod 3, 17 triumphale congiarium a. 725 scribit accepisse *in coloniis militum suorum* hominum circiter CXX milia; nam cum his verbis veterani victoris exercitus omnes comprehendantur, inde iure colligitur in municipiis aut nullos fuisse aut ita paucos, ut recte praeterirentur. At inde ne efficias oppidorum eorum veteres cives omnes expulsos esse, obstat et rerum ratio et Hygini locus supra adlatus, declarans in multis oppidis veterum civium partem remansisse, ut nova rei publicae forma eos quoque comprehenderet. Quod autem scribit Augustus pecuniam pro agris solvisse se municipiis, recte se habet; dabatur enim veteribus rebus publicis, ut suis civibus per eam satisfieret, coloniarumque constitutio pecuniae dationem non praecessit, sed secuta est.

De altera re hoc loco tradita pauca tantum dicenda veniunt. Augustus ab a. 738 ad 741 cum alias res per Gallias et Hispanias ordinavit, tum Dione

---

αὐτοῖς ἔδωκεν. ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ ἔτι τότε οὖσα, προσεξεπρίατο ἄλλην τε καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνήν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τό τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον . . . τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν . . . ἀντέδωκε. ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐγένετο. Inde enim hoc tantum efficitur in urbibus, quarum territoria tresviri militibus destinabant et quarum e numero Capua fuit, non omnes omnium agros ex lege de ea re lata publicari potuisse: quid quod tam propter Caesarianam et Antonianam colonorum Campanorum deductionem quam propter supra relata verba Dionis non absimile est veri Capuae solos agros non antea adsignatos veteranis destinatos esse. Denique durissimam legem a Caesare aliquatenus mitigatam esse agrorum dividendorum parte coempta plane diversum est a substituta publicationi venditione coacta. Ceterum quod censet Bergkius emptionem illam agri Campani vel certe pretii solutionem anno demum 724 evenisse, inde certe non colligere debuit, quod in Cretam a. 718 Caesari ius non fuit, oblitus agi hoc loco de adsignatione triumvirali et eo tempore inter Antonium et Caesarem aliquam adhuc concordiam duravisse.

(54, 23) teste ad a. 739 *πόλεις ἐν τῇ Γαλατίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ συχνὰς ἐτῴκισε*. Gallia intellegenda est Narbonensis, cum in tribus Galliis colonias nullas Augustum deduxisse efficiatur ex 5, 35; annum autem fuisse sequentem potius ex commentario intellegitur. Ea coloniarum deductio a. 740 facta ad Hispaniam quoque pervenit et fortasse ad alias quoque provincias. Certe colonias conditas Beryti et Patris (cf. C. I. L. III p. 95) ad a. Abr. 2001 = urbis 739 adscribit Eusebius, quae quominus item ad a. 740 referantur nihil magnopere obstat. Cur autem cum tot colonias in provinciis Augustus condiderit, in iis solis quas deduxit uno a. 740 solum provinciale pecunia redemerit, non divino, neque tamen propterea minus improbo Bergkii temeritatem intrusis v. 23 post *Augure* verbis *et postea*. Aliquatenus certe res inde explicatur, quod ab a. inde 741 praemia veteranorum pecunia solvi coepta sunt (v. infra ad 3, 35).

LAT. 3, 28 Et postea Ti. Nerone et Cn. Pisone consulibus, [§] item[*q*]ue C. Antistio | et D. Laelio cos., et C. Calvisio et L. Pasieno (*sic*) consulibus, et L. Le[*ntulo et*] M. Messalla | consulibus, § et L. Cánnio [§] et Q. Fabricio co[*s.*] milit[*ibus, qu*]ós eme|riteis stipendís in sua municipi[*a remis*]i, praem[*ia n*]umerato | persolví, [§] quam in rem sste[*rtium*] q[*uater m*]illien[*s li*]b[*ente*]r impendi. |

GR. 9, 4 *καὶ | μετέπειτα Τιβερίῳ Νέρωνι καὶ Ναίῳ Πείσωνι ὑπά*5 6 *|τοις καὶ πάλιν Γαίῳ Ἀνθεστίῳ καὶ Λέκμῳ Λαι|λίῳ ὑπάτοις*
7 *καὶ Γαίῳ Καλουισίῳ καὶ Λευκίῳ | Πασσιήνῳ* [*ὑ*]*πάτο*[*ι*]*ς* [*καὶ*
8 *Λ*]*ευκίῳ Λέντλῳ καὶ Μάρ|κῳ Μεσσάλ*[*α*] (*sic*) *ὑπάτοις κ*[*α*]*ὶ*
9 *Λευκίῳ Κανιν*[*ί*]*ῳ* [*κ*]*αὶ | [Κ]οίντῳ Φα*[*β*]*ρικίῳ ὑπάτοις στρατιώ*10 *ταις ἀπολυ|ομένοις, οὓς κατήγαγον εἰς τὰς ἰδίας πόλ*[*εις*],
11 *φιλαν|θρώπου ὀνόματι ἔδωκα μ*[*υρ*]*ιάδας ἐγγὺς* [*μυρίας*].

Recte Bergkius et v. 30 explevit restituto relativo et v. 31 [*n*]*umerato* dedit, cum ego supplevissem *aere n*]*umerato*: perperam autem v. 32. quem Zumptius propter appendicem 6, 29 explerat vocabulis *sestertium sexiens milliens*, ego ex tum notis subsidiis apte suppleri posse negaram, nescio quibus ratiocinationibus usus, quas iam expendere supervacaneum est, posuit *sestertium circiter milliens et centiens*. Verum numerum nunc demum recuperavimus cum ex vestigiis licet tenuibus exemplaris Latini tum ex spatio quod vacat in Graecis quinque tantummodo vel sex litterarum, ut, cum magnus numerus requiratur, unum vocabulum *μυρίας* apte procedat. — Pro *φιλανθρώπου ὀνόματι* in Latinis fuisse *libenter* verisimile est; certe spatium plus non capit.

Anni indicantur 747. 748. 750. 751. 752 et huius quidem semestre secundum. De re dixi ad caput coniunctum 3, 35.

CAPVT XVII

LAT. 3, 34 | Quater [*pe*]cuniá meá iuví aerárium, ita ut sestertium millien[*s*]
35 et | quing[*en*]t[*ien*]s ad eos quí praerant aerário detulerim.

GR. 9, 12 | *Τετρά*[*κ*]*ις χρήμ*[*α*]*σιν ἐμοῖς* [*ἀν*]*έλαβον τὸ αἰράριον*, [*εἰς*] *ὃ*
13 14 | [*κ*]*ατήνεγκα* [*χ*]*ειλίας* [*ἑπτ*]*ακοσίας πεντήκοντα* | *μυριάδας*.

In Graecis *τρίς* excidit ante *χειλίας*.

Duarum huiusmodi largitionum apud rerum scriptores mentio superest. Anno 726 ludorum causa propter victoriam Actiacam edendorum Caesarem aerarium adiuvisse auctor est Dio 53, 2: *ὁ δ' οὖν Καῖσαρ ἔς τε τὰς θεωρίας ἐκ τῶν ἰδίων δῆθεν ἀνήλισκε καὶ ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα καὶ ἔδωκεν αὐτῷ*, nam perperam omnino et contra auctorem Bergkius haec ad gladiatorium munus trahi iussit, quippe cuius impensae aerarium ipso iure non gravent, negavitque Augustum pro ludis ob suam salutem editis pecuniam suppeditare potuisse. Immo cum pro his lucar constitutum fuerit ex publico solvendum (v. p. 41), eum sumptum pariter atque alium qualemcumque recte Augustus subire potuit. — Deinde a. 738 vel paulo ante viarum reficiendarum causa pecuniam aerario intulit teste cippo, quem nummus eius anni (Eckhel 7, 105) repraesentat, sic inscripto: *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) imp(eratori) Cae(sari), quod v(iae) m(unitae) s(unt) ex ea p(ecunia), q(uam) is ad a(erarium) de(tulit)*; non recte enim Borghesius opp. 2, 385 haec verba accepit de pecunia manubiali, cum haec possit quidem ad aerarium deferri, si ita placet imperatori, sed Augustus certe post bellum Philippense (4, 21) et Actiacum (4, 19) maluit de manibiis opus facere, et id quod est *pecunia mea* itemque tota orationis formatio magis ducat ad donationes factas ex pecunia vere privata propter aerarii publici inopiam. — Duae aliae inlationes ignorantur; nam huc non pertinere liberalitatem c. 3, 40 iam agnitum est loco expleto. Praefuerunt autem aerario Augusti temporibus ad annum u. c. 726 quaestores, deinde ad a. 731 praetorii bini, mox bini praetores (*Staatsrecht* 2, 544), unde Augustus satis habuit eos posuisse, qui aerario praeessent.

LAT. 3, 35 36 Et M. Lep[*i*]do | et L. Ar[*r*]unt[*i*]o cos. i[*n*] aerarium militare,
37 quod ex consilio m[*eo*] | co[*nstitut*]um est, ex [*q*]uo praemia
38 darentur militibus, qui vicena | [*aut plu*]ra sti[*pendi*]a emeruis-
39 sent, [§] HS milliens et septing[*e*]nti[*ens ex pa*]t[*rim*]onio [*m*]eo
detuli. § |

GR. 9, 14 15 *κ*[*αὶ*] *Μ*[*ά*]*ρκῳ* [*Λεπίδῳ*] *καὶ Λευκίῳ Ἀρρουν*|*τίῳ ὑ*[*πάτοις*
16 *ε*]*ἰς τ*[*ὸ*] *στ*[*ρ*]*α*[*τιωτ*]*ικὸν αἰράριον, ὃ τῇ* | [*ἐμῇ*] *γ*[*ν*]*ώ*[*μῃ*]
17 *κατέστη, ἵνα* [*ἐ*]*ξ αὐτοῦ αἱ δωρ*[*ε*]*αὶ εἰσ*|[*έπειτα τοῖς ἐ*]*μοῖς*
18 *σ*[*τρατι*]*ώταις δίδωνται, ο*[*ἳ εἴκο*|*σι*]*ν ἐνιαυτο*[*ὺ*]*ς ἢ πλείονας*

19 ἐστρατεύσαντο, μ[υ]ρι|άδα[ς] τετρά[κ]ις χειλίας διακοσίας πεν-
20 τήκοντα | [ἐκ τῆς ἐ]μ[ῆς] ὑπάρξεως κατήνενκα.

Lat. 38 *aut plura*, quod pro *plurare* requiri vidit Hirschfeldius, iam lapis confirmavit. — Etiam v. 39 verum supplementum *ex patrimonio meo* lectio expleta suggessit confirmatum ab interprete. — In fine pro *detuli* quod Bergkius substituit *detulerim*, ut haec a superioribus penderent et quarta inde quae sola tum videbatur desiderari largitio procederet, ea et exemplar utrumque respuit et obstat aerarii populi Romani et aerarii militaris discrimen.

Praemia militiae a. 741 Augustus ita ordinavit, ut post duodena stipendia praetoriani, post sena dena legionarii dimitterentur certaque pecuniae summa, illis maior, his minor, simul numeraretur (v. supra p. 9). Ea per annos 747. 748. 750—752 veteranis ab exercitu domum dimissis numerato soluta est (v. 3, 28 sq.). At aut praemiorum numeratio aut ipsa veteranorum dimissio nec statim coepta est et mox interrupta, exhausto aerario opinor per bella, quae per a. 742—746 a Tiberio et Druso in Pannonia Germaniaque, ab a. 753 a C. Caesare in Oriente gerebantur, cum anni intermedii pacati essent. Id cum aegre ferrent milites, querentes praeterea de praemiorum exiguitate, et post emerita stipendia ad vexillum se remansuros negarent, Augustus a. u. c. 758 constituit, ut praetorianis post sena dena stipendia emerita vicena milia sestertium, legionariis post vicena stipendia duodena milia sestertium numerarentur, consuluitque senatum de reditibus novis excogitandis, unde praemia haec persolverentur. Qui donec reperirentur, a. 759 M. Lepido et L. Arruntio cos. ipse suo Tiberiique nomine pecuniam intulit in aerarium quod tunc dici coeptum est militare (ἐσήνεγκεν ὁ Αὔγουστος χρήματα καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ ὑπὲρ τοῦ Τιβερίου ἐς τὸ ταμιεῖον ὃ καὶ στρατιωτικὸν ἐπωνόμασε), quam summam fuisse sestertium 170,000,000 Augustus hoc loco ait. Contribuerunt praeterea quaedam reges civitatesque, neque tamen privati, quamvis multis promittentibus[1]). Collata autem ita cum minime

[1]) Non licebit huc referre titulum theatri Iguvini (Grut. 172, 14), quem sic ut excepit Brunnius (*Bullett. dell' Inst.* 1863 p. 228) recognovitque nuper nostrae syllogae causa Iohannes Schmidt, infra apposui utpote cum memoria rerum imperante Caesare Augusto gestarum non uno nomine coniunctum:

cN · SATRIVS CN · F · RVFVS · IIII · VIR · IVR · DIC
bASILICAS · SVBLAQVEAVIT · TRABES · TECTI · FERRO · SVFFIXIT
LAPIDE · STRAVIT · PODIO · CIRCVMCLVSIT · SVA · PEC ET · DEDIT
DECVRIONATVS · NOMINE ꟻꟻS IↃↃ ∽
IN · COMMEATVM · LEGIONIBVS ꟻꟻS ∞ ∞ ∞ CCCCL
IN · AEDEM · DIANAE · RESTITVENDAM ꟻꟻS IↃↃ ∞ CC
IN · LVDOS · VICTORIAE · CAESARIS · AVGVSTI ꟻꟻS IↃↃ ∞ ∞ ƀCCL

Titulus quamquam scriptus videtur aetate Caesaris Augusti propter ludos victoriae eius (vide supra ad 2, 18; cf. C. I. L. IX, 5904), tamen Cn. Satrius Rufus non videtur fuisse inter eos, qui in aerarium militare pecunias intulerunt; nam ad commeatum militibus dandum aerarium illud non pertinet. Cogitandum erit potius de pollicitatione simili eius, quam commemorant Dio 48, 49 et titulus Orell. 3882 (v. quae dixi Ephem. epigr. 3 p. 330).

sufficerent (*ταῦτα ἐλάχιστα πρὸς το πλῆθος τῶν ἀναλισκομένων ἦν*), primum vigesima hereditatium instituta est, mox addita centesima rerum venalium aliaque similia tributa sumptusque praeterea reliqui publici quoad fieri potuit imminuti (Dio 55, 23—26. Sueton. Aug. 49). Addit Dio aerario instituto Augustum annuam largitionem in futurum quoque in se recepisse (*καὶ τοῦτο κατ' ἔτὸς πράξειν ὑπέσχετο*); quas numerationes illa quam commentarius enuntiat summa non comprehendi, id quod antea mihi persuaseram, recte Bergkius monuit. Potest tamen defendi verum esse quod a Dione traditur, et siluit fortasse Augustus de largitionibus posterioribus cum quod minores fuerunt, tum propterea quod, cum penes eum aerarii militaris administratio esset, quid de suo quotannis adiceret si enuntiasset, id ad rationes publice reddendas prope accessisset.

In universum ut aliquatenus intellegatur, quid in re militari administranda et maxime in exercitu civium Romanorum constituendo et augendo Augustus sibi proposuerit perfeceritque, non abs re visum est hoc loco inserere laterculum legionum, quae extremis annis Augusti fuerunt, addita in singulis originis, ubi fieri potuit, et interitus aliqua indicatione, item provinciae, in qua primum castra quaeque habuisse invenitur; quamquam hanc legionum per provincias dispositionem non tam ipsam traditam habemus, quam maxime ad eam, quam ad annum p. C. 23 exponit Tacitus (ann. 4, 23), coniectura adumbramus. Laterculum Taciti quoniam enchiridia satis explicant, in universum ad ea remittimus neque in notis addidimus nisi quae cum ad nostram rem faciant ibi desunt.

1	[I[1])	. . . . .	in Germania inferiore	. . . . .	exauctorata post cladem Varianam?
	I	(postea Germanica)[1])	in Germania inferiore	. . . . .	non memoratur post a. p. C.
2	II	Augusta	in Germania superiore	. . . . .	superfuit aetate Dionis
3	III	Augusta	in Africa	. . . . .	superfuit aetate Dionis
4	III	Gallica	in Syria[2])	interfuit bello M. Antonii Parthico (Tac. hist. 3, 24)	superfuit aetate Dionis

[1]) Legionem primam Tacitus (ann. 1, 42) scribit signa a Tiberio accepisse, nec recte olim cogitavi de signorum amissorum restitutione cum clade Lolliana a. 738 aliquo modo coniuncta; immo negari non potest legionem primam ad Vespasianum usque in Germania inferiore tendentem hinc constare conscriptam esse auctore Tiberio post cladem Varianam. Attamen quod tum me movit, id nunc quoque movet, nempe ab exercitu, qui praeterea legionum numeros a secundo ad vicesimum plenos haberet, primam abesse non potuisse, neque afuit ab exercitu M. Antonii, quamquam paucos tantum nummos reliquit. Itaque ut primae legioni etiam ante cladem Varianam locus inveniatur, fortasse sumi potest eam cladem ad quattuor legiones, non aequabiliter tamen pertinuisse, ut tres interirent, quarta ob nescio quam culpae et cladis communionem ita exauctoraretur, ut statim restitueretur numero retento, similiter ut Vespasianus exauctoratis legionibus IV Macedonicae et XVI Gallicae substituit IV et XVI Flavias. Verum est inter ea quae de clade illa tradita habemus nihil reperiri, quod huc recte trahatur; certe quarta illa legio non fuit ex duabus, quibus L. Aspre praeerat (Vell. 2, 120). Sed cum ne hoc quidem nobis not sit quot legiones eo tempore in Germania constiterint, posuimus fortasse tolerari poterit.

[2]) Syriae praesedisse tres legiones per a. u. c. 743—750 sephus (ant. 17, 10, 9; bell. Iud. 2, 3, 1) auctor est, quattuo 23 p. C. Tacitus (ann. 4, 23); hunc numerum ad extremos Aug annos pertinere verisimile. Ex quattuor his legionibus Tacitus nominat VI ferratam (ann. 2, 79 ad a. 19) et X tensem (ann. 2, 57 ad a. 18). Reliquas dubium non est inter illas quattuor legiones, quae Syriam tenuerunt bellum contra Parthos a. 54 exarsit (Tacitus ann. 13, 8); te bant enim ibi a. 58 legiones quinque, scilicet praeter supra nominatas III Gallica (Tacitus ann. 13, 40. 15, 6. IV Scythica (Tacitus 15, 6. 7. 26), XII fulminata (Tacitus 1 26), in his autem una fuit ex Germania ad id ipsum bel in Syriam missa (Tacitus ann. 13, 35). Ea quaenam fu quaeritur, nec facile quaestio diiudicari potest, cum nu

5	III	Cyrenaica . . .	in Aegypto	. . . . .	superfuit aetate Dionis
6	IV	Macedonica . . .	in Hispania	interfuit proelio ad Philippos a. u. c. 712[4])	non memoratur post a. p. C. 70
7	IV	Scythica	in Moesia	. . . . .	superfuit aetate Dionis
8	V	Macedonica . . .	in Moesia	interfuit bello Africano a. u. c. 708 (Appianus b. c. 2, 96) itemque proelio ad Philippos a. u. c. 712 (v. adn. 4); veterani inde deducti Berytum u. c. 738	superfuit aetate Dionis
0	V	alaudae	in Germania inferiore	conscripta a Caesare dict. (Suet. Iul. 24); a. 738 in Germania inf. aquilam amisit (Vell. 2, 97)	non memoratur post a. p. C. 70
0	VI	victrix	in Hispania	. . . . .	superfuit aetate Dionis
1	VI	ferrata	in Syria	. . . . .	superfuit aetate Dionis
2	VII	(postea Claudia)	in Illyrico	interfuit proelio ad Philippos a. u. c. 712[4])	superfuit aetate Dionis
3	VIII	Augusta	in Illyrico	veterani inde deducti Berytum u. c. 738	superfuit aetate Dionis
4	IX	Hispana	in Illyrico (Tac. ann. 3, 9. 4, 23)	interfuit proelio ad Philippos a. u. c. 712[4])	non memoratur post Traianum
5	X	Fretensis . . .	in Syria	X Fret. pugnavit in bello Siculo contra Sex. Pompeium[5]). Veterani l. x alterius utrius deducti Patras u. c. 738	superfuit aetate Dionis
6	X	gemina	in Hispania		superfuit aetate Dionis
7	XI	(postea Claudia) .	in Illyrico	. . . . .	superfuit aetate Dionis
8	XII	fulminata	in Syria	veterani inde deducti Patras u. c. 738	superfuit aetate Dionis
9	XIII	gemina	in Germania superiore		superfuit aetate Dionis
0	XIV	gemina	in Germania superiore	. . . . .	superfuit aetate Dionis
1	XV	Apollinaris . . .	in Illyrico	. . . . .	superfuit aetate Dionis
2	XVI	Gallica	in Germania superiore	. . . . .	non memoratur post a. p. C. 70
	XVII[3])	. . . . .	in Germania inferiore	. . . . .	intercidit clade Variana u. c. 762
	XVIII	. . . . .	in Germania inferiore	(Brambach C. I. Rh. 209)	intercidit clade Variana
	XIX	. . . . .	in Germania inferiore	(Tacitus ann. 1, 60)	intercidit clade Variana
3	XX	valeria victrix .	in Illyrico u. c. 759, postea in Germania inferiore	. . . . .	superfuit aetate Dionis
	XXI	(rapax)	in Germania inferiore	. . . . .	non memoratur post Domitianum
4	XXII	Deiotariana . . .	in Aegypto	. . . . .	non memoratur post Traianum

um ullae reliquiae ex Germania adhuc emerserint; nam XII minatae tegulas ad Rhenum repertas esse, quod olim Borsius credidit opp. 4 p. 228, iam explosum est. At III Gallica sub Antonio in Syria fuit (Tacitus hist. 3, 24) et moribus ientis ita imbutam se monstrat (Tacitus l. c.), ut hanc ad antis Syriae legiones certo iure referamus, ubi postea quoque saecula mansit. Idem fere usu venit de legione XII minata, cuius in Occidentis rebus nullum vestigium reperi-. Contra legionem IV Scythicam cum constet a. 33 in Moesia ndisse (C. I. L. III, 1698), admitti poterit hanc inde in Gerniam missam mox ex Germania ad Corbulonem in Syriam isse; nec mirum est ex hac in Germania mora viginti ad nnum annorum monumenta nulla superesse. Ita recte tefendius quoque statuit in ann. Rhen. 11 (1847) p. 83 aliique.

[3]) Numerus non traditur, sed nihilo minus certus est; nam cum numeri a primo ad vicesimum pleni sint praeter unum septimum decimum, hic non potest non dari unicae Augusti legioni, cuius, cum fuisse constet, numerus non traditur. Praeterea cum postea in legionibus nuncupandis a numeris XVII. XVIII. XIX Romani perpetuo abstinuerint, ex his autem legiones duas postremas in clade Variana intercidisse testatum sit, inde iure colligitur tertiam simul caesam fuisse septimam decimam.

[4]) Legiones Macedonicas dictas, scilicet IV et V, item VII (C. I. L. X, 3890. 6321. 6659) et VIIII (C. I. L. III, 551), non diversas opinor a VII Claudia et VIIII Hispana, nomen traxisse probabile est a victoria Philippensi.

[5]) Eo ducit cognomen Fretensis.

Hunc laterculum accurate qui expendit, intelleget legiones Augusti numero quinque et viginti[1]) ex quattuor quodammodo partibus compositas esse, antiquis XII, adscitis ex exercitu Antoniano vel Lepidiano VI, conscriptis per annos 759 sq. VIII, additis post cladem Varianam II. Videamus autem de singulis partibus ordine inverso.

I. Legiones duas in ordine extremas XXI et XXII, praeterea I (v. p. 68 n. 1) post cladem Varianam accessisse dudum intellectum est. Nam ut mittam numerum qui vicesimarium superat ipsum eo trahi posse, quod duae illae legiones postea demum et quodammodo extra ordinem accesserint, quae de exercitu Germaniae inferioris legionibus prima, quinta alaudae, vicesima, una et vicesima scribit Tacitus (ann. 1, 31 coll. Dione 57, 5) *vernaculam multitudinem nuper acto in urbe dilectu* (nempe post cladem Varianam, cf. Dio 66, 23) *ceterorum rudes animos traxisse*, cum quintam legionem alaudae et vicesimam constet Variana clade anteriores esse, ita interpretanda sunt legiones recens conscriptas I et XXI traxisse duas reliquas veteranas. Legio autem XXII cum constituta esse non possit ante factam legionem XXI, eodem tempore haec quoque addita sit necesse est, puta militibus Deiotarianis, qui ab ipso rege armati et instructi Romano more cum regno eius ad Augustum pervenissent, illo tempore, quo quibuscumque modis potuit copias Romanas Augustus augebat, civitate Romana donatis et in legionis formam redactis.

II. Legionum a tertia decima ad vicesimam ratio item peculiaris est. Nulla in his est, quam probare possis extitisse ante annum u. c. 759, quo memoratur una earum vicesima in Pannonia stipendia merens (Vell. 2, 112). Item inter legiones, quarum veteranos ab Augusto in colonias deductos esse constat ex nummis, mox videbimus nullam esse quae numerum XII superet; quod quomodo fieri potuerit, non intellegitur, si vere Augustus per multos annos habuit legiones ad numerum vicesimarium, facile autem explicatur, si extremo demum tempore eoque, quo vix colonias ullas deduxit, legiones a tertia decima ad vicesimam adscivit. Denique numeri legionarii geminationem cum item infra demonstratum sit antiquioris originis indicium praebere, eodem

---

[1]) Eum numerum et Tacitus (ann. 4, 23) tradit ad a. 23 et Dio 55, 23: *τρία δὲ δὴ τότε στρατόπεδα ἢ ὥς γε ἕτεροι λέγουσι πέντε καὶ εἴκοσι πολιτικὰ ἐτρέφετο.* Priorem numerum Grotefendius (*Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1840 p. 659) ita defendit, ut referat ad legiones cladi Varianae superstites, fortasse recte; id si verum est, prima legio exauctorata et mox restituta et ipsa numero comprehenditur. Ceterum quod Dio hoc loco affert quamquam ibi potissimum videtur collocavisse, quod annales pleniores legionum propter bellum Pannonicum conscriptarum circa haec tempora meminerunt, cum universam legionum historiam eum hoc loco persequi appareat, ea quoque quae de Augusti legionibus habet, non recte a Roberto (vide p. 73 not. 1) ita accipiuntur, quasi ea omnia auctor eo ipso anno ita ordinata fuisse contendat, sed quidquid de Augusti institutis legionariis profert, hoc loco comprehendit. Itaque si recte conieci eum inter legiones Augustas numerare XXII Deiotarianam magis quam primigeniam, id quod et Roberto et aliis probavi (cf. Marquardt *Staatsverw.* 2, 440), inde nequaquam sequitur, ut censet Robertus, eam legionem iam a. 758 exstitisse.

numero appellatae legiones non paucae reperiuntur inter duodecim priores, nullae inter octo posteriores. Quae indicia cum satis prodant harum octo legionum originem diversam esse et posteriorem, ad eam ipsam reperiendam ducunt provinciae, in quibus octo hae legiones primum inveniuntur. Nam cum antiquiores in laterculo supra proposito appareant per universum imperium nullo ordine dispersae, ex postea adiectis tres XIII XIV XVI prima castra nobis nota habuerunt in Germania superiore, tres XVII XVIII XIX in inferiore, duae in Illyrico XV et XX. Haec qui considerat rerum per illos annos gestarum non immemor, eam exercituum dispositionem componet utique cum bello duce Tiberio ab anno maxime 757 gesto primum contra Germanos regemque Maroboduum, deinde contra Pannonios Dalmatasque rebellantes. Quam ob rem videamus, quibus copiis Romani usi sint per hoc bellum, quod *immensum* appellat qui ei interfuit Velleius (2, 104). Suetonius autem testis simplex et gravis *gravissimum omnium externorum bellorum post Punica* (Tib. 16). De ea re auctores qui supersunt haec nobis tradiderunt. Tacitus ann. 2, 46 ex oratione Marobodui ad milites suos: *se duodecim legionibus petitum duce Tiberio inlibatam Germanorum gloriam servavisse, mox condicionibus aequis discessum.* Suetonius Tib. 16: (Tiberius bellum) *per quindecim legiones paremque auxiliorum copiam triennio gessit.* Velleius postquam 2, 110 de rebus urbanis exposuit bellique apparatu (*habiti dilectus, revocati undique et omnes veterani, viri feminaeque ex censu libertinum coactae dare militem*) c. 111 primo anno belli et quidem parte priore[1]) exercitum ab urbe in Pannoniam ductum esse significat; eodem[2]) exercitum quinque legionum, *quem A. Caecina et Silvanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant provinciis*, cum auxiliaribus multis equitatuque maxime regis Thraciae Rhoemetalcae, adventantem post magna pericula superata insperatam paene victoriam patrasse; ita quid effectum sit exponens c. 113 *iunctis exercitibus*, inquit, *quique sub Caesare fuerant quique ad eum venerant, contractisque in una castra decem legionibus, septuaginta amplius cohortibus, decem alis et pluribus quam decem veteranorum militibus, ad hoc magno voluntariorum numero frequentique equite regio, tanto denique exercitu, quantus nullo umquam loco fuerat post bella civilia.* Dio 55, 31: ὁ Αὔγουστος . . . πέμπει (vere a. 760) τὸν Γερμανικὸν . . . στρατιώτας οἱ οὐκ εὐγενεῖς μόνον ἀλλὰ καὶ ἐξελευθέρους δούς, ἄλλους τε καὶ ὅσους παρά τε τῶν ἀνδρῶν καὶ παρὰ τῶν γυναικῶν δούλους πρὸς τὰ τιμήματα αὐτῶν σὺν τροφῇ ἐκμήνῳ λαβών ἠλευθέρωσεν. c. 32: τοῦ δὲ δὴ Γερμανικοῦ ἐς τὴν Παννονίαν ἐλθόντος καὶ στρατευμάτων πολλαχόθεν ἐκεῖσε συνιόντων. Suetonius Aug. 25: *liber-*

---

[1]) Nimirum quaestor designatus ipse cum iis copiis venit, id est ante eius anni k. Iul., ut egregie ostendit A. F. Abraham *zur Geschichte der germanischen und pannonischen Kriege unter Augustus* (Berolini 1875) p. 14.

[2]) Nam ad a. 759 haec pertinere, non, ut alii statuerunt, ad a. 760 ostendit narratio Dionis 55, 29 cf. 30, maxime quae de Rhoemetalca apud utrumque auctorem narrantur.

tino milite . . . bis usus est, semel ad praesidium coloniarum Illyricum contingentium, iterum ad tutelam ripae Rheni fluminis, eosque servos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos ac sine mora manumissos sub priore (malim *priro*) *vexillo habuit neque aut commixtos cum ingenuis aut eodem modo armatos.* Macrobius sat. 1, 11, 33: *Caesar Augustus in Germania et Illyrico cohortes libertinorum complures legit, quas voluntarias appellavit*[1]). Secundum haec Tiberius contra Maroboduum expeditionem hieme a. 758/9 suscipiens nequaquam duodecim legiones sub signis habere potuit[2]). Nam ut mittam iunctis copiis Germanicis et Illyricanis vix tantum numerum effici potuisse, cum praesertim ex Germania universae copiae avocari nequirent, si Tiberius tot legionibus bellum Pannonicum coepit, deinde primo anno et copias ex urbe accepit et quinque legiones ex transmarinis provinciis, quomodo Velleius contendere potuit iunctis exercitibus eum decem legionibus praefuisse. Suetonius cum bellum gessisse cum legionibus quindecim, numerum ponens utique quem habuerat maximum? Quare aut Maroboduus Taciti gloriosius quam verius locutus est aut duodecim legiones illae et pax insecuta non ad belli Pannonici principia referendae sunt; id quod recte admitti potest. Nam quod vulgo hodie statuunt Tiberium nuntio de rebellione Illyrici accepto pacem fecisse cum Maroboduo, auctores non tradiderunt; Velleius 2, 110 ab expeditione Tiberium destitisse significat pacis nulla mentione facta, Dio 55, 28 tantummodo ait Germanis petentibus pacem concessam esse. Immo callidus et providus dux cum Maroboduo pepigisse potest aut per bellum Pannonicum aut eo finiente finitove, et ita recte rex dicere Romanos cogitavisse de bello contra ipsum suscipiendo cum legionibus XII. Exercitus igitur, quo Tiberius Maroboduum aggredi statuerat, sex fere legionum videtur fuisse, deinde ad quindecim numerum crevisse adductis quinque legionibus veteranis ex Aegypto et Syria, aliis autem recens conscriptis ex Italia. Ita quam supra proposui coniecturam octo legiones a XIII ad XX creatas esse ipso anno 759 propter bellum Pannonicum, egregie cum iis conciliatur, quae de rebus per eos annos gestis dilectibusque institutis tradita accepimus. Videntur autem ex legionibus recens conscriptis duae solae ipsi bello interfuisse, reliquae in Germaniam missae esse in locum inde deducta-

---

[1]) Haec ni fallor origo est *cohortium Italicarum voluntariorum civium Romanorum*, quarum quaedam certe, ut VIII. XV. XXIIII. XXV. XXVI. XXX. XXXII durarunt (Marquardt *Staatsverw.* 2 p. 452); solent enim servi ob militiam manumissi nomine volonum sive voluntariorum uti et apto (Liv. 22, 57, 11) et decoro (Festus ep. p. 370; Livius 23, 35, 6; vita Marci 21) intellegiturque ita cur, cum milites eorum cives Romani sint, condicionibus militiae utantur ad modum fere peregrinorum. Ceterum originem dico duxisse cohortes eas ex libertinis ad sacramentum admissis, non suppletas esse ex eodem militum genere, cum e contrario constet tirones in eas receptos esse peregrinae condicionis homines pariter atque in reliquas cohortes auxiliarias (v. C. I. L. III p. 907).

[2]) Id qui defendit, ut fecit Abraham l. c. p. 14, admittat necesse est Augustum vel ante bellum Pannonicum plus duodeviginti legiones habuisse.

rum: in quo numero legiones Varianae omnes fuerunt. Neque postrema causa cladis Varianae haec fuit Germanos rem habuisse cum exercitu tironum[1]).

III. Inter legiones, quae comprehenduntur numeris a primo ad duodecimum, reperiuntur, ut dixi, quarumcumque memoria superest anno 759 antiquior. Scilicet quae legiones vocabula adsumpserunt a rebus ante eum annum gestis ducta, maxime Macedonicae, item Fretensis, fortasse etiam Hispana, numeris illis minoribus comprehenduntur. Item in eo numero inveniuntur quaecumque nominantur in nummis coloniarum ab Augusto deductarum signatis imperante eo, quae sunt tertia nescio quae ex tribus in nummis Accitanorum, quarta in Caesaraugustanis, quinta Macedonica in Berytensibus, quinta, alaudae opinor, in Emeritensibus et Cordubensibus, sextarum altera utra in Ruscinonensibus et Caesaraugustanis, octava in Berytensibus, decimarum altera utra in

[1]) Haec quae proposui etsi coniecturarum terminos non excedere probe scio, nullo modo infirmata sunt iis quae contra ea protulit Carolus Robert *sur les légions d'Auguste* (*Comptes rendus de l'Académie des inscriptions* 4 a. 1868 p. 94—107). Belli Illyrici gravitatem cum elevare conatur, non solum quae de rebus gestis tradita habemus considerare debuit, sed item quod propter id bellum Germaniae in provinciae formam redigendae consilium Augustus abiecit nec ad id quamquam victor rediit, et quod nullum totius illius aetatis bellum tantum terrorem universae Italiae iniecit, qua de re quae accepimus dubitationem nullam admittunt. Nam dilectuum ratio ab ipsa belli vi minus pendet quam a formidine subiti tumultus. Ceterum Augustus fortasse non tam propter rebellantes Pannonios exercitum auxit quam ea rebellione usus est, ut ingratam rem Italicis hominibus probaret et consilia olim coepta tamquam necessitate coactus exequeretur. Multo minus probari poterunt argumenta, quibus Robertus efficere studuit legionum numerum duodecimo maiorem habentium quasdam ante bellum Illyricum commemorari. Nam postquam tituli Patrenses nobis milites dederunt tam x legionis quam xii, vix invenietur qui notas numerales x xii in eius coloniae nummis ad aquilam legionariam adscriptas de legione vigesima secunda accipiat. Neque propterea, quod legio xx in Illyrico a. 759 fortiter pugnavit, non potuit conscribi eodem anno; etiam ad Betriacum legio tironum 'ferox et novi decoris avida' veteranam splendide devicit, similiaque passim memorantur. Nec verum est felix hoc proelium ad ipsa belli exordia pertinuisse, cum teste Dione 55, 30 Messalinus primum a Batone victus secundo proelio superior abierit; quam ob rem etsi Velleio credemus prima belli aestate commissum esse, subita rebellio quam item memorat aut ad fucatos adulatoris colores pertinet aut intellegenda est de vicibus belli posterioribus renascentis post quietis intervallum. Itaque nihil obstat, quominus hanc legionem statuamus eo ipso anno in Italia conscriptam semiplenam etiamtum sub Messalino prospere in Illyrico pugnasse. — Legionem deinde xiii geminam Martiam victricem ante Robertum nemo opinor inventus est qui confunderet cum legione Martia dicta numero carente aetatis Ciceronianae, cum praesertim antiquissimi quique illius tituli tam Britannici quam Germanici (composuit eos Stille hist. legionum p. 94 seq.) solo geminae vocabulo utantur neque Martiae cognomen adhuc inventum sit ante a. p. C. 66 (Henzen 6767) attributum fortasse ei propter victoriam Britannicam a. 62. — Denique geminas legiones quod ait Robertus (cf. Brambach C. I. Rh. praef. p. x adn.) eiusmodi dilectu nullas institui potuisse utpote sic appellatas tamquam ex binis factas, quae vocabuli interpretatio alibi locum habet (Caesar b. c. 3, 4; Dio 55, 23), tamen geminas duas xiii et xiii longe probabilius est nomen inde traxisse, quod simul natae et formatae sunt; propter quod eas non minus recte geminas appellari potuisse nemo opinor negabit.

Caesaraugustanis Emeritensibus Cordubensibus Patrensibus. duodecima in Patrensibus (v. ad 5. 35). Eas colonias in nummis nominatas non adscendere ad tempora victoriae Actiacae ipsi numeri comprobant; nam cum constet Augustum post Actiacam pugnam ad quinquaginta legiones numerasse, veteranorum tum deductorum si nummi memoriam servassent, numeri supra duodecimum non desiderarentur[1]). Accedit, quod veteranos illos Augustus in coloniis Italicis collocavit, quae nummos nullos reliquerunt. Ab altera parte coloniarum ab Augusto in provinciis deductarum plerasque certe circa annum 710 constitutas esse supra p. 65 vidimus, quaeque earum legionum vocabula nummis inscripserunt, in eo numero omnes esse aut certum est aut veri simile. Itaque legiones quas Augustus habuit post bellum Actiacum ante Pannonicum numero quidem duodeviginti fuerunt, vocabula tamen intra numerum duodenarium se continuerunt, ut praeter seriem continuam a prima ad duodecimam tres tertiae, quartae autem et quintae et sextae et decimae binae inveniantur. Eiusmodi numerorum geminatio cum abhorreat ab legionum denominatione antiquiore coeperitque demum imperante Augusto, sine dubio inde repetenda est, quod ex exercitibus Lepidi et Antonii, qui Caesari se tradiderunt, sex legiones is suis adiecit numeris retentis. Id evidenter apparet in tribus tertiis, quarum prima cum postea appelletur Augusta, sine dubio ab ipso conscripta est, alteram, quae est Gallica, constat meruisse sub Antonio, tertiam Cyrenaicam Lepidiani exercitus partem olim fuisse propter nomen verisimile est. De quartis quintis[2]) sextis decimis non satis apparet, utrae Augusti propriae fuerint, utras alienas adsumpserit, nec magis definiri potest, quaenam ex his ad Antonium aut ad Lepidum redeant.

Quare ut summam rem complectamur, Caesar a. 718 in fidem acceptis legionibus Lepidi viginti duabus (Appian. b. c. 5, 123; amplius viginti: Vell. 2, 80; viginti: Sueton. Aug. 16), inter quas erant octo antea Sex. Pompeii (cf. Drumann 1, 21), legionibus praefuit quadraginta quattuor (Oros. 6, 20) vel quadraginta quinque (Appian. b. c. 5, 127 cf. c. 53). Exauctoravit deinde viginti milia veteranorum suorum (Appian. 5, 129), praeterea Pompeianas legiones omnes (Dio 49, 12), ex Lepidianis certe plurimas dissolvit; quare quo tempore adversus Antonium dimicavit, legiones habuit longe pauciores. Antonium tum non plus XXX legiones, fortasse duodetriginta tantummodo ha-

[1]) Denarius uno exemplari notus et plane singularis habens ab altera parte caput Caesaris filii nudum sine adscriptione, ab altera leonem cum adscriptione LEG · XVI (Cohen Aug. 187; Friedlaender apud Salletum *numismat. Zeitschrift* 2, 117) quominus spectet ad unam legionum dimissarum post pugnam Actiacam, non solum nihil impedit, sed etiam inde id commendatur, quod periti iudicant capitis habitum ei fere tempestati optime convenire. Ubi cusus sit, ignoratur; sed populi Romani est, non coloniae alicuius.

[2]) Quintae duae tam alaudae quam Macedonica cum ad Caesarem dictatorem redeant, inde non sequitur iam in eius exercitu legiones plures eiusdem numeri fuisse; nam alaudae legionem tum constat numero caruisse postea demum, fortasse sub triumviris, ei indito.

huisse nummi eius declarant[1]): Caesar autem cum ad Actium quinta parte copiarum inferior esset (Plutarch. Anton. 61) neque alibi eo tempore iustum exercitum haberet, amplius viginti quinque legiones tum habuisse non videtur, ad quas cum post victoriam accessissent Antonianae, rursus praefuit legionibus circiter quinquaginta. Iam vero pace terra marique parta publice professus suffecturas imperio legiones XVIII, duodecim primas quas habebat retinuit, reliquas a tertia decima inde exauctoravit. Retinuit praeterea ex Lepidianis Antonianisve sex alias sub numeris antiquis, qui pariter infra duodecimarium essent, non tam opinor ne militum suis numeris adsuetorum animi eiusmodi mutatione conturbarentur, quam ut vulgo rerum parum perito ne plus duodecim legiones habere videretur, cum haberet duodeviginti. Ne hoc quidem improbabile quod suggessit Bormannus, aliquam spem eum civibus fecisse aliquando legiones duodecim sibi suffecturas esse et geminatas retineri, ut postea exauctorarentur. — Auxit autem has post annos quinque et triginta per bellum Germanicum et Pannonicum a. 759 octo novis legionibus conscriptis, ut fierent viginti sex; quarum post tres a. 762 a Germanis deletas cum remanerent viginti tres, duabus novis additis moriens reliquit legiones viginti quinque[2]). Quod autem Augustus ab a. 758 praemia mili-

[1]) Legiones Antoniae viginti duae a secunda ad vicesimam tertiam iusto numero nummos signaverunt; rari sunt nummi legionum I (sic LEG · PRI). XXIV. XXV. XXVII. XXIX. XXX (Cohen 1^2 p. 41), sed certi omnes (omnium ectypa Friedlaendero intercedente habui ex nummophylacio Parisino), nulli certae fidei adhuc prolati legionum XXVI et XXVIII. Legionis primae duo exemplaria alterum servatum in bibliotheca Vaticana, alterum apud Depolettium Lovattius Romanus ante hos XX annos ad me scripsit reperta esse in thesauro quodam, in quo non essent nisi denarii legionum Antoniarum, peculio quondam opinor militis alicuius ex exercitu Antonii Actiaco, qui denarios illos stipendii nomine accepisset; ut reperti sunt thesauri similes non habentes nisi solos denarios Italicorum (*röm. Münzwesen* p. 325). Legiones XII. XVII. XVIII quod modo simpliciter ita dicuntur, modo adiectis cognominibus *XII antiqua, XVII classica, XVIII Lybica* (sic), inde non recte colliges geminas has Antonium habuisse; quid enim vetabat cognomina, quorum in legionibus usus sollemnis tempore multo posteriore invaluit, plerumque omittere, interdum adscribere? Itaque numeri satis conveniunt temporibus Actiacis; nam undeviginti legiones ad Actium Antonius secum habuit (Plutarch. Anton. 68), ut sumamus legionarios navibus impositos ad viginti milia ex undeviginti illis delectos esse, quattuor in Africa cum Scarpo fuerunt (Oros. 6, 19, 15). Unde iam videntur intellegi, quas olim quaesiverunt viri docti, occasio aetasque nummorum illorum legionariorum: nimirum signati sunt per a. 722. 723, quo tempore Antonius in Achaia cum exercitu morabatur. Id eo confirmatur, quod in nummo legionis octavae in Africa constitutae sub Antonii legato L. Pinario Scarpo (Eckhel 6, 48; Cohen 1^2 p. 45 n. 80) Antonius dicitur *cos. III imp. IIII*, quod convenit ipsi anno 723. Legionum ordinatio et denariorum iis destinatorum flatura cum videantur pari passu processisse, verisimile est, eas, quarum nummi aut rari sunt aut desunt, aut proxime ante proelium constitutas esse aut proelii tempore incohatas tantummodo, itaque Antonium XXX legionum numerum magis explere voluisse quam explevisse.

[2]) Si ante a. 762 prima legio nulla in exercitu fuit (v. p. 68 n. 1), Augustus ad a. 759 XVII legionibus usus est, eo anno XXV effecit et tribus a. 762 et caesis et adiectis totidem moriens reliquit.

taria aerario proprio stabilire aggressus est novaque propterea vectigalia excogitavit, sine dubio item fecit propter copias tum ita auctas, ut cum vel antea praemiis veteranorum aerarium publicum vix sufficeret, novis oneribus omnino impar esset. Nec tamen eo perventum est Augusto vivo, ut militibus emeritis iusto tempore satisfieret; unde inter Augusti infortunia *inopiam stipendii* Plinius (h. n. 7, 45, 149) ponit et mortuo Augusto, tam apud Germanicas quam apud Pannonicas legiones gravis seditio orta est querentium tricena quadragenave stipendia se toleravisse ante missionem et post missionem quoque ad signa se retineri (Tac. ann. 1, 17. 31).

CAPVT XVIII

LAT. 3, 40 | [*Inde ab eo anno, q*]uo Cn. et P. Lentuli c[*ons*]ules fuerunt, cum
41 d[*e*]ficerent | [*vecti*]g[*alia, tum*] centum millibus h[*omi*]num tu[*m*]
42 *pl*uribus i[*nl*]ato fru|[*mento vel ad n*]umma[*rió*]s t[*ributus ex agro*]
43 et pat[*rimonio*] m[*e*]o | [*opem tuli*].

GR. 9, 21 [*Ἀπ' ἐκ*]*είνου τ*[*ο*]*ῦ ἐνιαυτοῦ, ἐ*[*φ'*] *οὗ Ναῖος καὶ Πόπλιος* |
22 23 [*Λ*]*έντλοι ὕπατοι ἐγένοντο, ὅτε ὑπέλειπον αἱ δη*|[*μό*]*σιαι*
24 *πρόσοδοι, ἄλλοτε μὲν δέκα μυριάσιν, ἄλ*|[*λοτε*] *δὲ πλείοσιν*
10, 1 *σειτικὰς καὶ ἀργυρικὰς συντάξεις* || *ἐκ τῆς ἐμῆς ὑπάρξεως ἔδωκα.*

Capite hoc equidem in editione priore dixi agi de frumento in aerarium inlato, ipsum intemptatum fere reliqui. Totum explevit Bergkius sic: [*et annonae gravitatem sublevavi eodem anno et*] *q*[*u*]*o Cn. et P. Lentuli c*[*ons*]*ules fuerunt, cum def*[*i*]*cerent* [*opes publicae*], *centum millibus h*[*omi*]*num* [*ex meis*] *opibus* [*emp*]*to fru*[*mento: id ad fr*]*um*[*en*]*ta*[*ria*]*s t*[*esseras dedi nullo p*]*ret*[*io duplic*]*an*[*das*]. Iam patefacta interpretatione de ipsa re certe lux facta est. Nam ad sententiam recte intellegendam uno tantum loco coniectura opus est eaque satis certa; annus enim cum significetur non consueto more per duo consulum nomina, sed circumlocutione quadam non sine causa admissa, ea sine dubio haec fuit, quod quae sequuntur non facta sunt certo quodam anno, sed a certo inde per plures, quapropter posui [*ἀπ' ἐκ*]*είνου τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἐ*[*φ'*] *οὗ* et [*inde ab eo anno q*]*uo.* Id inde quoque commendatur, quod quae sequuntur ostendunt agi hic de tributo saepius soluto modo pro hoc modo pro illo possessorum numero, quae diversitas vix rationem haberet, si de tributo hic ageretur unius solius anni. Ad Graeca recuperata Latina ordinavi ut potui, sed passim dubitans, num ipsa principis verba adsecutus sim. V. 40 in. deficiunt litterae c. XXII, 41 in. ante C (quo figuram elementi magis ducere non negamus) vel G litt. IV vel V, post eam litteram VII. — 41 fin. I//^TO quod cernitur, necessario ducit ad supplementum *inlato.* — 42 supersunt haec: FRV (litt. XII) VMMA///S·T (litt. XIII) ETPAT (litt. VII) M/O certa omnia, etiam apex, per

quem constat ante s fuisse aut ά aut έ aut ό aut ύ, et punctum post s. Ex supplementis id quod est *ex agro* debeo Bormanno; *tributus* vocabulum genere masculino usurpatum Plauto et Catoni et legibus aetatis Gracchanae et omnino, ut ait Gellius (13, 21, 19), plerisque veterum, admisi necessitate coactus. In summa re quae posui non uno nomine displicent; sed meliora non inveni, potestque quod ita princeps ait eo quodammodo defendi, quod videtur significare voluisse non tam universum tributum pro debitore solvisse se quam supplementum praestitisse aut frumento inlato, aut ope lata ad nummarium tributum parte eius remissa.

Liberalitas, cuius hic mentio fit, diversa omnino tam a remissione vectigalium post victoriam Siculam (Dio 49, 15) et Actiacam (Dio 53, 2) facta ex auctoritate quidem principis, sed liberalitate populi Romani, quam a mera donatione in aerarium illata (v. 3, 34 ibique adnotata) recte refertur inter impensas in rem publicam populumque Romanum factas; nam solutis tributis, quae a debitoribus exigi non potuerint, non privatis solis, sed item aerario prospicitur. Verum est mire eam liberalitatem indicari neque annis satis determinatis neque summa pecuniae enuntiata, sed numero tantum hominum posito quibus ita subventum est; at verba Graeca certa et perspicua de ipsa re dubitationem non admittunt. Spectabat autem liberalitas haec ad provincias eaque fortasse causa fuit, propter quam annales eam fere praeterierunt. Certe apud scriptores quos habemus semel tantum memoratur apud Dionem 54, 30 ad a. 742: *ἐπειδή τε ἡ Ἀσία τὸ ἔθνος ἐπικουρίας τινὸς διὰ σεισμοὺς μάλιστα ἐδεῖτο, τόν τε φόρον αὐτῆς τὸν ἔτειον ἐκ τῶν ἑαυτοῦ χρημάτων τῷ κοινῷ ἐσήνεγκε.* Quod si vere Asia provincia annuum tributum pendebat talentorum quattuor milium, qua de re iure dubitatur (Marquardt *Staatsverwaltung* 2, 288), pro ea eo anno princeps dependit sestertium 96,000,000. Cur coeperit anno 736, non perspicio. Fortasse propter causas nobis ignotas eo anno primum reditus publici ita defecerunt, ut aerarium extra ordinem adiuvandum esset. Sed praeterea eam liberalitatem coniunctam fuisse crediderim cum cura annonae a. 732 a principe suscepta; ea enim cura cum sine dubio aliquo modo a reditibus aerarii penderet, iam iis deficientibus princeps facilius quam antea moveri debuit ad supplementum praestandum. Tributa possessoribus agri provincialis imposita alia frumento soluta esse, alia pecunia notum est; comparari possunt verba Taciti ann. 1, 6: *frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur*, Agric. 19: *frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire* et 31: *bona fortunaeque in tributum, ager et annus in frumentum* et Ti. Iulii Alexandri praefecti Aegypti a. 68 (C. I. Gr. 4957, 46): *πολλὰ καινῶς κατεκρίθη [προσοδικὰ κ]αὶ [ἄλ]λα τελέσματα σιτικὰ καὶ ἀργυρικά* et imprimis Hygini gromatici (de lim. const. p. 205): *agri vectigales multas habent constitutiones: in quibusdam provinciis fructus partem praestant certam, alii quintas, alii septimas, alii pecuniam, et* (ins. *ad*) *hoc per soli aestimationem certa pretia agris constituta*

sunt, ut in Pannonia arvi primi, arvi secundi, prati, silvae glandiferae, silvae vulgaris, pascuae: his omnibus vectigal est ad modum ubertatis per singula iugera constitutum.

CAPVT XIX

LAT. 4, 1 | Cúriam et continens ei Chalcidicum, templumque Apollinis in
2 | Palatio cum porticibus, aedem dívi Iulí, Lupercal, porticum ad
3 cir|cum Fláminium, quam sum appellári passus ex nómine eius
4 quí pri|órem eódem in solo fecerat Octaviam, pulvinar ad circum
5 maximum, | aedés in Capitolio Iovis feretrí et Iovis tonantis, [§]
6 aedem Quiriní, § | aedés Minervae § et Iúnonis Reginae § et Iovis
7 Libertatis in Aventíno, § | aedem Larum in summá sacrá viá, §
8 aedem deum Penátium in Velia, § | aedem Iuventátis, § aedem
Mátris Magnae in Palátio fécí. § |

GR. 10, 2 3 | *Βουλευτήρ[ιο]ν καὶ τὸ πλησίον αὐτῷ Χαλκιδικόν,* | *ναόν τε*
4 *Ἀπόλλωνος ἐν Παλατίῳ σὺν στοαῖς,* | *ναὸν θεοῦ [Ἰ]ουλίου,*
5 *Πανὸς ἱερόν, στοὰν πρὸς ἱπ|ποδρόμῳ τῷ προσαγορευομένῳ*
6 *Φλαμινίῳ, ἣν* | *εἴασα προσαγορεύεσθαι ἐξ ὀνόματος ἐκείνου*
7 *Ὀκτα|ουΐαν, ὅ[ς] πρῶτος αὐτὴν ἀνέστησεν, ναὸν πρὸς τῷ*
8 9 | *μεγάλῳ ἱπποδρόμῳ,* [§] *ναοὺς ἐν Καπιτωλίῳ* | *Διὸς τρο-*
10 *παιοφόρου καὶ Διὸς βροντησίου, ναὸν* | *Κυρείν[ο]υ,* [§] *ναοὺς*
11 *Ἀθηνᾶς καὶ Ἥρας βασιλίδος καὶ* | *Διὸς Ἐλευθερίου ἐν*
12 *Ἀουεντίνῳ, ἡρώων πρὸς τῇ* | *ἱερᾷ ὁδῷ, θεῶν κατοικιδίων ἐν*
13 *Οὐελίᾳ, ναὸν Νεό|τητο[ς, να]ὸν μητρὸς θεῶν ἐν Παλατίῳ*
ἐπόησα. |

Graecorum quamquam bona pars nunc demum patefacta est, pauca inde accesserunt, nam Latina quoque integra fere supersunt. V. 11 quod coniectura adsecutus est Bergkius *ἡρώων* pro *ἡρῷον* lapis confirmavit; idem recte observavit v. 12 a Graecis non *ἱερᾷ* afuisse, sed *ναὸν* ante *θεῶν*.

Operum publicorum quae fecit Augustus laterculus tripertitus est. Et prima quidem pars v. 1—8 complectitur opera publica quae a solo fecit Augustus in loco publico sacrove, tam ea quae in locum similium aedificiorum dirutorum subierunt solo eodem vel fere eodem, ut porticus Octavia et aedes Iovis feretrii, quam nova, ut aedes divi Iulii; secunda v. 9—20 opera publica ab Augusto refecta; tertia v. 21—23 opera publica a solo facta ab eodem in loco privato. Cum ea operum distributione coniunctum est, quod acute observavit Henricus Iordan (Hermae vol. 14 p. 567 seq.) Augustum vocabulis quae sunt *templum* et *aedes* non promiscue usum esse, sed illud tantummodo usurpare in duobus iisque, quae fecisset in solo privato, Apollinis Palatini et Martis. Causam autem diversitatis non explicuit. Mihi videtur qui aedem facit, loco aut sacro antea aut publico (nam utrumque summo iure eodem redire notum

est) iure eius non mutato aedificium sacris usibus destinatum imponere; contra templum qui instituit, scilicet quod perpetuum sit, plus facere, cum solum antea privatum in sacrum ius transmittat; potestque recte defendi aedem ad superficiem pertinere, templo solum quoque comprehendi. Verum est ita hoc quidem caput (4, 1. 21) satis expediri, non item explicari, cur etiam post facta delubra diversitas maneat, ut manet omnino (v. 4, 25. 5, 42). Sed cum semel obtinuisset, ut delubra a principe ita constituta, ut templi quoque ius ad ipsum rediret, hoc vocabulo potissimum appellarentur, templi appellatio, quippe quae maioris beneficii memoriam quandam contineret, etiam post dedicationem retenta est. Praeterea Augustus ubi in universum de aedificiis sacris verba facit, templi vocabulo utitur (4, 17. 49. 50), in singulis aedis. — Opera, quorum sumptus subministravit Augustus, cum fierent sub nomine alieno, ut basilica Aemilia (Becker p. 306), porticus Octaviae (Dio 49, 43), porticus Liviae (Dio 54, 23; Becker p. 542), in hoc suarum aedificationum recensu Augustus ut par erat praetermisit; praetermisit item opera a suis facta, ut aedem Concordiae a. 763 dedicatam a Tiberio (C. I. L. I p. 384); admisit quae ipse ita fecit, ut sub nomine defunctorum dedicaret, ut theatrum Marcelli (4, 22) et basilicam Gaii et Lucii (4, 16). — Ordinem in singulis secutus est Augustus temporis, sicut recte observavit Zumptius, nisi quod interdum, maxime in parte secunda tertiaque, re coniuncta componuntur. De singulis ita videbimus, ne in topographorum provinciam incurramus.

Curia et continens ei Chalcidicum. Cf. Becker top. p. 330 sq.; Iordan *Topographie der Stadt Rom* 1, 2 (1883) p. 250; Rud. Lanciani *l'aula e gli uffici del senato romano* (in actis academiae Romanae regiae Lynceorum vol. 11 a. 1882/3). Curia Iulia facta est a. 712 teste Dione (47, 19: *τὸ βουλευτήριον τὸ Ἰούλιον ἀπ' αὐτοῦ* — scilicet a Caesare dictatore — *κληθὲν παρὰ τῷ κομιτίῳ ὠνομασμένῳ ᾠκοδόμουν, ὥσπερ ἐψήφιστο,* id est a. 711, v. Dio 44, 5. 45, 17) eique anno, non anno 725, quo post Actiacum triumphum dedicata est (Dio 51, 22), eam adsignat locus, quem tenet in monumento Ancyrano. Chalcidicum autem omnino est sacrarium Minervae Chalcidicae id quod Dio l. c. una cum curia dedicatum esse scribit: *τό τε Ἀθήναιον τὸ* (sic Ven., *καὶ τὸ* codd. vulgares) *Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον καὶ τὸ βουλευτήριον τὸ Ἰουλίειον τὸ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον καθιέρωσεν*, nec puto de ea re umquam dubitassent viri docti, nisi decepisset eos lectio Dionis interpolata. Ceterum ne erres, Chalcidicum monumenti Ancyrani diversum est tam ab aede Minervae Chalcidicae, quam in campo Martio aedificavit Domitianus (Becker p. 646; Preller reg. p. 178), quam ab aede Minervae ad forum prope Castorum aedes facta ab eodem Domitiano (Becker top. p. 355; Preller reg. p. 148) notaque praesertim ex legibus de civitate veteranis danda a Domitiano inde ad eam aedem propositis (cf. *Bullett.* 1845 p. 127). Contra quod in notitia urbis regione octava *senatum*, id est curiam Iuliam, subsequitur *atrium Minervae*, ipsum existimo esse monumenti Ancyrani Chalcidicum, confirmaturque

ita denuo, qua de re hodie opinor convenit, curiam post Augus tum certe eodem semper loco mansisse. Ipsam autem de situ curiae vexatissimam quaestionem neque capit haec commentarii Augusti interpretatio et iam fere consentiunt periti eam fuisse ad forum ibi ubi nunc est ecclesia S. Hadriani.

Templum Apollinis in Palatio cum porticibus. Cf. Becker p. 424. Coeptum est post victoriam Siculam a. 718 (Dio 49, 15; Vell. 2, 81), dedicatum a. 726 Oct. 9 (C. I. L. I. p. 403; Dio 53, 1). Suetonius Aug. 29: *Templum Apollinis in ea parte Palatinae domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronuntiarant; addidit porticus cum bibliotheca Latina Graecaque.* Ceterum haec aedes licet ab Augusto facta sit in solo privato (Dio 49, 15; Vell. 2, 81), in hoc ordine magis quam in tertio posita est, quod pro eo loco ex privato facto publico vel potius sacro permutatione quadam Caesar locum publicum accepit, ubi domum sibi faceret (Dio l. c.). Recte autem ni fallor ad hanc aedem potissimum rettulit Eckhelius (6, 85. 93) nummos plerosque Augusti Apollinem Dianamque celebrantes et cum memoria victoriarum maritimarum et Siculae et Actiacae coniunctos; utramque enim Apollini debere voluit imperator.

Aedes divi Iuli. Quo loco corpus Caesaris crematum est in foro ante regiam statim posita est ara; aedes (ἡρῷον) ibi ut fieret cum decretum esset a. 712 (Dio 47, 18), cernitur ea in nummis cusis inter a. 717 et 720 (Eckhel 6, 11. 75), dedicata est anno demum 725 Aug. 18 (Dio 51, 22 cf. 19; C. I. L. I p. 399) triduo post triumphum Actiacum. Neque causa est, cur de anno cum Zumptio dubitemus: non enim secundum dedicationum dies aedificia enumerantur, sed secundum tempus quo perfecta sunt. Ipsius aedis nuper fundamenta retecta hodieque in foro cernuntur. Exposuit de ea Henricus Iordan in Hermae vol. 9 p. 342 seq.

Lupercal. Dionysius 1, 31 observat loci antiquam condicionem iam vix agnosci circumiacentibus locis adiunctis ad sacrarium antiquum, id est solo ampliato, scilicet ipsa illa Augusti aedificatione. Memoratur in senatus consulto in honorem Drusi Caesaris facto (C. I. L. VI, 912 *b* 9 cf. p. 841). Ubi fuerit, parum constat (cf. Becker in topographia p. 418; Lanciani *acquedotti* p. 21).

Porticus ad circum Flaminium Octavia. Cf. Becker p. 617. Festus p. 178: *Octaviae porticus duae appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecerit, alteram theatro Pompei proximam Cn. Octavius Cn. filius, qui fuit aed. cur. pr. cos.* (a. u. c. 589) *decemvirum sacris faciendis triumphavitque de rege Perse navali triumpho* (a. u. c. 587), *quam combustam reficiendam curavit Caesar Augustus.* Factam esse post bellum Dalmaticum a. u. c. 721 ostendit Bergkius p. 107; nam de porticu Octaviae quae narrat Dio 49, 43 non recte (Becker topogr. p. 617), ea vere pertinent ad Octaviam, in qua signa quoque a Dalmatis recepta Caesar collocavit (Appianus Illyr. 28).

Pulvinar ad circum maximum. Cf. Becker p. 666. Post incendium circi, quod accidit a. 723 (Dio 50, 10), Augustus restituit pulvinar, unde deinde

interdum circenses spectavit (Suet. Aug. 45; Claud. 4). Graecus interpres *pulvinar* hoc loco reddidit *ναόν*, in summario omisit.

Aedes in Capitolio Iovis feretrii. Cf. Iordan in topographiae vol. 1, 2 p. 47. Nepos Att. 20: *accidit, cum aedis Iovis feretrii in Capitolio ab Romulo constituta vetustate atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Caesar eam reficiendam curaret.* Liv. 4, 20: *hoc ego cum Augustum Caesarem, templorum omnium conditorem ac restitutorem, ingressum aedem feretrii Iovis, quam vetustate dilapsam refecit, se ipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem.* Atticus mortuus est a. u. c. 722 scripsitque hanc vitae partem extremam Nepos devicto Antonio ad Actium (c. 20, 5) neque tamen post a. 725 (nam graviter errat Nipperdeius, cum prol. p. XVII ante a. 725 Caesarem imperatorem dictum esse negat), fortasse ipso anno pugnae Actiacae 723, quo item aedes restituta videtur esse.

Aedes in Capitolio Iovis tonantis. Cf. Iordan in topographia urbis Romae vol. 1, 2 p. 48. Vovit aedem Augustus a. 728/9, *cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur praestrinxisset servumque praelucentem exanimasset* (Suet. Aug. 29), dedicavit a. 732 Sept. 1 (Dio 54, 4; C. I. L. I, 400). Repraesentant aedem nummi inscripti *Iovis tonantis* similiterve (Cohen Aug. 178—180. 184—186).

Aedes Quirini. Cf. Becker p. 571; Iordan eph. epigr. 1 p. 236 seq. Aedem hanc in colle Quirinali dedicavit Augustus a. 738, *ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας* (Dio 54, 19), neque obstat, quod aliquando obstare putavi (C. I. L. I p. 395), quod nominatur iam apud Vitruvium 3, 2, 7, nam quamquam eum praefationem certe scripsisse ante a. 727 recte Lachmannus (opp. min. 2 p. 164) observavit, librum quintum post eum annum ediderit necesse est (nam Augusti nominis meminit 5, 1, 7) potestque aedes aliquot annis ante a. 738 incohata esse vetusta aede diruta, ut nova eodem solo fieret.

Aedes (tres) *Minervae et Iunonis Reginae et Iovis Libertatis in Aventino.* Cf. Becker de prima p. 454, de secunda p. 452, de tertia p. 457 et 721. De Iove Libertate, qui *Ζεὺς ἐλευθέριος* dicitur interpreti, dubitationem omnem tollunt tituli iam satis noti Orelliani 1249. 1282. Aedes has tres numinum trium Capitolinorum Zumptius credit non casu coniungi, sed sacrarium effecisse tripertitum; id si verum est, habuit ut Tarpeius mons et collis Quirinalis (Varro l. l. 5, 158; Becker p. 577) etiam Aventinus suum tamquam Capitolium. De origine hoc tantum accepimus aedem Iunonis factam esse Veiis captis a Camillo: Minervae, quae aedes certe extitit iam bello Hannibalico, Iovisque quando dedicatae sint ignoratur. Fieri potest ut has quoque Camillus excitarit triumque harum aedium origo communis sit. Opponit Iordanus (eph. epigr. 1 p. 237) Augustum non de aede verba facere, sed de aedibus tribus earumque natales diversos esse, eatenus recte omnino, quod de tripertita aede in Aventino cogitari non potest; nec tamen casu tria numina Capitolina hic videntur coniuncta procedere. Augustus quo tempore eas restituerit cum non

tradatur, coniectura de eo capienda est ex laterculi huius ordine, id quod cadit etiam in aedificia reliqua in eo nominata, de quibus nihil adnotavi.

Aedes Larum in summa sacra via. Cf. Becker top. p. 101 et Preller myth. Rom. p. 497 = 2, 115 et propter Lares Graece ἥρωας quae adnotantur ad C. I. L. X, 3737 et apud Prellerum myth. 2[2] p. 102. Huius aedis titulum esse credidit Chishullus inscriptionem C. VI, 456 = Orell. 1668, quam qui originem eius solus prodidit Ursinus in Palatini montis ad forum descensu repertam esse scribit: *Laribus publicis sacrum imp. Caesar Augustus pontifex maximus tribunic. potestat. XVIIII ex stipe, quam populus ei contulit k. Ianuar. apsenti C. Calvisio Sabino L. Passieno Rufo cos.* (u. c. 750). Eandem basim stetisse sub signo aliquo in aede Larum dedicato existimant Prellerus (reg. p. 81 not.) et ad h. l. Zumptius collato loco Suetoniano Aug. 57: *omnes ordines k. Ian. strenam in Capitolio etiam absenti* (contulerunt), *ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium Iovemque tragoedum aliaque.* Mihi neutra opinio vera videtur, quamquam non nego recte Prellerum Zumptiumque basim hanc rettulisse ad statuarum earum aliquam, de quibus l. c. Suetonius dicit. Nam si quid video, vicatim dedicare non est nisi consecrare Laribus publicis, cum vici fuerint in tutela Larum. Confirmat id titulus similis a. 745 positus dedicatus Volcano (C. I. L. VI, 457); nam cum magistros vicorum Larumque Augustus circa a. 747 instituerit (v. C. I. L. VI, 454) itaque non offendat, quod in basi a. 745 Lares publici non nominantur, inveniuntur autem in altera a. 750, etiam Vulcani cultus ut omnium numinum quae arcerent incendia quam maxime ad vicos pertinuit (Orell. 1385 sq.). Quare neque Vulcani signum haec basis neque Larum illa sustinuit neque adeo steterunt in aedibus Vulcani Larumve, sed ad compita vicorum nescio quorum signa pretiosa olim sustinuerunt. Quonam autem tempore aedem Larum Augustus refecerit, ignoratur, nec magis retecta licet summa sacra via rudera ulla eius adhuc agnosci potuerunt.

Aedes deum Penatium in Velia. Cf. Becker p. 246. Eam Augustum refecisse hinc tantum comperimus. Dionysius autem quam sibi visam describit aedem deum Penatium 1, 68, vetus fuit, non ab Augusto instaurata.

Aedes Iuventatis. Cf. Becker p. 473. Una tantum fuit eius deae aedes Romae in circo maximo dedicata eodem anno, quo Matris magnae Palatina, u. c. 563 (Liv. 36, 36); nam in censum non venit aedicula Iuventatis, quae erat in Capitolio in delubro Minervae (Becker p. 397, ubi adde Dionys. 4, 15). Mero errore ex hoc commentarii Ancyrani loco effecit Zumptius, quem secutus est Prellerus myth. Rom. p. 234 = 1, 262, eam quam fecerit Augustus Iuventatis aedem fuisse in Palatio. Igni consumpta est aedes Iuventatis a. 738 postridie eius diei, quo Augustus Tiberiusque ex urbe abierunt (Dio 54, 19); de restitutione eius praeterea nihil traditum accepimus.

Aedes Matris Magnae in Palatio. Cf. Becker p. 421. Incendio consumpta a. 736 (Val. Max. 1, 8, 11; cf. Dio 55, 12 et Sueton. Aug. 37) mox ab Augusto refecta est.

CAPVT XX

LAT. 4, 9 Capitolium et Pompeium theatrum utrumque opus impensâ
10 grandi refeci | sine ullâ inscriptione nominis mei. §

GR. 10, 14 15 *Καπιτώλ[ιο]ν καὶ τὸ Πομπήϊον θέατρον ἑκάτερον* |
16 *τὸ ἔργον ἀναλώμασιν μεγίστοις ἐπεσκεύασα ἄ|νευ ἐπιγραφῆς τοῦ ἐμοῦ ὀνόματος.* §

De Augusti restitutione Capitolii, id est aedis Iovis Capitolini, praeterea certi nihil accepimus; nam male huc rettulit Zumptius locum Dionis 55, 1, ubi inter prodigia a. 745 quae exitium portenderent Druso hoc ponit, fulminibus laesam esse etiam aedem Iovis Iunonis Minervae in Capitolio, nec certum est, quamquam verisimile, quod statuit Henricus Iordan (top. 1, 2 p. 28. 49), a Manilio verbis corruptis et fortasse loco suo motis 5, 289: *sculpentem faciet sanctis laquearia templis condentemque novum caelum per tecta tonantis* (sic Scaliger, *tenacis* libri) Capitolii restitutionem significari ab Augusto susceptam. Potest ea referri ad curam a. 726 (v. p. 86). — Idem cadit in theatrum Pompeii, de quo dixit Beckerus p. 675, appellatum *theatrum Aug(ustum) Pompeianum* in titulo urbano C. I. L. VI, 9404 = Orell. 4085. Zumptius ad h. l. pro Pompeio theatro substituere voluit Pompeianum: sed lingua Latina optima aetate gentiliciis nominibus, cum sint adiectiva, ita utitur, cum cognomina, quae sunt substantiva, adiective declinet; unde dicitur *curia Iulia*, *aedes Metellina*. Quamquam nomina ea quae cognominis deficientis vices faciunt, aliquanto facilius ad substantivi condicionem deflectunt et mature admittitur causa Curiana, factio Mariana, theatrum Pompeianum, legio Antoniana, quoniam homines, unde haec derivata sunt, appellantur vulgo Curius Marius Pompeius Antonius, quam admittitur Iulianas et Caecilianus de hominibus qui vulgo dicuntur Caesar et Metellus.

LAT. 4, 10 11 Rivos aquarum complúribus locis | vetustáte labentés refeci. [§]

GR. 10, 16 17 *Ἀγωγοὺς ὑδάτω[ν ἐν πλεί]στοις τόποις τῇ παλαιότητι ὀλισ-*
18 *|θάνον[τας ἐπ]εσκεύασα* (scr. *ἐπεσκεύασα.*)

A. 743 senatus consultum factum est *de rivis specibus fornicibus aquae Iuliae Marciae Appiae Tepulae Anienis reficiendis ... quos Augustus Caesar se refecturum impensa sua senatui pollicitus est* (Frontinus de aquis c. 125). Refecti sunt rivi a. 749/750 teste titulo (C. I. L. VI, 1244 = Orell. 51): *imp. Caesar divi Iuli f. Augustus pontifex maximus cos. XII tribunic. potestat. XIX imp. XIIII rivos aquarum omnium refecit.* Pertinuit restitutio ad aquas tres simul in urbem inductas Iuliam Tepulam Marciam, in quarum arcu nunc comprehenso in porta Tiburtina sive S. Laurentii (Becker p. 703) inscriptio modo relata adhuc superest: accedunt cippi cum hac inscriptione: *Iul. Tep. Mar.; imp. Caesar divi f. Augustus ex s. c.; XXV: ped. CCXL* (C. I. L. VI, 1249 = Henzen

6835). Pertinuit item ad Anienem veterem, cuius item extant cippi complures inscripti ad hoc exemplum: *imp. Caesar divi f. Augustus ex s. c.*; DCLXIX; *p.* CCXL (C. I. L. VI, 1243 = Henzen 6636). De reliquis aquis similia testimonia deficiunt. Plura dabunt Henricus Iordan in topographia urbis Romae, imprimis vol. 2 p. 467 et Rodulfus Lanciani in egregia monographia *i comentarii di Frontino intorno le acque e gli aquedotti* (Romae 1880. 4).

LAT. 4, 11 12 et aquam quae Márcia appellátur duplicavi | fonte novo in rivum eius inmisso. §

GR. 10, 18 19 καὶ ὕδωρ τὸ καλούμενον | Μάρ[κιον ἐδί]πλωσα πηγὴν νέαν
20 εἰς τὸ ῥεῖθρον | [αὐτοῦ ἐποχετεύσ]ας. [§]

Frontinus de aquis 12 loco sic constituendo: *Augustus in supplementum Marciae, quod in siccitate egeret auxilio* (*quotiens siccitates agerent auxilio* cod.), *aliam eiusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Marciae rivum, quae ab inventore appellatur Augusta. nascitur ultra fontem Marciae. cuius ductus, donec Marciae accedat, efficit passus octingentos.* Cf. c. 5.

LAT. 4, 12 13 Forum Iúlium et basilicam, | quae fuit inter aedem Castoris et
14 aedem Saturni, [§] coepta profligata|que opera á patre meó per-
15 féci § et eandem basilicam consumptam in|cendio ampliáto eius
16 solo sub titulo nominis filiórum m[*eorum i*]n|cohavi [§] et, si vivus nón perfecissem, perfici ab heredib[*us iussi*] |.

GR. 10, 20 21 Ἀγορὰν Ἰουλίαν καὶ βασι|[λικὴν τὴν μεταξὺ τ]οῦ τε ναοῦ τῶν
22 23 Διοσκό|[ρων καὶ Κρόνου κατα]βεβλημένα ἔργα ὑπὸ τοῦ | [πα-
24 τρὸς ἐτελείωσα κα]ὶ τὴν αὐτὴν βασιλικὴν | [καυθεῖσαν ἐπὶ
11, 1 αὐξηθέντι] ἐδάφει αὐτῆς ἐξ ἐπι||γραφῆς ὀνόματος τῶν ἐμῶν
2 υἱῶν [ὑπ[ηρξάμη]ν | καὶ εἰ μὴ αὐτὸς τετελειώκ[ο]ι[μι, τ]ελε[ι]ω-
3 [θῆναι ὑπὸ] | τῶν ἐμῶν κληρονόμων ἐπέταξα. §

Lat. 16 cum non exciderint litterae plus VII (nam spatium quod sequitur superest non scriptum) post *heredibus* sustuli vocabulum *meis*. — Ex vestigiis Gr. 22 quod recuperavit Bergkius [*κατα*]*βεβλημένα*, marmor postea confirmavit. Ibidem cum non exciderint elementa plus XVI, invitus *τοῦ* ante *Κρόνου* delevi. Similiter v. 23 delevi *μου* post *πατρός*, cum litterae desiderentur numero XVIII. — Denique 24 cum deficiant litterae c. XX, *καυθεῖσαν* posui, non *κατα-φλεχθεῖσαν*. Redarguit lapis quod idem Bergkius posuit v. 24 [*αὐξήσας τὰ*] *ἐδάφη*, cuius loco quod posuimus *ἐπὶ* (vel *ἐν*) *αὐξηθέντι ἐδάφει* Kaibelio et Bormanno debetur, similiaque etiam Bergkius attulit.

Forum Iulium, de quo exposuerunt Drumannus 3, 616 et Beckerus p. 362 sq. cuiusque adhuc supersunt reliquiae pone ecclesiam S. Martinae (v. Lanciani p. 14 commentarii de aula senatus supra p. 79 citati), cum aede

Veneris Genetricis sive victricis sive Victoriae Caesaris dedicavit Caesar pater a. 708 Sept. 24 aut 25 (Dio 43, 22; Appian. b. c. 3, 28; C. I. L. I p. 402 coll. p. 397). Nec tamen totum perfectum fuisse cum dedicaretur praeter ipsum Augustum hoc loco testes sunt Nicolaus Damascenus (c. 22), qui paucis diebus ante mortem describit Caesarem sedentem in foro suo et redemptoribus opera ibi facienda elocantem, et Plinius 35, 12, 156: *M. Varro tradit ab hoc* (*Arcesilao*) *factam Venerem genetricem in foro Caesaris et priusquam absolveretur festinatione dedicandi positam.* — Ceterum profligandi vocabulum hac significatione reprehendit Gellius 15, 5: *cum ab adfligendo et ad perniciem interitumque deducendo inclinatum id tractumque sit semperque eo verbo, qui diligenter locuti sunt, ita usi sint, ut profligare dicerent prodigere et deperdere, profligatasque res quasi proflictas et perditas, nunc autem aedificia et templa et alia fere multa quae prope absoluta adfectaque sunt, in profligato esse dici ipsaque esse iam profligata . . . . Quod significare volunt qui profligatum dicunt, hi qui Latine locuti sunt, non profligatum, sed adfectum dixerunt.* Itaque videmus Augustum hoc loco vocabulo usum esse significatione vulgari magis quam probata, quamquam viri docti olim monstrarunt eadem significatione profligandi vocabulum usurpari quamvis raro etiam apud Ciceronem (Tusc. 5, 6, 15) et Livium (3, 50, 10).

Basilicam Iuliam Caesaris dictatoris praeterea commemorant fortasse Cicero in epistula a. 700 ad Atticum scripta (4, 16, 14), sed interpretationis admodum ambiguae, certe Hieronymus in adnotatione ex optimo auctore petita (v. comm. meum de fontibus Hieronymi p. 691) ad a. 708: *Romae basilica Iulia dedicata.* Dedicata est omnino una cum foro Iulio, de quo vidimus; mox autem incendio interiit obscuravitque memoriam eius altera basilica Iulia Augusti, cuius operis meminerunt etiam Suetonius Aug. 29: *quaedam etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet . . . . fecit, ut porticum basilicamque Gai et Luci,* et Dio 56, 27 ad a. 765: *ἡ στοὰ ἡ Ἰουλία* (codd. *Ἰουνία*, at vide Beckerum p. 543) *καλουμένη ᾠκοδομήθη τε ἐς τιμὴν τοῦ τε Γαίου καὶ τοῦ Λουκίου τῶν Καισάρων καὶ τότε καθιερώθη.* Porticus Iulia praeteritur in commentario non propterea quod opus alienum fuit, ut visum est Beckero p. 340 n. 627, nam vere Augusti opus non minus fuit quam basilica Iulia, sicut supra iam (p. 79) observavimus, sed potius quod comprehenditur basilica Iulia. Porticus dedicata est a. 765; ipsa basilica nondum absoluta erat, cum Augustus haec scripsit paucis ante obitum mensibus, unde etiam nomen operis non dedicati ponere noluit (Becker p. 305 n. 530). Videtur autem tam porticui quam basilicae nomen dedisse vel destinavisse Gai et Luci; sed usu obtinuit antiquius et simplicius porticus Iuliae basilicaeque Iuliae (Preller reg. p. 148). Eo ipso loco, quem commentarius indicat, ad forum Romanum inter aedem Castoris et aedem Saturni, et pingitur *b[asilica I]ulia* in formae urbis fragmentis (n. 20. 23 tab. III ed. Iordani, qui de iis egit p. 25) et extant hodieque reliquiae non exiguae, in quibus etiam reperta sunt exem-

plaria quaedam tituli, qui pertinens ad basilicam Iuliam quarto saeculo refectam pluribus locis olim in ea expositus fuit (C. I. L. VI. 1658; Iordan eph. epigr. 3 p. 276; Lanciani apud Fiorellium *Not. degli scavi* 1883 p. 48).

LAT. 4, 17–18 Duo et octoginta templa deum in urbe consul sext[*um ex decreto*] | senatus refeci, nullo praetermisso quod e[*o*] temp[*ore refici debebat*].

GR. 11, 3–6 *Δ*[*ύ*]*ο* [*καὶ ὀγδο*]|*ήκοντα ναοὺς ἐν τῇ πόλ*[*ει ἕκτ*]*ον ὕπ*[*ατος δόγμα*]|*τι συνκ*[*λ*]*ήτου ἐπεσκεύασ*[*α*] *ο*[*ὐ*]*δένα π*[*ε*]*ριλ*[*ιπών, ὃς*] | *ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐπισκευῆς ἐδεῖτο.* §

Lat. 17. Gr. 4 *decreto* et *δόγμαιτι* quae posueram retinui; nam quod substituit Bergkius *auctoritate* et *γνώμῃ* neque reliquiis respondent et abhorrent a sermonis Augusti proprietate. Nec magis eundem sequi potui scribentem Lat. 18 *refectione egebat* pro *refici oporteret* et Gr. 5 *περιιδών* pro *περιλιπών*. Nam ille locus cum non recipiat plus litteras XV, supplementum brevius requiritur; hoc huius vocabuli licet parum apti certa vestigia deprehensa sunt, nec potest ibi admitti *ἐν*, cum sex ad summum litteris in fine versus spatium sufficiat.

Pertinere restitutionem ad a. 726 vidit Zumptius. Dio 53, 2 ad a. 726 (cf. 56, 40): *τῶν ναῶν πρόνοιαν ἐποιήσατο· τοὺς μὲν γὰρ ὑπ' ἰδιωτῶν τινων γεγενημένους τοῖς τε παισὶν αὐτῶν καὶ τοῖς ἐκγόνοις, εἴ γέ τινες περιῆσαν, ἐπισκευάσαι ἐκέλευσε* (cf. Suet. Aug. 29), *τοὺς δὲ λοιποὺς αὐτὸς ἀνεκτήσατο. οὐ μέντοι καὶ τὴν δόξαν τῆς οἰκοδομήσεως σφῶν ἐσφετερίσατο, ἀλλ' ἀπέδωκεν αὐτοῖς τοῖς κατασκευάσασιν αὐτούς.* Suetonius Aug. 30: *aedes sacras vetustate conlapsas aut incendio absumptas refecit.* Horatius in carmine 3, 6 propter alias quoque causas anno c. 726 attribuendo: *delicta maiorum immeritus lues, Romane, donec templa refeceris aedesque labentes deorum et foeda nigro simulacra fumo*; respicit poeta opinor ipsum de hac re senatus decretum ab Augusto hoc loco memoratum. Liv. 4, 20: *Augustus Caesar templorum omnium conditor ac restitutor.* Ovidius fast. 2, 59: *cetera* (templa) *ne simili caderent labefacta ruina, cavit sacrati provida cura ducis, sub quo delubris sentitur nulla senectus . . . . templorum positor, templorum sancte repostor* et quae sequuntur.

LAT. 4, 19–20 | Con[*s*]ul septimum viam Flaminiam *ab* [*urbe*] Ari[*mino feci et pontes*] | omnes praeter Mulvium et Minucium. |

GR. 11, 6–9 [*Ὑ*]*πα*[*τος ἐ*]||*βδ*[*ο*]*μον ὁδὸν Φ*[*λαμινίαν ἀπὸ*] *Ῥώμης* [*Ἀρίμινον*] | *γ*[*εφ*]*ύρας τε τὰς ἐν αὐτῇ πάσας ἔξω δυεῖν τῶν μὴ* | *ἐπ*[*ι*]*δεομένων ἐ*[*π*]*ισκευῆς ἐπόησα.*

Lat. 19 *ab urbe* quod proposuit Perrot p. 252 probavique ego C. I. L. III p. 1064, lapis et in Latinis et in Graecis confirmavit, neque iam opus est referre

temptamina nostra priora et Bergkiana parum felicia. — In fine eius versus cum hiatus capiat litteras c. xv, *in ea* abiciendum fuit. — Post *Ῥώμης*, cuius in marmore agnoscuntur reliquiae, cum octo tantum litterae deficiant, *ἐς* admitti non potest. Gr. 19 item confirmavit lapis quod commendarat Bormannus *ἐπιδεομένων*. Praeterea supplementa mea lectione expleta confirmata sunt.

Annus indicatur 727. Eodem pertinet titulus arcus Ariminensis a Bormanno (C. I. L. XI. 365 = Henzen 5360) ad vestigia ab ipso diligenter inspecta ita scite expletus:

SENATVS • POPVLVSQ*ue romanus*
imp . caesari diui f. augusto imp. sept
COS • SEPT • DESIGNAT • OCTAVOM • V*ia flamini*A *et reliquei*S
CELEBERRIMEIS • ITALIAE • VIEIS • CONSILIO *et sumptib*VS *eius mu*NITEIS

Item Suetonius (Aug. 30) *desumpta*, inquit, *sibi Flaminia via Arimino tenus munienda reliquas triumphalibus viris e manubiali pecunia sternendas distribuit.* Dio quoque 53, 22 postquam observavit reliquas vias extra urbem alias aliis senatoribus attributas esse reliciendas ipsorum pecunia, *τῆς δὲ δὴ Φλαμινίας*, pergit, *αὐτός, ἐπειδήπερ ἐκστρατεύσειν δι' αὐτῆς ἔμελλεν, ἐπεμελήθη. καὶ ἡ μὲν εὐθὺς τότε ἐγένετο καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰκόνες αὐτῷ ἐφ' ἁψίδων ἔν τε τῇ τοῦ Τιβέριδος γεφύρᾳ καὶ ἐν Ἀριμίνῳ ἐποιήθησαν.* Propter hanc viarum curam opinor per a. 726—728 tot triumphi acti sunt, quot praeterea nullo tempore inveniuntur. Ipse Augustus Flaminiam sibi muniendam sumpsisse videtur propter triumphos ante biennium actos; C. Calvisius Sabinus cos. a. 715, qui triumphavit a. 726 ex Hispania (C. I. L. I p. 478), viam Latinam refecit (C. I. L. X, 6895 cet.; Borghesi opp. 5 p. 152). — De pontibus, quos restituisse se negat Augustus, notissimus est Mulvius factus a M. Scauro censore u. c. 645 (Victor v. ill. 72; Amm. Marc. 27, 3, 9), nomen tamen nactus a curatore aliquo antiquiore ad exemplum Fabricii (cf. *Mulviana controversia* Cic. ad Att. 2, 15, 4). Eum ipsum repraesentare solent nummi vias ab Augusto munitas praedicantes, scilicet propter arcum arcusve tum in honorem Augusti in ponte eo collocatos (v. Borghesi opp. 2, 366). At novus nobis accidit pons Minucius neque ubi fuerit sciri potest: probabiliter tamen cum referemus ad Thermum illum, de quo consulatus in a. 690 petitore Cicero scribit (ad Att. 1, 1, 2) his verbis: *nemo est ex iis, qui nunc petunt, qui si in nostrum annum reciderit firmior candidatus fore videatur, propterea quod curator est viae Flaminiae, quae cum erit absoluta, sane facile eum municipia consulem accipient* (sic fere Bormannus; *muntiteri consuli acciderim* Med.). Via autem Minucia (Cic. ad Att. 9, 6, 1; Horat. ep. 1, 18, 20) huc nullo modo pertinet.

CAPVT XXI

LAT. 4, 21 In privato solo Mártis Ultoris templum [*f*]orumque Augustum [*ex*
22 *manì*]|biís feci. §

GR. Ancyr. 11, 10 Apoll. 5, 1 2 *Ἐν ἰδιωτικῷ ἐδάφει Ἄρεως Ἀμύντορος ἀγο-*
11 *ράν τε Σε|βαστὴν ἐκ λαφύρων ἐπόησα.* [§]

Nota in Graecis *ναόν* post *Ἀμύντορος* deesse in utroque exemplo. De re videantur quae de foro Augusto aedeque in eo medio collocata Martis Ultoris diximus Becker top. p. 370 sq. et ego C. I. L. I p. 393 ad diem Mart. 12, praesertim Suetonius c. 56: *forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos.* Vota est aedes haec bello Philippensi (Suet. Aug. 29) u. c. 712, cuius belli item intellegendae sunt manibiae, absoluta autem dedicataque post annos demum quadraginta u. c. 752. Quadrigarum in eo foro sibi dedicatarum princeps meminit infra 6, 27.

LAT. 4, 22 Theatrum ad aede (*sic*) Apollinis in solo magná ex parte á p[*r*]i-
23 [*v*]*atis* | empto féci, quod sub nomine M. Marcell[*i*] generi mei esset. §

GR. Ancyr. 11, 11 12 Apoll. 5, 2 3 *Θέατρον προς τῷ Ἀπόλλωνος* (sic Apoll., *απλλωνος* Anc.) *ναῷ ἐπὶ ἐδάφους ἐκ πλείστου μέρους ἀγο-*
13 *|ρασθέντος ἀνήγειρα* [§] *ἐπὶ ὀνόματος* (*ὀνόματι* Apoll.) *Μαρ-*
14 *κέλλου | τοῦ γαμβροῦ μου.*

Cf. Becker top. p. 603. 678. Coeperat theatrum Caesar dictator; perfecit Augustus et in honorem generi mortui u. c. 731 dedicavit u. c. 743 die Mai. 4 (Plin. h. n. 8, 17, 65; quamquam Dio 54, 36 dedicationem ad a. refert 741).

LAT. 4, 23 24 Don[*a e*]x | manibiís in Capitolio et in aede divi Iú[*l*]i et in aede
25 Apollinis et in ae|de Vestae et in templo Martis Ultoris consa-
26 crávi, § quae mihi consti|terunt HS circiter milliens. §

GR. Ancyr. 11, 14 15 Apoll. 5, 4—6 *Ἀναθέματα ἐκ λαφύρων ἐν Καπι|τωλίῳ*
16 *καὶ ναῷ Ἰουλίῳ καὶ ναῷ Ἀπόλλωνος | καὶ Ἑστίας καὶ*
17 *Ἄ[ρεω]ς ἀφιέρωσα* ([ἀ]*φειέρωσα* Apoll.), *ἃ ἐμοὶ κατέστη | ἐνγὺς μυριάδω[ν δι]σχε[ι]λίων πεντακ[οσίων]* |.

Cf. Suet. Aug. 30: *aedes sacras ... opulentissimis donis adornavit, ut qui in cellam Capitolini Iovis sedecim milia pondo auri* (= 64,000,000 sestertium) *gemmasque ac margaritas quingenties sestertii una donatione contulerit*; quae summa nimia est, ut solet exaggerari aurum Capitolinum (cf. Plinius h. n. 33, 1, 14; Sueton. Caes. 54), refelliturque hoc loco ab ipso Augusto. Dio 51, 22 (cf. c. 17 extr.) loco praeterea mendoso narrat Augustum post triumphum u. c. 725 ex

manibiis Aegyptiacis ornasse et curiam et aedem divi Iulii et aedem Capitolinam Iovis Iunonis Minervae.

LAT. 4, 26 27 Aurí coronárí pondo triginta et quin|que millia múnicipiís et
28 colonís Italiae conferentibus ad triumphó[s] | meós quintum con-
29 sul remisi, et posteá, quotienscumque imperátor a[ppe]l|látus
sum, aurum coronárium nón accepi decernentibus municipii[s]
30 | et colon*i*[s] aequ[*e*] beni[*g*]ne adque antea decreverant. |

GR. Ancyr. 11, 18 Apoll. 5, 6 *Εἰς χρυσοῦν στέφανον λειτρῶν τρισ[μυρίων]*
19 20 | *πεντακισχειλίων καταφερούσαις τα[ῖς ἐν Ἰ]ταλί|ᾳ πολειτείαις*
21 *καὶ ἀποικίαις συνεχώρη[σ]α τὸ [πέμ]πτον ὑπατεύων, καὶ ὕστε-*
22 *ρον ὁσάκις [αὐτ]οκράτωρ | προσηγορεύθην, τὰς εἰς τὸν στέφα-*
23 *νο[ν ἐ]παγγε|λίας οὐκ ἔλαβον ψηφιζομένων τῶν π[ολειτει]ῶν*
24 12, 1 | *καὶ ἀποικιῶν μετὰ τῆς αὐτῆς προθ[υμίας, κα]θ||ά[περ*
ἐψηφίσαντο π]ρό[τερον].

Lat. 30 ubi *aeque benigne* iam lapis dedit, antea posueramus *studio eodem* ego ad sententiam, *aeque sedulo* Bergkius. — Gr. 11, 24. 12, 1 quae apparuerunt elementa ΠΡΟΘ/////Θ (vel Ο) ‖ Α/////Φ (vel Ψ) ///_///ΡΟ///// parum certa omnia praeter extrema duo Kaibelius ordinavit sic ut supra leguntur, in universum recte omnino, quamquam ita Σ littera quarta ante ΡΟ non explicatur neque spatia omnia satis explentur.

De auro coronario v. Marquardt *Staatsverwaltung* 2 p. 285. Vetusto more civitates, ad quas victoria aliqua pertineret, imperatori triumphaturo ex auro coronas offerebant; quae ne decernerentur nisi decreto antea triumpho, cautum est lege Iulia de provinciis (Cic. in Pison. 37, 90). Ipsa res cum eo duceret, ut coronae hae maxime decernerentur per eas regiones ubi bellum gestum esset (cf. Dio 48, 12), tamen etiam Italica municipia aliquando eas obtulerunt (cf. Dio 42, 50). Sed a coronis a certis civitatibus imperatori oblatis differunt coronae oblatae imperatori triumphaturo a populo universo tributim, qui honor primum habitus est L. Antonio triumphanti a. 713 (Dio 48, 4: *ὁ Λούκιος .... ἐσεμνύνετο, ...ὅτι ἐκείνῳ μὲν* — C. Mario — *ἢ τις ἢ οὐδεὶς στέφανος ἐδόθη, αὐτὸς δὲ ἄλλους τε καὶ παρὰ τοῦ δήμου κατὰ φυλήν, ὅ μηδενὶ τῶν προτέρων ἐγεγόνει .... ἔλαβεν*), ut eidem posuerunt statuam 'quinque et triginta tribus patrono' (Cic. Phil. 6, 5, 12. 7, 6, 16). Id ipsum rursus decretum esse, cum instaret triumphus Actiacus, summa auri clare ostendit, oblatis scilicet a singulis tribubus auri pondo singulis milibus. Hanc collationem et tum et postea Augustus recusavit, de reliquo auro coronario nihil mutans. Rem ex parte narrat Dio 51, 21 ad a. 725: *παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο.* — Graecus interpres non vertit verba *ad triumphos meos*, vertit quod opponitur *quotienscumque imperator appellatus sum.*

CAPVT XXII

LAT. 4, 31 *T[e]r mu*nus gladiátorium dedí meo nomine et quinquens (*sic*)
32 filiórum me[*o*]rum aut n[*e*]pótum nomine; quibus muneribus
33 depugnaverunt homi|nu[*m*] ci[*rc*]iter decem millia. [§]

GR. 12, 2 3 [*Τρὶς μονο*]*μαχ*[*ίαν ἔδω*]*κα τῷ ἐμῷ ὀνόματι καὶ* | [*πεντάκις τῶν*
4 *υἱῶν μου ἢ υἱ*]*ωνῶν· ἐν αἷς μονο*|[*μαχίαις ἐμαχέσαντο ἐ*]*νν*[*ὺς*
μύ]*ρι*[*ο*]*ι.*

Filii Augusti sunt Gaius adoptatus a. 737, mortuus a. 757; Lucius adoptatus a. 737, mortuus a. 755; Tiberius adoptatus a. 757; Agrippa Postumus adoptatus a. 757, abdicatus a. 760; nepotes Germanicus et Drusus Ti. filii adoptati cum patre a. 757. Ludos filiorum nepotumque nomine editos inter ludos Augusti referri eo minus mirabimur, quod iure Romano filii nepotesque suum nihil habebant nec ludos edere poterant nisi sumptibus patris avive (cf. Sueton. Tib. 15). Commemorantur autem apud auctores Augusti munera haec: 1) u. c. 725 ob dedicationem aedis divi Iulii (Dio 51, 22); 2) u. c. 726 ob victoriam Actiacam (Dio 53, 1); 3) u. c. 738 editum ex senatus consulto ab Augusto per Tiberium et Drusum (Dio 54, 19); 4) u. c. 742 quinquatribus filiorum Gaii et Lucii nomine (Dio 54, 28. 29); 5) u. c. 747 funebre in honorem Agrippae (Dio 55, 8 collatis iis quae p. 61 diximus de congiario a. 742); 6) u. c. 752 in dedicatione aedis Martis (vide infra ad 4, 43); 7) u. c. 759 in honorem Drusi maioris a filiis eius Germanico et Claudio editum (Dio 55, 27; Plin. h. n. 2, 26, 96. 8, 2, 4), quamquam huiusce sumptus num fecerit Augustus, dubitari potest. His fortasse addendum octavo loco commemoratum a Suetonio Aug. 43: *Nepotum suorum munere cum consternatum ruinae metu populum retinere et confirmare nullo modo posset, transiit e loco suo atque in ea parte consedit, quae suspecta maxime erat*, nam munus hoc editum nomine Germanici et Drusi Ti. f. diversum videtur ab iis quae supra recensuimus. Contra quae Suetonius habet Tib. 7: *munus gladiatorium in memoriam patris et alterum in avi Drusi dedit . . . .; dedit et ludos, sed absens; cuncta magnifice, impensa matris et vitrici* huc non pertinent; data enim sunt, quando Tiberius nondum erat Augusti filius. — Numerus munerum universus inde colligitur quod initio v. 31 certe R ante MVNVS adest neque spatium admittit ut scribamus *quater*. Neque audiendus Zumptius Augustum munera multo plura ratus edidisse; nam Augustus quod edixit a. 732, ne singulis praetorum muneribus plus quam centeni viceni homines pugnarent (Dio 54, 2), non video quomodo impediat, quominus pugnarint in singulis muneribus imperatoriis paria circiter quingena.

LAT. 4, 33 34 Bis [*at*]hletarum undique accitorum | spec[*ta*]c[*lum po*]pulo pra[*e-*
35 *bui meo*] nómine et tertium nepo[*tis*] mei no|mi*ne*. §

GR. 12, 4 5 *Δὶς ἀθλητῶ[ν] παντ[αχόθεν] με[ταπεμφθέντων γυμνικο]ῦ*
6 *ἀγῶνος θέαν* | *[τῷ δήμῳ π]αρέσχον τ[ῷ ἐ]μῷ ὀνόματι καὶ*
7 *τρίτ[ον]* | *τ[οῦ υἱωνοῦ μου].*

Supplementa olim a nobis proposita ita confirmantur, ut appareat in Graecis vocabulum *γυμνικοῦ* adfuisse. Bergkius quod suasit, ut scriberetur *tertium nepotum et nomine meo*, item *τρίτ[ον τῷ τῶν ἐγγόνων μου]*, redarguit lectio expleta.

Sueton. Aug. 43: *Athletas quoque (edidit) extructis in campo Martio sedilibus ligneis.* Dio 53, 1 ad a. 726: *γυμνικὸς δὲ τότε ἀγὼν σταδίου τινὸς ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ξυλίνου κατασκευασθέντος ἐποιήθη.* De athletis hoc loco agi iam Zumptius perspexerat. Nepos cuius hic mentio fit utrum Germanicus fuerit an Drusus, non liquet.

LAT. 4, 35 L[*u*]dos feci m[*eo no*]m[*ine*] quater [§], aliorum autem m[*agist*]rá-
36 [tu[*um*] vicem ter et vicie[*ns*]. [§]

GR. 12, 7 8 *[Θέας ἐπόη]σα δι' ἐμοῦ τετράκ[ις], διὰ δὲ τῶν ἄλλων ἀρχῶν ἐν μέρει τρὶς καὶ εἰκοσάκις.* § |

Vicem vocabulum a me non agnitum recte reposuit Perrotus et post eum Bergkius, qui item agnovit Graeca quae respondeant vel certe interpreti respondere visa sint (nam omnino vertit male) *ἐν μέρει* iam et ipsa in lapide deprehensa.

Haec ex ipso indice citat Suetonius Aug. 43: *fecisse se ludos ait suo nomine quater, pro aliis magistratibus, qui aut abessent aut non sufficerent, ter et vicies.* Cum Zumptio ad *quater* ne cogitatione suppleas *et viciens*, quod sermonis ratio nequaquam admittit, cogitandum est ludos vulgares, id est circenses et scaenicos, Augustum, qui minores magistratus non obisset, suo nomine raro edidisse. De ludis Victoriae Caesaris a. 710 ab Augusto editis iustis editoribus cessantibus v. Dio 45, 6 (coll. C. I. L. I p. 397).

LAT. 4, 36 37 [*Pr*]o conlegio xvvirorum magis[*ter con*]*l*[*e*]*gi*]i colleg[*a*] M. Agrippa
[§] lud[*os s*]aecl[*are*]s C. Furnio C. [*S*]ilano cos. [*feci.*] |

GR. 12, 9 10 *Ὑπὲρ τῶν δεκαπέντε [ἀνδρ]ῶν, ἔχων συνάρχοντα* | *Μάρκον*
11 *Ἀγρίππ[αν, τὰς θ]έας [δ]ιὰ ἑκατὸν ἐτῶν γεινο|μένας ὀν[ομα-*
12 *ζομένα]ς σ[αι]κλάρεις ἐπόησα Γαίῳ* | *Φουρνίῳ κ[αὶ] Γαίῳ Σε[ι]λανῷ ὑπάτοις.* [§]

Lectione expleta postquam reliqua ita fere ut antea edebantur confirmata sunt, gravi dubitationi obnoxia restant verba a Graeco interprete omissa interposita inter *xvvirorum* et *collega*. Ibi cum supersit MAGIS ////// | /E//I (sic ectypum; ECII Domaszewskius ex ipso lapide), ego posui *magister conlegii*, Bergkius *magisteri mihi*, Hirschfeldius *magister imperi*. Et Bergkiana quidem supplementa cum reliquiis contraria sunt tum, ut Hirschfeldius demonstravit, ipsa inepta. Scripturae reliquiis et mea supplementa conveniunt et Hirschfel-

diana, nisi quod in his *imperii* scribendum est; nam inter E et I hiatus una littera non satis expletur. Nec magnopere offendit genetivus singularis secundae declinationis ita hoc solo loco in *-ii* finiens, cum constet ea aetate utramque orthographiam in usu fuisse et etiam in ablativis pluralis eiusdem declinationis pro solito *-is* ter quaterve reperiatur *-iis*. Supplementa autem pendent a quaestione, quo iure editio ludorum saecularium facta sit. Eam Hirschfeldius repetens a tribunicia potestate eo trahit verba *imperii collega* (nam ita iungit) *M. Agrippa*, nixus praesertim eo quod in senatus consulto de his ludis edendis facto (C. I. L. VI. 877) ii dicuntur futuri esse [*edentibus imp. Augusto M. Agrip*]*pa tribunic*(*ia*) *potestate*[1]) (cf. Censorinus 17, 11: *quintos ludos ... Caesar Augustus et Agrippa fecerunt*). Sed ei coniecturae obstant gravissimae dubitationes. Transpositio genetivi a consuetudine Augusti proprietatem et simplicitatem sermonis vel maxime secuti plane abhorret, neque ad summam potestatem significandam Augustus vocabulo imperii ullo modo uti potuit et multo minus in rebus sacris et urbanis. Nec minus quam vocabula res offendunt. Ludorum saecularium editionem iure spectasse ad collegium quindecimvirum non solum aliis testimoniis plurimis certissimisque constat, sed de ipsis ludis a. 737 celebratis eo demonstratur, quod in nummo L. Mescinii Rufi (Cohen Aug. 461) ad cippum inscriptum *imp. Caes*(*ar*) *Aug*(*ustus*) *lud*(*os*) *saec*(*ulares* scil. *fecit*) bipertito adscriptum est XV · S · F, sive cum Eckhelio (6, 102) id ad collegium refers legens XV(*viri*) sive, quod magis probarim, cum Chishullo ad ipsum Augustum legens XV(*vir*). Demonstrat rem item quod subscriptum est fastis Capitolinis[2]):

ludi saeculares quinct.
imp. Caesare divi f. Augusto
C. Sentio C. f. C. n. Saturnino
M. Claudio M. f. M. n. Marcello
M. Fufio M. f. Strigone *mag. XVvir.*
D. Laelio D. f. D. n. Balbo.

Sed ante omnia ipsa indicis verba omnem dubitationem praecludunt; nam quod ait princeps ludos fecisse se *pro conlegio XVvirorum* quid est aliud quam fecisse se ex decreto collegii? Quam ob rem ut ludis Arvalium annuis magister collegii praesidet, ita de ludis saecularibus similiter decreverit necesse est

---

[1]) Bergkius supplevit p. 75: *ludos ...* [*proxima Caesaris Augusti et M. Agrip*]*pae tribunic*(*ia*) *potestate futuros*; at marmor quod extat habet ⟨PA, non PAE. Praeterea annus ita non potest significari.

[2]) C. I. L. I p. 442. Bergkius p. 74 afferens ex Zellii delectu 397: *a. p. R. c. imp. Caesare divi Vespasiani filio Domitiano Aug. Germanico magistro XVvir. ex s. c. ludi saeculares facti*, et adnotans: 'quibus commode uti possumus ad fastos Capitolinos supplendos, in quibus de versibus quinque tres intermedii radendo deleti sunt', non vidit Zellium id sumpsisse a Fleetwoodio, Fleetwoodium ex ipsis tabulis Capitolinis suppletis scilicet coniectura; quod moneo, periti ut rideant, imperiti ne decipiantur.

collegium quindecimvirum, scilicet ut iis praesiderent duo collegae Augustus et Agrippa. Neque obstat, quod Augustus quidem inter quinque magistros fuit primusque eorum, Agrippa autem XV vir et ipse (certe a. 738 teste Dione 54, 19; cf. titulus Gnathinus C. IX, 262: [*M.*] *Ag*[*rippae L. f.*] *imp., x*[*v viro*] *sacr. fa*[*ciund.*]) neque tamen magister; nam collegium ut non omnibus magistris[1]), ita etiam collegae non magistro editionem mandare poterat. Hoc fieri potest et rei non minus convenit quam verbis supra laudatis senatus consulti, collegium decrevisse ut ludis praesiderent duo collegae ii qui tribunicia potestate essent; nam saeculi reformatio tam cum sacris saecularibus quam cum tribunicia potestate coniuncta fuit potuitque potentissimorum hominum delectus ita speciose velari. Quam ob rem et retinui quod olim posui et quod collegam Augustus hoc loco Agrippam appellat, ad curam refero ludorum edendorum ipsi et Agrippae commissam.

LAT. 4, 38 [*C*]on[*sul XIII*] ludos *Mar*[*tia*]*les pr*[*imus feci*], qu[*os*] p[*ost i*]d
39 tempus deincep[*s*] | ins[*equen*]ti[*bus ann*]is . . . . . [*fecerunt co*]n[*su*]les. [§]

GR. 12, 12 13 Ὕπατος τρισκαιδέκατον [Θέας Ἄρεως πρ]ῶτος ἐπόησα, ἃς
14 15 *μετ' ἐ*[*κεῖνο*[*ν χ*]*ρόνον ἐξῆς* [*τοῖς μ*]*ετέπειτα ἐνιαυτοῖς* | *δ* . . . . . .
16 . . . . . *μοι ἐπόησαν οἱ ὕπα*[*τοι*].

Annum cum indicarent fragmenta Graeca 752, pertinere caput ad ludos ob aedem Marti Ultori eo anno dedicatam institutos dixi in editione priore, idque stabilivit lectio expleta. Sed ipsa verba ne nunc quidem tota redintegrantur; nam post *insequentibus annis* (eorum enim verborum lapis etsi hoc loco admodum exesus vestigia non dubia servat) in Latinis, in Graecis *τοῖς μετέπειτα ἐνιαυτοῖς* (quae recte agnovit Bergkius), ante *fecerunt consules*, *ἐπόησαν οἱ ὕπατοι* desiderantur in Latinis elemente VIII vel IX, in Graecis haec intercedunt Δ (litt. XX) MOI, quae ipsa certa (nam ne de M quidem recte dubitabitur, num ei substitui possit N) quomodo explenda sint, parum liquet. Bergkius quod interposuit *ex senatus decreto* et *δόγματι τῆς συνκλήτου* spatiis et vestigiis parum aptum est.

Ludos Martiales diversos esse a circensibus eidem Marti celebratis die Maii 12 et editos esse k. Aug. ostendi in C. I. L. vol. 1 p. 393, ubi vide; adde Suet. Claud. 4 ex epistula Augusti de Claudio puero: *curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum non displicet nobis.* Annuos fuisse innotuerat iam ex Dione 60, 5; editos esse a consulibus praeterea Dio significat (56, 46) referens decretum esse Augusto defuncto, *ὅπως τὰ γενέσια οἱ ὕπατοι ἐξ ἴσου τοῖς Ἀρείοις ἀγωνοθετῶσιν.*

[1]) Quod ostendi in editione priore collegio ei non magistros singulos praefuisse, sed quamdiu X viri erant, binos, XV viris factis quinos, contra opinionem eo tempore ita receptam, ut ei contraria verba Taciti ann. 6, 12 propterea mutare viri docti non dubitarent, iam verbo memorare sufficit; interim enim illa opinatio in iustam oblivionem abiit.

LAT. 4, 39 40 [*Ven*]ati[*o*]n[*es*] best[*ia*]rum Africanárum meo nómine aut filio-
41 [*ru*]m meórum et nepotum in ci[*r*]co aut [*i*]n foro aut in
42 amphitheatris popul[*o d*]edi sexiens et viciens, quibus | confecta
sunt bestiarum circiter tria m[*ill*]ia et quingentae. |

GR. 12, 16 ..... *ν* ..... *ης θηρίων ε* | (*reliqua interciderunt*).

Deficiunt in Graecis principio v. 16 litterae c. XIV, deinde inter N et HΣ litterae XII. [*Θέας ἔδωκα σφαγ*]*ῆς θηρίων ἐ*[*ξακισχιλίας*] . . . Bergkius proposuit, sed in E syllabam finiisse lapis ostendit.

Respondent huic loco verba Suetonii Aug. 43, quorum principium interceptum ad sententiam certe recte restituit Rothius: [*circensibus ludis gladiatoriisque muneribus frequentissime editis interiecit plerumque bestiarum Africanarum venationes*] *non in foro modo nec in amphitheatro, sed et in circo et in saeptis, et aliquando nihil praeter venationem edidit.* Saepta ibi pertinent ad munus gladiatorium a. 752 (Dio 55, 10). Anno 741 vel potius 743 in dedicatione theatri Marcelli interfectae sunt bestiae Africanae DC (Dio 54, 26) eodemque tempore prima tigris ostensa (Plin. h. n. 8, 17, 65), item a. 752 necati leones CCLX et crocodili XXXVI (Dio 55, 10), denique a. 765 ludos edente Germanico leones CC (Dio 56, 27). Quadringentas viginti feras Africanas Augustum proposuisse scribit Plinius h. n. 8, 17, 64 anno non addito. — *Amphitheatra* autem cur dixit Augustus pro amphitheatro? certe non hoc significare voluit ludos se edidisse in pluribus amphitheatris; nam etsi demus praeter lapideum Tauri aliis ligneis ad tempus factis eum usum esse, debuit ita etiam circos et fora ponere, non circum forumque, cum ludos ediderit sine dubio in pluribus circis pluribusque foris. Equidem magis crediderim vocabulum, quod hic non primum quidem invenitur (nam recte monuit Bergkius usurpatum esse antea a Vitruvio 1, 7, 1: *in quibus civitatibus non sunt gymnasia neque amphitheatra*), sed Augusto principe demum videtur usurpari coeptum esse nec vere Graecum est, initio plurali numero solo usurpari coeptum esse, cum essent amphitheatra tanquam theatra duo. Similiter *bigas* et *quadrigas* dixerunt antiquiores et *biga* et *quadriga* posteriore demum tempore invaluit (Varr. 9, 63 al.); quamquam analogiam hanc claudicare non ignoro. Bergkius principem in hoc vocabulo pluralem praeoptavisse iudicat, ne eandem clausulam usque iteraret; sed eiusmodi aurium cura delicata in Augustum parum quadrat.

CAPVT XXIII

LAT. 4, 43 | Navalis proeli spectaclum populo de[*di tr*]ans Tiberim, in quo
44 loco | nunc nemus est Caesarum, cavato [*solo*] in longitudinem
45 mille | et octingentós pedés, [§] in látitudine[*m mille*] e[*t*] ducentí
46 (*sic*). In quo tri|ginta rostrátae náves trirémes a[*ut biremes*], [§]
47 plures autem | minóres inter se conflixérunt. Q[*uibus in*] classi-
48 bus pugnave|runt praeter rémigés millia ho[*minum tr*]ia circiter. § |

GR. 12, 21 22 *N[αυμαχίας θέαν τῷ δήμῳ ἔδω]κα πέ[ρ]αν τοῦ Τι[βέριδος, ἐν*
23 *ᾧ τόπῳ ἐστὶ νῦ]ν ἄλσος Καισά[ρω]ν, | ἐκκεχω[κὼς τὸ ἔδαφος]*
24 *ε[ἰ]ς μῆκ[ο]ς χειλίων ὀκτακο|σίων ποδ[ῶν, εἰς π]λάτ[ο]ς χιλίων*
13, 1 *διακο[σ]ίων. ἐν ᾗ || τριάκο[ν]τα ναῦς ἔμβολα ἔχουσαι τριήρεις*
2 3 *ἢ δί[κροτ[οι, αἱ] δὲ ἥσσονες πλείους ἐναυμάχησαν.* § | *Ἐν*
4 *τ[ούτῳ] τῷ στόλῳ ἠγωνίσαντο ἔξω τῶν ἑρετῶν | πρόσπ[ο]υ*
ἄνδρες τρ[ι]σχ[ε]ί[λ]ιοι. |

Lat. 46 ante *biremes* fuisse *aut*, non *et*, recte observavit Bergkius. Contra Lat. 47, Gr. 3 quod commendat Hirschfeldius *in utrisque classibus, ἐν ἑκατέρῳ τῷ στόλῳ*, et peccat contra sermonis Latini legem et iam id redarguit lapis. Gr. 12, 21 deficiunt inter N et KA litt. XXIV, 22 pr. litt. XXII, 23 inter EKKEXΩ et E Σ litt. XII. 12, 23 participium adhuc frustra quaesitum (*ὀρύξας* Kirchhoff. *ἐκκοιλάνας* Bergk) nunc marmor suppeditat, ut item 13, 4 *πρόσπου* dedit pro suppleto *περίπου*.

De re cf. Velleius 2, 100: *magnificentissimis gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis divus Augustus se et Gallo Caninio cos.* (u. c. 752) *dedicato Martis templo animos oculosque populi Romani repleverat.* Dio 55, 10 de dedicatione eadem: *ναυμαχίαν ἐν τῷ χωρίῳ, ἐν ᾧ καὶ νῦν ἔτι σημεῖά τινα αὐτῆς δείκνυται, Περσῶν καὶ Ἀθηναίων ἐποιήθη· καὶ ἐνίκων καὶ τότε οἱ Ἀθηναῖοι* (cf. Ovid. art. am. 1, 171). Eusebius ad a. Abr. 2014 (2013 Hier.) = urbis 752 (v. p. 14): *Αὔγουστος παρέσχε ναυμαχίαν καὶ μονομαχίαν.* Suetonius Aug. 13: (edidit) *navale proelium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Caesarum nemus est*, ubi *circa* praepositionem a me in dubium vocatam contra Hauptii coniecturam *ultra* recte defendit Bergkius collatis locis similibus Suetonii Ner. 38 et Plinii h. n. 12, 5, 23. 16, 36, 162. De situ naumachiae quidquid dixit Zumptius, iam dubitatio nulla superest (cf. Becker top. p. 657 addito loco Strabonis 13, 1, 19 p. 590). — Supplementum *aut biremes* flagitat versio Graeca; accedit quod scribit Tacitus (ann. 12, 56; cf. Suetonius Claud. 21; Dio 60, 33) Claudium naumachiam edidisse in lacu Fucino triremibus quadriremibusque et undeviginti milibus hominum armatorum, *ut quondam Augustum structo cis* (immo *uls*, quod proposuit Beckerus top. p. 657, vel *secus*, quod Bergkius commendat) *Tiberim stagno, sed levibus navigiis et minore copia.* Milia hominum tria in classibus his pugnasse, quod Zumptius posuit, cum convenit vestigiis tam Latinis quam Graecis, tum confirmatur eo, quod in vetere naumachia Augusti edente Tito simile spectaculum item pugnaverunt hominum milia tria (Dio 66, 25).

CAPVT XXIV

LAT, 4, 49 In templis omnium civitatium pr[*ouinci*]ae Asiae victor orna|-
50 menta reposui, quae spoliatis tem[*plis is*] cum quo bellum gesse-
51 ram | privatim possederat §.

GR. 13, 5 | [Ἐν ναοῖ]ς π[ασ]ῶν πόλεω[ν] τῆς [Ἀ]σί[α]ς νεικήσας τὰ ἀνα-
6 7 θέ[ματα ἀπ]οκατέστησα, [ἃ εἶχεν] ἰ[δίᾳ] ἱεροσυλήσᾱς ο | ὑπ'
[ἐμοῦ] δ[ι]αγωνισθεὶς πολέ[μιος].

In Latinis 49 quod supplevi lectio plenior confirmavit. — Recte Bergkius v. sequenti revocavit supplementum antiquum *is*, pro quo spatii computatione falsa deceptus *hostis* dederam neque sententiae congruens nec vero spatio. — In Graecis extrema sic dedit Kirchhoffius: *ἃ κατεῖχεν ἰδίᾳ ἱεροσυλήσας ὁ πολέμιος πρὸς ὃν ἐπεπολεμήκειν*, Bergkius autem: *ἃ ἐκέκτητο ἱεροσύλησας ὁ ἐμοὶ ἰδίᾳ ἀράμενος πόλεμον;* veri magis similia iam substituit Kaibelius, postquam in lapide 6 inter [ἀπ]οκατέστησα et ἱεροσυλήσας vestigia haec deprehensa sunt non omnia certa: ///////ι///ι. — 7 post ΠΟΛΕ quinque litterae desiderantur.

De re cf. Drumannus I, 465. Dio 51, 17: *πάντα ὡς εἰπεῖν καὶ τὰ ἐκ τῶν ἁγιωτάτων ἱερῶν ἀναθήματα ἡ Κλεοπάτρα ἀνελομένη συνεπλήρωσε τὰ λάφυρα τοῖς Ῥωμαίοις.* Item Plin. h. n. 34, 8, 58: *Fecit* (Myro) *et Apollinem, quem ab triumviro Antonio sublatum restituit Ephesiis divus Augustus admonitus in quiete.* Strabo 13, 1, 30 p. 595 Cas. de Rhoeteo Troadis: *ἱερὸν Αἴαντος καὶ ἀνδριάς, ὃν ἄραντος Ἀντωνίου κομισθέντα εἰς Αἴγυπτον ἀπέδωκε τοῖς Ῥοιτειεῦσι πάλιν, καθάπερ καὶ ἄλλοις ἄλλους, ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ· τὰ γὰρ κάλλιστα ἀναθήματα ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων ἱερῶν ὁ μὲν ἦρε, τῇ Αἰγυπτίᾳ χαριζόμενος, ὁ δὲ θεοῖς ἀπέδωκε.* Idem 14, 1, 14 p. 637 de Heraeo Samio: *τρία Μύρωνος ἔργα κολοσσικὰ ἱδρυμένα ἐπὶ μιᾶς βάσεως, ἃ ἦρε μὲν Ἀντώνιος, ἀνέθηκε δὲ πάλιν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ εἰς τὴν αὐτὴν βάσιν τὰ δύο τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὸν Ἡρακλέα, τὸν δὲ Δία εἰς τὸ Καπετώλιον μετήνεγκε*[1]). Bibliothecam quoque Pergamenam Antonius

[1]) Eodem spectare mihi videri titulum Samium editum a Vischero mus. Rhen. 22 p. 325 = opp. 2, 155 cum scripsissem Dittenbergero, respondit is id sibi quoque placere et erudite monuit restituendum esse *ἔτους τῆς κολωνίας Γάιος Σκρειβώνιος Ἀνδρονίκου υἱὸς Ἡρακλείδης νεωποίης εὐσεβής, ἐφ' οὗ τῇ θεᾷ τἀναθήματα* (traditur ΕΦΟΑΤΗΙ ΘΕΛΑΝΑΘΕΜΑΤΑ) *ἀπεδόθη*, similiter ut est in titulo Attico (C. I. Att. III, 1284 cf. 1285): *ἐφ' ὧν καὶ τὸ ἔργον τῆς ἀναβάσεως ἐγένετο.* Aetatem tituli aliquatenus inde colligi, quod in eo inveniatur *νεωποίης* sortito factus (scilicet v. 3 fuisse [νεω]ποίης ἔλαχ[εν]), cum in altero simillimo edito apud Rossium inscr. ined. 2 n. 191 legatur: *ἔτους κθ' τῆς τοῦ Σεβαστοῦ νίκης* (= u. c. 751) *νεωποίης εὐσεβὴς χειροτονητὸς Πόπλιος Κορνήλιος Λευκίου υἱὸς Ῥοῦφος.* Nam sortitionem pro comitiis post Augustum institutam esse vel restitutam vix credibile, facile autem contrarium cogitari posse; propterea titulum eum, de quo agitur, scriptum videri ante a. u. c. 751. Itaque non sine aliqua specie veri *νεωποίην* C. Scribonium Heraclidam, sub quo Samiis donaria restituta sunt, ad a. u. c. 725 referemus. Ceterum coloniam Samum quamquam his titulis duobus testatam habemus, non solum eius alia memoria nulla extat, sed difficile cum ea conciliantur, quae praeterea de Sami sub imperatoribus condicione accepimus (Eusebius a. Abr. 1997 = u. c. 735: *Αὔγουστος Σαμίοις ἐλευθερίαν παρέσχε* cet.) et nummorum quoque Samiorum indicia (Percy Gardner *Samos and Samian coins* p. 72). Vide ne *κολωνία* haec quae Graece loquitur non tam Romana fuerit quam comparanda cum *δήμῳ Ἀπολλωνιατῶν Λυκίων Θρᾳκῶν κολωνῶν* Pisidiae (C. I. Gr. 3970), de quo egit Waddingtonius ad Lebasium III, 1195.

donavit Cleopatrae (Plutarch. Ant. 58), quamquam ad eam Augusti verba non perveniunt. — Spoliationes igitur eiusmodi in Cleopatrae gratiam patratae sunt Sami Ephesi Pergami Rhoetei, quae sunt in provincia Asia omnes; quamobrem, cum praesertim Graeca alteram provinciam non admittant, in Asia subsistendum est reiectis supplementis cum priorum *civitatium Peloponnesi* (vel *Achaiae*) *et Asiae* tum Bergkianis *civitatium Bithyniae et Asiae*. Praeterea quamquam constat Antonium vexasse Achaiam a. 715 (Dio 48, 39), eo certe tempore aedes sacras non spoliavit Cleopatrae causa, Athenis tum morans et Octaviae amore captus.

LAT. 4, 51 52 Statuae *mea*|e pedestrés et equestres et in quadrigeis argenteae
53 steterunt in urbe xxc circiter, quas ipse | sustuli [§] exque eá
54 pecuniá dona aurea in áede Apol[*li*]nis meó nomi|ne et illórum,
qui mihi statuárum honórem habuerunt, posui. § ||

GR. 13, 7 8 Ἀνδριάντες πε|ζοὶ καὶ ἔφιπποί μου καὶ ἐφ' ἅρμασιν ἀργυροῖ
9 10 εἱστήκει|σαν ἐν τῇ πόλει ἐγγὺς ὀγδοήκοντα, οὓς αὐτὸς ἦρα, | ἐκ
11 τούτου τε τοῦ χρήματος ἀναθέματα χρυσᾶ ἐν | τῷ ναῷ τοῦ
12 Ἀπόλλωνος τῷ τε ἐμῷ ὀνόματι καὶ | ἐκείνων, οἵτινές με
13 [τ]ούτοις τοῖς ἀνδριᾶσιν ἐτείμη|σαν, ἀνέθηκα. |

Suetonius Aug. 52: *in urbe . . . . . argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit.* Dio 53, 22: ὁ Αὔγουστος καὶ ἀνδριάντας τινὰς ἑαυτοῦ ἀργυροῦς πρός τε τῶν φίλων καὶ πρὸς δήμων τινῶν γεγονότας ἐς νόμισμα κατέκοψε (cf. 52, 35. 54, 35). Plin. h. n. 33, 12, 151: *argenti usum in statuas primum divi Augusti temporum adulatione transisse falso existimatur.*

CAPVT XXV

LAT. 5, 1 | Mare pacávi á praedonibus. Eó bello servórum, qui fugerant á
2 dominis | suis et arma contrá rem publicam céperant, triginta
3 fere millia capta § | dominis ad supplicium sumendum tradidi. §

GR. 13, 14 15 Θάλασσα[ν] πειρατευομένην ὑπὸ ἀποστατῶν δού|λων [εἰρή-
16 ν]ευσα· ἐξ ὧν τρεῖς που μυριάδας τοῖς | δε[σπόται]ς εἰς κόλα-
σιν παρέδωκα. §

Pertinere haec ad bellum cum Sex. Pompeio gestum intellexit Chishullus. Cf. infra 5, 33. 34: *Siciliam et Sardiniam occupatas bello servili.* Velleius 2, 73: (Sex. Pompeius) *occupata Sicilia servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens magnum modum legionum effecerat perque Menam et Menecraten paternos libertos praefectos classium latrociniis ac praedationibus infestato mari ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, cum eum non depuderet vindicatum*

armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus. Lucanus 6, 422: *Siculus pirata.* Florus 2, 18: *ille* (Cn. Pompeius pater) *Cilicas extinxerat, hic* (Sex. Pompeius) *se piratica tuebatur.* Appianus 5, 77. 80 addit piratas quosdam a Caesare captos quaestione habita confessos esse de Pompeio consiliorum suorum scelerumque auctore idque Caesarem edicto populo significavisse. Copias Sex. Pompeii praecipue crevisse servis ex Italia fugitivis narrat Dio 48, 19, addens: *τοσοῦτοι δὴ ἠθροίσθησαν, ὥστε καὶ τὰς ἀειπαρθένους καθ' ἱερῶν ἐξασθαι ἐπισχεθῆναι σφῶν τὰς αὐτομολίας* (cf. Plin. 28, 2, 13). Unde pace Misenensi servis his Pompeius libertatem stipulatus est (Appian. b. c. 5, 72; Drumann 1, 430). Devicto autem a. u. 718 Sex. Pompeio cum exercitus eius Caesari se tradidisset, Caesar missis per castra epistulis obsignatis eodem die aperiendis fugitivos omnes comprehendi iussit et in urbem adduci, ubi triginta milia eorum (numerum habet praeter mon. Ancyr. Orosius) dominis eorumve successoribus in Italia Siciliave restituta sunt, reliqui ad sex milia qui agniti non essent ad suum quisque e quo aufugerat oppidum in crucem acti (Appian. b. c. 5, 131; Oros. 6, 18, 33; Dio 49, 12).

LAT. 5, 3 4 Iuravit in mea verba tóta | Italia sponte suá et me be[*lli*], quó
5 víci ad Actium, ducem depoposcit. § Iura|verunt in eadem
6 ver[*ba provi*]nciae Galliae Hispaniae Africa Sicilia Sar|dinia. §

GR. 13, 16 17 *Ὤμοσεν* | [*εἰς τοὺς ἐμοὺ*]*ς λόγους ἅπασα ἡ Ἰταλία ἑκοῦσα*
18 19 *καὶ*|[*μὲ πολέμου,*] *ᾧ ἐπ' Ἀκτίῳ ἐνε*[*ί*]*κησα, ἡγεμόνα ἐξη*|[*τήσατο* (*sic*). *ὤ*]*μοσαν εἰς τοὺς* [*αὐτοὺ*]*ς λόγους ἑπα*[*ρ*]||*χε*[*ῖαι Γαλα*]*τία Ἰσπανία Λιβύη Σι*[*κελία Σαρ*]*δώ.*

Lat. 4 pro *b*[*ello*] Bergkius dedit *b*[*elli*] propter spatium, recte. — Verba *quo vici ad Actium* primum a Perroto Mordtmannoque excepta sunt, ante foede corrupta neque intellecta. — Gr. 18 superest 17 Ω/ΕΠΑΚΤΙΩΙ.

Pertinet caput ad a. 722, cum instante bello inter Antonium et Caesarem uterque socios iureiurando sibi obstrinxit (Dio 50, 6); cf. Sueton. Aug. 17: *Bononiensibus publice gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis.* Provincias enumerat etiam Dio l. c.: (*Καίσαρι*) *ᾗ τε Ἰταλία καὶ ἡ Γαλατία τό τε Ἰβηρικὸν καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν καὶ Λιβύες οἵ τε ἐκ τοῦ πρὶν ῥωμαΐζοντες πλὴν τῶν περὶ τὴν Κυρήνην καὶ οἱ τοῦ Βογούου τοῦ τε Βόκχου γεγονότες Σαρδώ τε καὶ Σικελία καὶ αἱ ἄλλαι νῆσοι αἱ ταῖς εἰρημέναις ἠπείροις προσεχεῖς συνεμάχησαν*, id est fere easdem eodemque fere ordine, sed addit Illyricum, quod propterea verbis Augusti Zumptius extremo loco inseruit, ego casu omissum esse statui C. I. L. III p. 279 (cf. hist. Rom. 3[7] p. 540). Neutrum verum est; nam etiam altero loco 5, 35 Augustus colonias enumerans in Italia et in provinciis a se deductas pariter atque hic Illyricum praeteriit paresque fere vel etiam maiores difficultates inde pariuntur, sed neutrubi meri erroris excusationem admitti posse iam nemo negabit. Immo ne-

cessario statuendum est ad bellum usque Actiacum Illyricum in provinciae formam non ita esse redactum, ut suum certumque locum teneret; neque refragatur rerum memoria. Scilicet aetate liberae rei publicae exiguam partem eius quae Romanis tum parebat non comprehensam quidem esse Galliae cisalpinae vocabulo, sed una cum ea administrari solitam esse, hodie plerique consentiunt, neque qui dissentit Zippelius (*die römische Herrschaft in Illyrien* p. 180 seq.) administrationis separatae argumentum idoneum ullum attulit. Per tempora belli civilis inter Caesarem et Pompeium et deinde sub Caesare dictatore qui Illyrico praefuerunt a. 705 C. Antonius (Drumann 1, 524), per a. 706 et 707 Q. Cornificius quaestor pro praetore (bell. Alex. 42—47; Drumann 2, 618), a. 708 P. Sulpicius Rufus (Cicero ad fam. 13, 77), a. 709—711 P. Vatinius (Cicero ad fam. 5, 9—11, Phil. 10, 5, 11; Appian. Illyr. 13 cet.), provinciam (ita appellatur a Caesare b. G. 5, 1; Cicerone fam. 13, 77; auctore belli Alex. l. c.) seorsum administrarunt, et adhuc fere credidimus inde Illyricum provinciam coepisse. Sed ut Antonius et Cornificius sine dubio belli duces magis fuerunt quam provinciae praesides, ita idem etiam de Sulpicio et Vatinio recte statui potest, cum bellum contra Dalmatas vel post civile finitum durarit; et cum Caesar ipse in regiones Danuvianas expeditionem suscepturus esset, tantum abest, ut constet eo tempore inter provincias sortito quotannis distributas Illyrico locum datum esse, ut verisimile sit inter turbas civiles rerumque confusionem mortem eius consecutam administrationem huius regionis mutandam fortasse magis quam mutatam in antiqua forma mansisse. Vere post bellum demum Dalmaticum a Caesare filio gestum Illyricum Romanis ita parebat, ut iusta administratione amplius carere non posset. At id bellum non ad finem perductum est, sed abruptum quodammodo Actiaco; itaque quod cogit hic locus ut statuamus, Illyricum post a. 722 formam stabilem praesidemque suum accepisse rerum memoria omnino admittit. Nam locum suum obtinet Illyricum in divisione provinciarum inter Caesarem et senatum a. 727 instituta (Dio 53, 12; cf. Strabo 17, 3, 25 p. 840). Antea autem ubi de provincia Illyrico Dio verba facit et loco supra indicato et altero 48, 28, suae aetatis consuetudinem ut solet secutus est.

LAT. 5, 6 Qui sub [*signis meis tum*] militaverint, fuerunt senátórés plúres
7 | quam DCC, in ii[*s qui vel ante vel pos*]teá consules facti sunt ad
8 eum diem | quó scripta su[*nt haec*, LXXXIII, *sacerdo*]tés ci[*rc*]iter CLXX. § |

GR. 13, 20 21 *Οἱ ὑπ' ἐμ[οῖς σημείοις τό]τε στρατευ[σάμενοι ἦσαν συνκλη-*
22 *τι|κοὶ πλείους ἑπτ]α[κοσί]ων· [ἐ]ν [αὐτοῖς οἳ ἦ πρότερον ἦ*
23 24 | *μετέπειτα] ἐγ[ένον]το [ὕπ]α[τοι εἰς ἐκ]ε[ί]ν[ην τὴν ἡ]μέ|[ραν,*
14, 1 *ἐν ᾗ ταῦτα γέγραπτα]ι, ὀ[γδοήκο]ντα τρε[ῖ]ς, ἱερ[εῖ]ς ‖ πρόσ-*
που ἑκατὸν ἑβδομή[κ]οντα.

Lat. 6 cum Perrotus dedisset recte, sed imperfecte *qui .... verint*, ego deceptus Mordtmannianis *qui v .... eadem verba* suppleram *qui tum iuraverunt in eadem verba*, Bergkius *qui tum in mea verba iuraverunt*; ipsa principis verba lectio expleta demum suggessit sententia non mutata. — Extrema sententia tota pessumdata olim Lucae errore scribentis v. 7 *consulibus* pro *consules*, intellegi coepta est prolato exemplo Perrotiano, sed nunc demum lectio ita purgata est et expleta, ut ad rem certe quae perveniant dubitationes omnes sublatae sint. Latina ego antea sic constitueram: *in i[is homines qui pos]tea consules facti sunt ad eum diem quo scripta su[nt haec ....., qui praetores], circiter* CLXX, Bergkius autem: *in i[is consulares ..., pos]tea consules facti sunt*, reliqua retinens. Et *homines* quidem vocabulum ut Bergkius recte reiecit, ita quod ipse dedit parum Latinum est; nam aut *sunt* omittendum fuit aut addendum relativum, quod tamen spatio excluditur. Iam cum XVII fere litterae inter II et TEA deficiant, non duos numeros videtur Augustus posuisse consularium et postea consulum factorum, sed unum utrumque genus comprehendentem; eodemque videntur ducere reliquiae interpretationis Graecae exiles, sed tamen ita comparatae, ut duos numeros vix eis inseras. — Deinde in Latinis v. 8 inter *su[nt haec]* et *[sacerdo]tes* cum deficiant litterae c. VII, in Graecis autem v. 24 vestigia evanida intente rimantibus nobis haec fere apparuerint:

(litt. 22) IC////NTA

iis supplementa LXXXIII et *ὀγδοήκοντα* sola recte respondent. Nam his positis non solum spatia ita explentur, ut litterae neque abundent neque deficiant (interciderunt enim, ut dixi, in Latinis v. 8 elementa XVII, in Graecis v. 24 a principio c. XXII, scilicet spatio computato ad v. 23, cum computantes ad v. 20 ad XXIV ducamur, ut luculenter hinc appareat scripturae inaequabilitas), sed quod maximum est, inter numeralia quae in *κοντα* finiunt unum quod litteram rotundam habeat sex litteris separatam a clausula *ντα*, id est quod posuimus.

Senatores supra septingentos cum princeps scribat a. 722 sub suis signis militavisse, pervenit id ad eos qui eo tempore senatores essent, neque in ipsa re dubitatio obstat; nam erant eo tempore senatores supra mille teste Suetonio Aug. 35. Praetereuntur ita tam inter senatores quam inter consulares iuvenes ii qui tempore belli Actiaci equestri loco constituti postea latum clavum sumpserunt fascesve adepti sunt. At horum cum par causa sit, magis crediderim Augustum paullo indiligentius locutum esse quam in fastis Actiacos suos dinumerantem hos praeteriisse.

Quot consulares sub signis suis ad Actium militantes Augustus numeraverit ut ex indice solo cognoscitur, ita ex rerum memoria aliquatenus determinari potest, quot consulares eo tempore in vivis fuerint vel certe esse potuerint neque signa Autoniana secuti sint. Et consularium quidem eorum quos fasti recensent ab a. 681 ad a. 700 plerosque certum vel paene certum est defunctos esse ante a. 712; supervixerunt ei vel certe post eum superstites esse potuerunt Cn. Aufidius Orestes cos. a. 683, M'. Aemilius Lepidus a. 688,

L. Volcacius Tullus a. 688, L. Aurelius Cotta a. 689, L. Iulius Caesar a. 690. L. Licinius Murena a. 692, L. Calpurnius Piso a. 696, L. Marcius Philippus a. 698. Sed cum nullus eorum per tempora Actiaca memoretur, verisimile est horum quoque plerosque ante a. 722 naturae debitum solvisse. Antiquissimus consularium, quos constat Actiaco bello vixisse, M. Valerius Messalla est cos. a. 701 augur per annos LV et mortuus senectae extremae. Ab a. 701 ad a. 721 in fastis uno loco excepto iam expletis consules perscripti sunt (numerato eo qui deficit) praetermissis iterationibus LVI; hinc ubi demimus ipsum Caesarem et Antonium, item quos novimus diem obiisse ante a. 722 numero quattuordecim, denique partes Antonianas secutos consulares quattuor[1]), restant numero XXXVI, quos aut constat Caesaris partis secutos esse aut certe non constat de contrario, quamquam horum quoque aliquot aut propter mortem aut propter factionem adversam Augusti calculis non comprehensos esse verisimile est. — Ab a. 722 ad a. 767 consules facti sunt, secundum fastos laterculi Kleiniani iam per hos annos plenos fere et ipsos, demptis iterationibus homines CXVI, e quibus tamen eximendi sunt aliquot propter factionem diversam, multo plures propter aetatem. Nam moriente Augusto qui legitima aetate summum honorem adipiscebatur, ne natus quidem erat, cum pugnatum est ad Actium; non pauci igitur fuerint necesse est, qui consules facti Augusto principe temporibus Actiacis non militarint. Itaque numerus consularium octoginta et trium, quem reliquiae aut dederunt aut certe indigitaverunt, computationibus supra propositis recte aptatur.

Centum et septuaginta numerum cum in editione priore demonstrassem ad consulares referri non posse, magistratum aliquem inferiorem hic significari conieci; iam et Latinorum et Graecorum lectio plenior ostendit eum spectare ad sacerdotes, scilicet senatoriae dignitatis, ut non solum quattuor collegia maiora hic intellegantur, sed Arvalium quoque et similis dignitatis reliqua. Hoc omnino tenendum est verba ita scripta esse, ut comprehendantur ex septingentis senatoribus non solum qui tempore belli Actiaci sacerdotium habuissent, sed etiam postea sacerdotes creati.

CAPVT XXVI

LAT. 5, 9 | Omnium prov[*inciarum populi Romani*], quibus finitimae fuerunt
10 | gentes quae n[*on parerent imperio nos*]tro, fines auxi.

GR. 14, 2 3 *Πασῶν ἐπαρχειῶν δήμο[υ Ῥω]μαίων, αἷς ὅμορα* | *ἦν ἔθνη*
4 *τὰ μὴ ὑποτασσ[όμ]ενα τῇ ἡμετέρᾳ ἡ|γεμονίᾳ* (sic), *τοὺς ὅρους*
ἐπεύξ[ησ]α (sic). [§]

[1]) Scilicet L. Munatius Plancus cos. a. 712, P. Canidius Crassus a. 714, L. Gellius Publicola a. 718, L. Sempronius Atratinus a. 720.

Graecorum horum maior pars nunc demum patefacta est. — Huic loco Huschkius (*über den zur Zeit der Geburt Christi gehaltenen Census* p. 53 sq., coll. *über den Census der Kaiserzeit* p. x) censum intulit ex Lucae evangelio supplens sic: *omnium prov[inciarum censum egi et earum]*, *quibus* cet., sane perverse. Idem provincias quae parerent Augusto negavit recte dici populi Romani; at Augustus quidquid tenuit, populi nomine tenere se semper professus est Aegyptumque adeo scribit adiecisse se *imperio populi Romani* (5, 24). — Lat. 9 et Gr. 10 supplementum, quod Zumptium secutus in ed. priore proposui, recognito lapide confirmatum est paucis mutatis, explosum autem Bergkianum *gentes qu[ae nostro infestae erant imperi]o* et *ἔθνη πολέμια*.

Iam quibus de provinciis hoc loco cogitarit Augustus, videamus. — Fines aucti, de quibus hoc capite agitur, ad Hispanias non perveniunt, quippe quae gentes barbaras proprie finitimas haberent nullas. — Imperii fines Augusto visos esse Germanicis suis expeditionibus a Rheno prolatos ad Albim necesse est statuamus propterea quod in iis quae sequuntur Germaniam ait pacavisse se ad ostium fluminis Albis; pacandi enim vocabulum non usurpatur de agro hostium prospere peragrato, sed de terra imperio subiecta devictis rebellibus ad pacem revocata. Caesar b. G. 1, 6: *inter fines Helvetiorum et Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus fluit*; Seneca nat. q. 6, 7: *medius inter pacata et hostilia fluit Danuvius et Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens ... alter Germanos avidam gentem belli repellens*; Liv. 8, 34: *sine commeatu vagi milites in pacato, in hostico errent.* Ita Augusti verba Suetonius quoque accepit c. 21: *Germanos ultra Albim fluvium summovit*; neque enim hoc significavit Germanos ex terris inter Rhenum et Albim exterminatos esse, quas terras omni tempore tenuerunt, sed Germaniae liberae, quae hac aetate *κατ' ἐξοχήν* Germania dici solet, pro Rheno Albim terminum factum esse. Itaque Augustus quamquam *Gallias et Hispanias provincias* Germaniae opponens hanc neque Galliarum provinciarum terminis comprehendere voluit neque ipsam provinciam appellare, hac vacillatione tacite confessus eventum cladis Varianae, nihilominus Germaniam inter Rhenum et Albim imperii Romani esse ait. Id ipsum quamquam praeterea non traditur (nam diversum est quod ait Strabo 7, 1, 4 p. 191 Augustum duces Romanos Albim transgredi vetuisse), convenit iis quae de Vari administratione Germaniae traduntur — cf. Cassiodor. chr. ad a. 746: *inter Albim et Rhenum Germani omnes Ti. Neroni dediti* et Vell. 2, 97: (Tiberius) *sic perdomuit* (Germaniam) *ut in formam paene stipendiariae redigeret provinciae* — universaeque expeditionum Augusti Germanicarum rationi et decursui; sed latius haec explicanda sunt quam ut hac pagella capiantur. — Illyrici et Macedoniae fines Augustus ita protulit, ut novae provinciae ibi fierent Illyricum inferius sive Pannonia et Moesia. — In Asia minore Augustus non tam Bithyniam auxit quam regno Amyntae in provinciae formam redacto Galatiam provinciam constituit, cui deinde Paphlagoniam adiecit (Marquardt *Staatsverwaltung* 1 p. 359). Homonadenses in confiniis Pamphyliae et Ciliciae

per P. Sulpicium Quirinium domitos, qua de expeditione dicetur in appendice de titulo Quirinii Tiburtino, sed iam antea Romanis quodammodo parentes hoc loco Augustum respexisse non crediderim. — De Syriae finibus vide quae diximus p. 106 de expeditione Arabica. — Africae fines rettulit magis quam protulit Augustus divisione facta a. 729 cum rege Iuba; sed eo principe complures proconsules in Africa felici eventu pugnarunt. L. Sempronius Atratinus qui ex ea triumphavit a. 733 (v. C. I. L. I. p. 461. 478); L. Cornelius Balbus, qui item ex ea triumphavit a. 735 (v. quae dicentur in app. de titulo Tiburtino); L. Passienus Rufus consul a. 750 (supra p. 18); Cossus Cornelius Lentulus consul a. 753 (Vell. 2, 116; Florus 2, 31 [4, 12, 40] et inde Orosius 6, 21, 18). Recte igitur procedunt quae de se hoc loco praedicat imperator.

LAT. 5, 10 11 Gallias et Hispa|niás próviciá[*s* (*sic*) *et Germaniam qua inclu*]dit
12 óceanus a Gádibus ad óstí|um Albis flúm[*inis pacavi*].

GR. 14, 4 5 *Γαλατίας καὶ Ἰσ|πανίας, ὁμοίως δὲ καὶ Γερμανίαν καθὼς*
6 7 *Ὠκεα|νὸς περικλείει ἀπ[ὸ] Γαδε[ίρ]ων μέχρι στόματος | Ἄλ-*
βιος ποταμο[ῦ ἐν] εἰρήνη (sic) *κατέστησα.*

Quod in priore editione posueram: *provicia[s ab ea parte, qua eas alluí]t oceanus. . . . [pacavi]*, aliter et melius omnino formarat Hirschfeldius (comm. Mommsenian. p. 434): *provincia[s atque totam oram quam ambi]t oceanus, . . . [pacavi]*, Graeca versio iam expleta ita confirmavit, ut Germaniae mentionem adiceret. Bergkius magnopere a vero aberravit emendans in Latinis: *provincias penitus pacavi, et ultimus est oceanus a Gadibus ad ostium Albis fluminis domitus*, item in Graecis imperfecte tum notis ex ΧΑΘΩΣ, ut tum legebatur pro ΚΑΘΩΣ, efficiens [*ἕσ*]*χατος Ὠκεανός*.

Postquam de finibus auctis dixit, pergit princeps exponere de regionibus intra imperium comprehensis sua opera pacatis, incipiens a Galliis Hispaniisque et Germania, quam supra iam diximus hinc maxime apparere ad Albim usque ab Augusto pro parte imperii habitam esse. Hispaniarum commemoratio pertinet potissimum ad bellum Cantabricum. In Galliis cogitavit inter alias de expeditionibus C. Carrinatis adversus Morinos, ex qua triumphatum est a. 726 Iul. 14, et M. Messallae adversus Aquitanos, ex qua item triumphatum est a. 727 Sept. 25. Germanicas Augusti expeditiones non opus est hoc loco enumerare.

LAT. 5, 12 13 [*Alpes a re*]gióne eá, quae proxima est Ha|driánó marí, [*ad Tus-*
14 *cum pacari fec*]i nulli gentí bello per iniúriam | inláto. §

GR. 14, 7 8 *Ἄλπης* (*sic*) *ἀπὸ | κλίματος τοῦ πλησίον Εἰονίου κόλπου μέχρι*
9 *Τυρ|ρηνικῆς θαλάσσης εἰρηνεύεσθαι πεπόηκα*, [§] *οὐδενὶ*
10 | *ἔθνει ἀδίκως ἐπενεχθέντος πολέμου.* [§]

Caput hoc qui ante me tractarunt male confuderunt cum praecedente, in ΑΛΠΗΣ latere putantes Albim fluvium. Ad Graeca, quae antea pleraque latebant, iam

patefacta in Latinis quaedam mutavi. V. 13 tenendum est non plus XVIII litteras deficere inter *mari* et *nulli* neque admitti posse quod in promptu est *ut pacarentur*.

De rebus praeter Suetonium Aug. 21: *nec ulli genti sine iustis et necessariis causis bellum intulit* conferenda praesertim inscriptio 'tropaei Alpium', ut ait Plinius, positi a. 747/8 in loco inde dicto *Tropaea Augusti* (*Τρόπαια Σεβαστοῦ* Ptolem. 3, 1, 2), hodie Torbia prope Monacum, nobis autem praeter archetypi frustula quaedam servata integra apud Plinium h. n. 3, 20, 136: *imp. Caesari divi f. Augusto pontifici maxumo imp. XIIII tribunic. potestate XVII s. p. q. R., quod eius ductu auspiciisque gentes Alpinae omnes quae a mari supero ad inferum pertinebant sub imperium p. R. sunt redactae*, quae gentes numero XLVI deinceps enumerantur. Addit Plinius: *non sunt adiectae Cottianae civitates XV* (sic libri omnes, etiam Leid.), *quae non fuerant hostiles* — scilicet hae a. 745/6 seorsum posuerunt arcum alterum Segusione adhuc extantem, quamquam in eo enumerantur civitates non XV, sed XIII, et in his sex quae redeunt in Tropaeis. Tropaeorum titulum iam reperies in C. I. L. V, 7817, arcus Segusionensis ibidem n. 7231 adiecto ad utrumque commentario. Domitae autem sunt gentes Alpinae expeditionibus compluribus: Varronis Murenae in Salassos a. u. c. 729 (Strab. 4, 6, 7 p. 205; Dio 53, 25; Liv. ep. 135; Cassiodor. ad a. 729; Suet. Aug. 21), propter quam arcus Augusto in Alpibus dedicatus est, fortasse is ipse qui adhuc, titulo tamen destitutus cernitur Augustae Praetoriae (v. ad C. V, 7817); P. Silii in Camunnos et Venostes a. 738 (Dio 54, 20); Tiberii Drusique in Raetos Vindelicosque a. 739 (Suet. Aug. 21 cet.); quarta a. 740 in Ligures eos, qui degebant in Alpibus maritimis (Dio 54, 24). Bella igitur haec cum continuarentur per annos complures, tropaeum propter devictas gentes Alpines omnes (cf. Vell. 2, 90: *Alpes feris multisque nationibus celebres perdomitae*) statutum est anno demum 747/8, quo bella finem videntur accepisse provincia Raetia constituta.

LAT. 5, 11 15 Cla[*ssis mea per Oceanum*] ab óstio Rhéni ad sólis orientis regionem
16 usque ad fi[*nes Cimbrorum*]m navigavit, [§] quó neque terra neque
17 | mari quisquam Romanus ante id tempus adít, § Cimbrique et
18 Charydes | et Semnones et eiusdem tractús alii Germánórum popu[*l*]i per legátós amici|tiam meam et populi Románi petierunt. §

GR. 14, 10 11 *Στόλος* | *ἐμὸς διὰ Ὠκεανοῦ ἀπὸ στόματος Ῥήνου ὡς πρὸς*
12 13 | *ἀνατολὰς μέχρι ἐθνους Κίμβρων διέπλευσεν, οὗ* (*sic*) *οὔ*|*τε*
14 *κατὰ γῆν οὔτε κατὰ θάλασσαν Ῥωμαίων τις πρὸ* | *τούτου τοῦ*
15 *χρόνου προσῆλθεν καὶ Κίμβροι καὶ Χάλυ*|*βες* (sic) *καὶ Σέμνο-*
16 *νες ἄλλα τε πολλὰ ἔθνη Γερμανῶν* | *διὰ πρεσβειῶν τὴν ἐμὴν*
17 *φιλίαν καὶ τὴν δήμου Ῥω*|*μαίων ἠτήσαντο* (sic).

Inter *usque ad* et *navigavit* quid supplendum sit, nunc demum Graeca docuerunt adsumptis reliquiis Latinis ADII (deficiunt litt. x); proposueramus ego *ad*

[*Cimbrorum promunturia*]*m*, sed ipse improbans propter spatii angustias, *ad* [*montem Sevone*]*m* (cf. Plinius 4, 13, 96) Hauptius, *ad* [*sinum Codanu*]*m* Bergkius, cum de re ne tum quidem dubitari posset.

Pertinent haec ad expeditionem Germanicam Ti. Caesaris a. u. c. 758. Vell. 2, 106: *classis, quae oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta exercitui Caesarique se iunxit.* Plinius h. n. 2, 67, 167: *septentrionalis oceanus maiore ex parte navigatus est auspiciis divi Augusti, Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promunturium et inde immenso mari prospecto aut fama cognito Scythicam ad plagam et umore nimio rigentia.* Cimbrorum ad Augustum legationem tangit etiam Strabo 7. 2. 1 p. 293: (*Κίμβροι*) *ἔπεμψαν τῷ Σεβαστῷ δῶρον τὸν ἱερώτατον παρ' αὐτοῖς λέβητα, αἰτούμενοι φιλίαν καὶ ἀμνηστίαν τῶν ὑπηργμένων· τυχόντες δὲ ὧν ἠξίουν ἀπῆραν.* Eos degentes secundum Ptolemaeum (2, 11, 12) in extrema Iutlandia errore Strabo (7, 1, 3 p. 291; 7, 2, 4 p. 294) inter Rhenum et Albim collocat (cf. Zeuss p. 145), deceptus opinor eo, quod quo tempore Cimbri amicitiam populi Romani petierunt, exercitus Romanus Albim transgressus non est; unde populum hunc sicut alios eodem tempore ad amicitiam p. R. adiunctos credidit esse a sinistra fluvii Albis. At et tetigit oram magis septentrionalem in ea expeditione classis Romana et ex ipso monumento Ancyrano colligitur fuisse Cimbros trans Albim; nam populorum intra fines constitutorum legationes nullo loco ibi memorantur nec memorari debuerunt, finiri autem imperium Romanum ea aetate Albi fluvio modo (p. 103) vidimus. — Charudes (quos quadratarius Ancyranus Charydes magis esse voluit, interpres adeo Graecae fabulationis male memor in Chalybes transformavit) Ptolemaeus (2, 11, 12) collocat in eadem paeninsula sub Cimbris; praeterea non nominantur, nisi quod inter populos exercitus Ariovisti occurrunt Harudes (Caes. b. Gall. 1. 31. 37. 51; cf. Zeuss p. 152.) — Semnones notum est fuisse inter Albim et Viadrum (cf. Zeuss p. 130 sq.).

LAT. 5, 18 19 Meo iussú et auspicio ducti sunt | [*duo*] exercitús eódem fere
20 tempore in Aethiopiam et in Ar[*a*]biam, quae appel[*latur*] eudae-
21 món, [*maxim*]aeque hos[*t*]ium gentis utr[*ius*]que cop[*iae*] | caesae
sunt in acie et [*c*]om[*plur*]a oppida capta. In Aethiopiam usque
22 ad oppi|dum Nabata pervent[*um*] est, cui proxima est Meroé. In
23 Arabiam usque | in fínes Sabaeorum pro[*cess*]it exerc[*it*]us ad
oppidum Mariba. § |

GR. 14, 17 18 *Ἐμῇ ἐπιταγῇ καὶ οἰωνοῖς αἰσί|οις δύο στρατεύματα ἐπέβη*
19 *Αἰθιοπίᾳ καὶ Ἀραβίᾳ | τῇ εὐδαίμονι καλουμένῃ μεγάλας*
20 *τε τῶν πο|λεμίων δυνάμεις κατέκοψεν ἐν παρατάξει καὶ |*
21 22 *πλείστας πόλεις δοριαλώτους ἔλαβεν καὶ προ|έβη ἐν Αἰθιοπίᾳ*
23 *μέχρι πόλεως Ναβάιης, ἥτις | ἐστὶν ἔγγιστα Μερόη* (*sic*),
24 *ἐν Ἀραβίᾳ δὲ μέχρι πόλε|ως Μαρίβας.*

Quae in editione priore proposueram adiutus a Bormanno, cui optimae tum spei iuveni, iam egregio operum et laborum socio Meroen debebam, omnia fere et Latina lectio expleta confirmavit et Graeca versio. V. 20 post *eudaemon*, ubi iam apparet esse fuisseve *maximaeque hostium*, ego proposueram *plurimaeque hominum* non omnino recte, sed minus male quam quod postea Bergkius recepit *procul ab Aegypto sitam*. — Lat. 21 *complura* debetur Bormanno.

Dicemus primum de expeditione Arabica, de qua disseruit Henr. Krüger (*der Feldzug des Aelius Gallus*. Wismari 1862 p. 49). Ea quo tempore facta sit, pendet maxime a serie praefectorum Aegypti, qui per hos annos fuerunt. Et constat Cn. Cornelium Gallum primum praefectum rexisse Aegyptum ab a. u. c. 724, maiestatis postulatum esse et manus sibi intulisse a. 728; quo anno provincia abierit, non traditur neque quicquam obstat, quominus anno certe 727 successorem acceperit. — Cornelio statim successisse C. Petronium cum plerique statuant, mihi aliter videtur. Nam ex ordine, quo tres praefectos Cornelium Petronium Aelium nominat Strabo 17, 1, 53 p. 819, nequaquam id efficitur; tres enim expeditiones cum auctor commemoret, ut demonstret tam ipsos Aegyptios imbelles esse quam accolas, eo ordine, non temporis, enumerans primum seditiones ponit in ipsa Aegypto a Cornelio et Petronio sedatas, deinde Aelii in Arabiam expeditionem. Vera autem testimonia eo ducunt Cornelio Gallo successisse C. Aelium Gallum [1]), eum in Arabia moratum esse per posteriorem partem anni 729 prioremque a. 730, aestate vel autumno eius anni Gallo successisse C. Petronium. Videamus de singulis. Dio 53, 29 expeditionem Arabicam refert ad a. 730, quo finem habuit. Duravit annum fere vel paullo plus, ut enarrat Strabo, confirmat Dio l. c.: *ἐν ᾧ δὲ ταῦτα ἐγίγνετο, καὶ ἄλλη τις στρατεία καινὴ ἀρχήν τε ἅμα καὶ τέλος ἔσχεν.* Apte etiam Horatius in libro primo carminum edito a. 730 duobus locis (1, 29. 35) meminit expeditionis Arabicae non factae, sed futurae eamque componit cum expeditione item futura Britannica, cuius mentionem inicit Dio 53, 22 ad a. 727/8. Iosephus denique (ant. Iud. 15, 9, 1. 2. 3) sic scribit, Herodis anno regni tertio decimo (4 Apr. 729 — 3 Apr. 730) famem fuisse in Iudaea eamque continuatam esse anno insequenti (4 Apr. 730 — 3 Apr. 731), regem autem ei subvenisse frumento empto ab amico suo C. Petronio nuper tum facto praefecto Aegypti (*ἔπεμπε δ' ἐπ' Αἰγύπτου τὰ χρήματα, Πετρωνίου τὴν ἐπαρχίαν ἀπὸ Καίσαρος εἰληφότος*); circa ea autem tempora (*περὶ τὸν χρόνον ἐκεῖνον*) auxilia ab Herode missa esse ad Aelium Gallum propter expeditionem Arabicam. Narratio haec bipertita cum priore parte complectatur res biennii, tantum abest, ut Petronii praefecturam ad a. 729/730 retrahat, ut longe melius conveniat hiemi sequenti; nam frumentum ex Aegypto ad Herodem missum esse post alteram demum messem infelicem, id est post aesta-

[1]) Cf. titulus Atticus C. I. A. III, 577: *ὁ δῆμος Γάιον Αἴλιον Γάλλον ἀρετῆς ἕνεκα. Πραξιτέλης ἐποίησε.*

tem a. 730, satis apparet eoque ipso tempore amicum Herodi Petronium in Aegyptum venisse Iosephus non dicit, sed innuit. Redit autem scriptor post narrationem de fame bienni absolutam ad res gestas anni prioris missaque aestate a. 729 ad Gallum subsidia. — Quare cum testes omnes consentiant, explodituv Kruegeri opinatio per se parum probabilis Aelium Gallum in Arabiam exercitum duxisse a. 730 praefecto Aegypti C. Petronio, cui postea successerit in praefectura ea (nam praefectus dicitur ipsi Straboni amico et comiti 2, 5, 12 p. 118. 17, 1, 29 p. 806), neque ita expeditionem illam eum suscepisse in ipsa praefectura. At ipso expeditionis tempore praefectum Aegypti eum fuisse significant Strabo (16, 4, 22: *τοῦτον* — Aelium Gallum — *δ' ἔπεμψεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ διαπειρασόμενον τῶν ἐθνῶν καὶ τῶν τόπων τούτων τε* — Arabiae — *καὶ τῶν Αἰθιοπικῶν*; nam ut demus alteram expeditionem perfici potuisse per ducem praefecto Aegypti subditum, utramque perficere iuberi non poterat nisi praefectus) et Plinius (6, 160 cf. 181: *Aelius Gallus ex equestri ordine*), adfirmat Dio 53, 29[1]).

De expeditionis Arabicae termino praeter commentarium conferendi Plinius h. n. 6, 28, 159: *Calingii quorum Mariva* (ita libri) *oppidum significat dominos omnium* et § 160: *Gallus oppida diruit . . . . et supra dictam Maribam* (ita libri) *circuitu VI mil. p., item Caripetam, quo longissime processit*, et Strabo 16, 4, 24 p. 782: *εἰς πόλιν Μαρσυαβαὶ* (ita libri) *προῆλθεν* (Gallus) *ἔθνους τῶν Ῥαμμανιτῶν, οἳ ἦσαν ὑπὸ Ἱλασάρῳ*, et Dio 53, 29: *μέχρι τῶν Ἀθλούλων καλουμένων χωρίον τινὸς ἐπιφανοῦς ἐχώρησαν*, quod non multum differt, nam secundum Strabonem 16, 4, 24 p. 782, qui in his ex ipso Gallo pendet, proximum quod ante Maribam Gallus expugnavit oppidum

[1]) Schiller *röm. Kaiserzeit* 1 p. 198 Kruegeri opinationem resuscitans Strabonem ait errare vel potius mentiri (*in pragmatisirender Tendenz!*) contendentem propter deductam in Arabiam exercitus partem in Aegyptum irrupisse Aethiopes; Dionem item errare, ubi Aelium Gallum scribit praefectum Aegypti in Arabiam profectum esse. Praefectura Aegypti Gallum caruisse recte putat significari a Plinio 6, 28, 160, quoniam eum scribit fuisse *ex equestri ordine* neque addit quod alio loco (6, 29, 181; cf. 5, 11, 12) adscripsit praefecti Aegypti vocabulum; profecto si hoc voluit Plinius, diligenter cavit, ne intellegeretur. Denique cum expeditiones hae duae teste Strabone ita continuae fuerint, ut altera alteram subsecuta sit et quasi ex ea nata, mera cavillatio est quod id ait pugnare cum eo quod dicit Augustus evenisse eas *eodem fere tempore*; cavillatio item quod praeponendam ait Aethiopicam utpote tempore priorem, cum appareat Augustum haec omnia disposuisse ad ordinem locorum. Strabo autem loco supra citato cum ait Caesarem misisse Gallum *διαπειρασόμενον τῶν ἐθνῶν καὶ τῶν τόπων τούτων* (Arabiae) *τε καὶ τῶν Αἰθιοπικῶν*, nonne significat post Arabiam ei eundum fuisse in Aethiopiam? Omnia haec parum prudenter excogitata sunt, imperatorem iussisse expeditiones duas eodem tempore suscipi et ita tamquam consulto Aegyptum universo praesidio nudari, exercitum trium legionum et cohortium alarumque duodecim (Strabo 17, 1, 12 p. 797), id est hominum circiter viginti milium, eodem tempore dena fere millia in Arabiam et in Aethiopiam misisse, praefectum castrorum classem fabricare potuisse octoginta navium, et quae eius generis alia sunt.

Ἀθρουλα fuit. Quod alibi, ubi narratio non pendet a Gallo, nominatur oppidum Sabaeorum primarium dictum Straboni *Mariaba* (16, 4, 2 p. 768 et ex Strabone Stephanus p. 433 Mein.) vel *Meriaba* (16, 4, 19 p. 778), Plinio 6, 28, 155 *Mareliabata* (sic libri), Ptolemaeo 6, 7, 37 *Mariama*, quamquam Plinius certe, fortasse Strabo quoque ponunt tamquam a Mariba Galli diversum, magis est ut idem sit. Extat adhuc sub eodem nomine proxime ab urbe Sanâ, dictum in titulis Himjariticis *M(a)rj(a)b*, hodie *Ma'rib* (Osiander *Zeitschrift der deutschen morgenländ. Gesellschaft* vol. 10 p. 69; vol. 20 p. 266), ut Caripeta quoque a Plinio una cum Mariba nominata adhuc superest diei itinere a Mariba ad occidentem dicta Châribah vel plurali Châribath (Osiander l. c. 20, 275). Quodsi de oppido Mariba consensus est inter Augustum et reliquos auctores, dissensus qui videtur quod adicit Augustus pervenisse exercitum *usque in fines Sabaeorum*, cum Gallus pervenerit secundum Strabonem ad Rhammanitas, secundum Plinium ad Calingios, eo omnino redit, quod Augustus pariter atque aequalis Horatius (carm. 1, 29, 2: *acrem militiam paras non ante devictis Sabaeis regibus*) itemque Graeci Agatharchides Artemidorus (Strabo 16, 4. 19 p. 778) Diodorus ipsique tituli Himjaritici (Osiander l. c. 10, 67) meridiem Arabiae Sabaeis tribuunt, geographi autem gentium minorum regno illo comprehensarum nomina ponere maluerunt.

Expeditionem Aethiopicam enarrant Strabo 17, 1, 54 p. 820, Dio 54, 5, Plinius h. n. 6, 29, 181. 182. Imminutis propter expeditionem Arabicam Romanorum in Aegypto praesidiis Candace regina Aethiopum incursionem fecit in Thebaidem, Syenen et Elephantinen et Philas expugnavit victis cohortibus tribus ibi in praesidiis agentibus, statuas Caesaris deiectas avexit. Contra hostes profectus qui praeerat Aegypto C. (sic Dio 54, 26; *P.* apud Plinium 6, 29, 181) Petronius cum hominum milibus minus x, equitibus octingentis primum reiecit eos Pselchin, cumque de pace frustra actum esset, acie eos vicit quique non interfecti essent, omnes fere cum ducibus cepit ipsamque Pselchin expugnavit. Inde pervenit per Premnin aliaque oppida a Plinio recensita Napata, quae regia erat Candaces, eaque item cepit et diruit captivosque et statuas recepit; unde domum rediit praesidio relicto Premni. Ex captivis mille misit ad Augustum tum nuper reversum ab expeditione Cantabrica; reversus autem ex ea est a. 730 incipiente. Redierunt tamen mox Aethiopes ad Premnin oppugnandam, sed cum iis celeriter obiceret se Petronius, pace denuo confirmata legati Aethiopum convenerunt Augustum Sami, ubi degebat hieme a. 733/4. Ex supra dictis cum appareat bellum coepisse tum cum Gallus in Arabia versabatur, id est a. 729/730, probabile est Candacen in Aegyptum ingressam esse per a. 730, Petronium contra eam bis minimum, fortasse ter expeditionem fecisse per annos fortasse 730, certo 731 et 732. Recte igitur Augustus utramque expeditionem dicere potuit *eodem fere tempore* susceptam esse. Recte etiam Dio, quem apparet gesta contra Aethiopes coniuncta narra-

visse, eam narrationem ad a. 732 adscripsit, quo expeditio finem habuit[1]). — Cum narratione illa omnino conveniunt commentarii Augusti neque quicquam addunt, quod sit alicuius momenti. Terminus expeditionis Aethiopicae hic quoque est oppidum *Nabata*, dictum *Napata* apud Strabonem Ptolemaeum, *Nepata* apud Plinium, *Ταπάτη* apud Dionem, *Ναπάται* apud Stephanum Byzantium: quo pervenisse exercitum Romanum et ita prope accessisse ad inclitam urbem Meroen imperator gloriatur. Similiter Propertius 5 [4], 6, 78 victorias Augusti canens cum Sugambrorum mentione (v. ad 6, 2) signisque a Parthis restitutis *Cephean Meroen fuscaque regna* coniungit.

CAPVT XXVII

LAT. 5, 24 Aegyptum imperio populi [*Ro*]mani adieci. §

GR. 15, 1 *Αἴγυπτον δήμου Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ προσέθηκα* |.

Aegyptus adiecta est imperio Romano a. 724.

LAT. 5, 24 25 Armeniam maiorem inter|fecto rége eius Artaxe § c[*u*]m possem
26 facere provinciam, málui maiórum | nostrórum exemplo regn[*u*]m
27 id Tigrani regis Artavasdis filio, nepoti au|tem Tigránis regis,
28 per T[*i. Ne*]ronem trad[*er*]e, qui tum mihi priv[*ig*]nus erat. | Et
eandem gentem posteà d[*esc*]iscentem et rebellantem domit[*a*]m
29 per Gaium | filium meum regi Ario[*barz*]ani regis Medorum
30 Artaba[*zi*] filio *regen*|dam tradidi [§] et post e[*ius*] mortem filio
31 eius Artavasdi. [§] Quo [*inte*]rfecto [*Tigra*]|ne (*scr.* Tigranem), qui
erat ex régió genere Armeniorum oriundus, in id re[*gnum*] misi. §

GR. 15, 2 3 | *Ἀρμενίαν τὴν μ*[*εί*]*ζονα ἀναιρεθέντος τοῦ βασιλέ*|*ως* (nomen
4 deest) *δυνάμενος ἐπαρχείαν ποῆσαι μᾶλλον ἐβου*|*λήθην*
5 *κατὰ τὰ πάτρια ἡμῶν ἔθη βασιλείαν Τιγρά*|*νη Ἀρταουάσδου*
6 *υἱῷ, υἱωνῷ δὲ Τιγράνου βασι*|*λέως δ*[*ο*]*ὖν*[*α*]*ι διὰ Τιβερίου*
7 *Νέρωνος, ὃς τότ' ἐμοῦ* | *πρόγονος ἦν· καὶ τὸ αὐτὸ ἔθνος*
8 *ἀφιστάμενον καὶ* | *ἀναπολεμοῦν δαμασθὲν ὑπὸ Γαΐου τοῦ*
9 *υἱοῦ* | *μου βασιλεῖ Ἀριοβαρζάνει, βασιλέως Μήδων Ἀρτα-*
10 11 *|βάζου υἱῷ, παρέδωκα καὶ μετὰ τὸν ἐκείνου θάνα*|*τον τῷ υἱῷ*
12 *αὐτοῦ Ἀρταουάσδῃ* (sic)· *οὗ ἀναιρεθέντος* | *Τιγράνην, ὃς ἦν*
13 *ἐκ γένους Ἀρμενίου βασιλικοῦ, εἰς* | *τὴν βασιλείαν ἔπεμψα.* §

Res Armeniorum et Medorum imperante Augusto quam arte nexae fuerint, ipsa verba supra relata demonstrant; quam ob rem quae de his adnotanda

[1]) P. Rubrium Barbarum, quem propter inscriptionem obelisci Alexandrini (Eph. epigr. IV p. 27) male lectam antea statueramus praefecturam Aegypti suscepisse ante d. 29. Aug. 732, iam lectio emendata ab Augusto C. Merriam (*the Greek and Latin inscriptions on the obelisk crab in the Metropolitan Museum.* New York 1883) ostendit a. demum 741/2 provinciam administravisse.

fuerunt coniunximus. Armenia intellegitur maior, Media autem Atropatene inter Armeniam Parthorumque regnum interposita, de qua Strabo 11, 13, 1 p. 523 postquam narravit Atropaten hanc Medici regni provinciam a Macedonibus defendisse et regem propterea appellatum proprium inde regnum effecisse (*βασιλεὺς ἀναγορευθεὶς ἰδίᾳ συνέταξε καθ' αὑτὴν τὴν χώραν ταύτην*), ita pergit: *καὶ ἡ διαδοχὴ σώζεται μέχρι νῦν ἐξ ἐκείνου, πρός τε τοὺς Ἀρμενίων βασιλέας ποιησαμένων ἐπιγαμίας τῶν ὕστερον καὶ Σύρων καὶ μετὰ ταῦτα Παρθυαίων.* A. 718 cum Antonius exercitum duceret in Parthos socio Artavasde[1]) rege Armeniorum, eiusdem nominis Medorum rex filius Ariobarzanis (vide infra) Armeniis infensus societatem fecit cum Parthis bellumque eo anno gestum est maxime in ipsa Atropatene (Drumann 1, 453). Regresso inde post magnas clades Antonio ruptoque re, non nomine foedere cum Armeniis, qui Romanos socios prodidissent et deseruissent, a. 719 Medorum rex Phraati propter iniustam praedae divisionem succensens timensque praeterea, ne regno ab eo privaretur, ad Antonii partes transiit (Plutarchus Ant. 52; Dio 49, 33) et bellum suscepit contra Parthos (Dio 49, 44). Antonius autem proditionem illam Armeniorum ulturus Artaxata profectus a. 720 regis ipsius specie amicitiae in castra evocati potitus est, quem postea a. 721 in Aegypto Cleopatra interfecit (Drumann 1, 489), regnumque destinavit filio suo ex Cleopatra Alexandro, cui Medorum regis filia Iotape desponsa est (Dio 49, 40. 44; infra p. 111). Eodem tempore adiuvantibus sine dubio Antonio et Artavasde Medo in Parthis seditio orta est coepitque ibi Tiridates de regno certare cum Phraate. Artavasdes alter rex Armeniorum Tigranis filius[2]) Antonii, ut modo dixi, in bello Parthico socius, mox autem ab eo captus et interfectus filios habuit Artaxen (sic appellatur ab Augusto in indice hoc loco nunc demum recte lecto itemque apud Dionem 49, 39. 40. 44. 51, 16, errore *Ἀρτάζης* 54, 9; contra apud Velleium 2, 94 est *Artauzdes*, apud Tacitum ann. 2, 3 et Iosephum ant. 15, 4, 3 *Artaxias*) natu maximum (Iosephus l. c.; Dio l. c.) et Tigranem; tertium filium ei fuisse praeterea ignotum colligitur

[1]) Ad nominis formam quod attinet, rex Mediae 6, 11 Latine appellatur *Artavazdes*, Graece *Ἀρταβάζης*, 6, 1 (ubi Latina deficiunt) Graece *Ἀρταο ....ης*, 5, 29 Latine *Artaba[zes]* (reiecit id Bergkius p. 103 admissum a me in ed. priore propter lectionem Perroti ARTAR{, at vere in lapide est ARTABA{), Graece *Ἀρταβάζης*; nepos cognominis 5, 30 et rex Armeniorum item cognominis 5, 26 Latine *Artavasdes*, Graece *Ἀρταουάσδης*. Inconstantia in nomine illo per se facile explicanda (nam aliunde quoque constat huius vocabuli quintam litteram in Occidenti promiscue redditam esse per *ου, υ, β*, septimam item promiscue per *ζδ, σδ, ζ*) nihilominus sic ut hic invenitur mira ad fabrum vix redit, magis ad ipsum principem.

[2]) Patrem enuntiant praeter Augustum h. l. Iosephus ant. 15, 4, 3; Strabo 11, 14, 10 p. 530; Dio 40, 16. Nummi ex argento et aere, quos composuit Victor Langlois (*numismatique de l'Arménie*. Parisiis 1859. p. 34), ab una parte caput regis ostendentes tectum tiara, ab altera inscripti *βασιλέως βασιλέων Ἀρταουάσδου* huic regi tribui solent, recte ut videtur.

ex Dione 51, 16, modo is ne errarit. Filii cum patris in captivitate comites facti essent, Artaxen fuga elapsum et domum reversum (Iosephus 15, 4, 3) Armenii regem sibi constituerunt. Contra eum cum Medis Antonii tum partes amplexis primum res prospere cessisset parte Armeniae occupata, item Tiridates expulisset adversarium Phraaten, mox ruente Antonii potentia hi quoque socii eius victi sunt et Phraates adiuvantibus Scythis restitutus in regnum paternum. Artaxes quoque in partem regni amissam. Media vero in potestatem hostium venit et ipse rex captus est (Dio 49, 44; Plutarch. Ant. 53). Sed rerum potitus Augustus cum Antonii adversariis Phraate Partho et Artaxe Armenio tantum aberat ut in gratiam rediret, ut adversariorum partes magis susciperet. Et Tiridatem quidem Parthorum regem vel potius regnum eorum adfectantem tum confugisse ad Caesarem infra (ad 5, 54) videbimus. Artaxi Armeniae regi Augustus cum succenseret propter cives Romanos in Armenia crudeliter interfectos, fratres eius Alexandreae repertos petenti ei non reddidit, sed Romam secum duxit (Dio l. c.) neque tamen eo tempore expeditionem contra eum suscepit. Sed Artavasdi Medorum regi, quem liberatum nescio quo modo ex captivitate supplicem ad se confugisse Augustus scribit infra 6, 1, scilicet Antonio devicto a. 723 vel 724 (Dio 51, 16: *τὴν μὲν γαρ Ἰωτάπην τῷ Μήδῳ καταφυγόντι μετὰ τὴν ἥτταν πρὸς αὐτὸν ἑκὼν ἀπέδωκε*) quique sine dubio rex Medorum est nominatus 5, 53 inter reges, qui per legatos Romanorum amicitiam petiissent, non solum filiam Iotapen reddidit (Dio l. c.), sed eum collocavit in Armenia minore, sine dubio ut Artaxi, qui ipsum ex Media expulerat, in latere positus insidiaretur, ut similiter Tiridatem tum in Syria degere iussit. Nam quod Dio refert 54, 9 a. 734 Augustum Archelao regi Cappadociae dedisse Armeniam minorem, *ὅτι ὁ Μῆδος ὁ πρὶν αὐτῆς βασιλεύων ἐτεθνήκει*, eo ducit eam regionem c. a. 724 ab Augusto Artavasdi concessam esse. A. 734 vel paullo ante Artavasdem obiisse ex eodem loco intellegitur; obiit autem Romae annos natus undequadraginta teste titulo urbano C. I. L. VI, 1798 scripto in parva tabella marginibus exornatis, litteris autem elegantibus neque abhorrentibus ab aetate Augusta:



Id est [*Βασιλεὺς Ἀρταβάσδης ἔζησ*]*εν ἐνιαυτ*(*οὺς*) *λϑ'*. [*Rex*] *Artabasdes* [*fili*]*us regis Ariobarzanis* [*vixi*]*t annos xxxviiii*. Nam hunc ipsum intellegi[1]) inde confirmatur, quod Artavasdem eum de quo agitur filium fuisse Ariobarzanis Augustus hoc ipso loco declarat. — Artaxes Armeniae rex itemque Mediae nihilominus per aliquot annos, ut ait Tacitus (ann. 2, 3), *memoria patris Romanis infensus Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est.*

Anno demum 734 Augustus ut Orientis statum ordinaret ipse expeditionem in Syriam suscepit bellumque videtur Artaxi illaturus fuisse; sed antequam res ad arma veniret, is a propinquis interfectus est. Rem narrat Dio 54, 9 ad a. 734: *τῶν Ἀρμενίων τῶν ἑτέρων* (nempe Armeniae maioris) *τοῦ τε Ἀρτάξου κατηγορησάντων καὶ τὸν Τιγράνην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῇ Ῥώμῃ ὄντα μεταπεμψαμένων, μετέστειλε τὸν Τιβέριον, ὅπως τον μὲν ἐκβάλῃ τῆς βασιλείας, τὸν δὲ ἐς αὐτὴν ἀποκαταστήσῃ· καὶ ἐπράχϑη μὲν οὐδὲν τῆς παρασκευῆς αὐτοῦ ἄξιον· οἱ γὰρ Ἀρμένιοι τὸν Ἀρτάξην προαπέκτειναν*, id quod confirmat Tacitus l. c.: *occiso Artaxia per dolum propinquorum* (cf. Velleius 2, 94. 122; Iosephus 15, 4, 3; Suetonius Aug. 21; Eckhel 6, 98) confirmatque ipse Augustus hoc quem enarramus loco. Tigranem regem se fecisse maiorum exemplo Augustus scribit cogitans de Pompeio, qui a. 688 similiter avo huius Tigrani regnum restituerat suaque manu diadema imposuerat (Drumann 4, 440), pariter atque tum iussu Augusti Tiberius *regnum Armeniae Tigrani restituit ac pro tribunali diadema imposuit* (verba sunt Suetonii Tib. 9; cf. Velleius 2, 122). Cum autem quae quidem regna regem a principe acciperent, et ipsa imperio Romano comprehenderentur, Armenia ita in potestatem populi Romani venit vel potius rediit; utrumque et Velleius habet (2, 95: *redacta ea in potestatem populi Romani*; 2, 122: *Armenia recepta*) et nummi, saepenumero praedicantes *Armeniam captam*, aliquoties *receptam*[2]). — Nummus ad Tigranem hunc pertinere videtur aeneus caput ipsius habens cultu regio cum nomine ab altera parte ad Armenium stantem hastam arcumque tenentem adscripto *βασιλέως μεγάλου Τιγράνου φιλέλληνος* (Langlois *num. de l'Arménie* p. 37).

Una cum Armenia Media quoque tum in potestatem Romanorum venit; certe cum ex narratione supra relata appareat utrumque regnum pariter sub Artaxe fuisse, eo everso consentaneum est etiam Mediae arbitrium ad Augustum delatum esse. Quam ob rem recte huc referemus, quod apud rerum scriptores quos habemus praeteritum Augustus refert 6, 9 *Medos a se regem petiisse Ario-*

[1]) Errore in C. I. L. adnotatur alium esse Artavasdem monumenti Ancyrani, quippe qui in Armenia interfectus sit nec filius tantum regis fuerit, sed ipse rex. Illud pertinet ad Artavasdem alterum; *rex* autem sine dubio supplendum est 2 in. nomini praepositum tam in filio quam in patre.

[2]) Sic is de quo supra p. 13 adn. 1 diximus unicus musei Berolinensis, item Coheni n. 13, pariter atque in nummis supra p. 12 citatis cusis post devictum Antonium legitur *Asia recepta*.

barzanem regis Artavazdis filium, regis Ariobarzanis nepotem. Potuerunt utique Medi factionis Romanae, scilicet infensi Parthis eorumque clienti Artaxi, antea mortuo rege legitimo Artavasde, quem ad Augustum vidimus confugisse et Romae diem obiisse, filium eius pariter Romae degentem ab Augusto expetere; vere tamen eum regno paterno potitum esse per expeditionem Romanorum Armeniacam a. 734 probabile est.

Nec Tigrani, Tacitus ait (ann. 2, 3), *diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnumque.* Liberi sine dubio ii sunt quorum extant nummi inscripti ab una parte *βασιλεὺς βασιλέων Τιγράνης*, ab altera *Ἐρατὼ βασιλέως Τιγράνου αδελφή*[1]). Eos institutos esse a factione Parthica significat Dio (55, 9 cum supplemento sumpto ex Zonara 10, 35): *τὴν Ἀρμενίαν ἀλλοτριουμένην μετὰ τὸν τοῦ Τιγράνου θάνατον.* A factione Romana iis oppositum esse Artavasdem Tacitus l. c. ait, addens eum ab Augusto regnare iussum deiectum esse non sine clade Romanorum; quam ob causam Augustus in indice eum praeteriit. Genus eius cum auctores non significent[2]), non sine probabilitate aliqua coniecit Nipperdeius (ad Taciti ann. 2, 3) fratrem eum fuisse Artaxis et Tigranis filiorum Artavasdis, quoniam Dio 51, 16 scribit Augustum a. 724 Artaxi petenti fratres non reddidisse. Ita cum Armenia a Romanis descivisset, Augustus a. 748 Tiberium expeditionem eo suscipere iussit, sed is eo ire noluit et rerum administrationem deserens urbem reliquit (Velleius 2, 110: *sensit terrarum orbis discessum a custodia Neronem urbis; nam et Parthus desciscens a societate Romana adiecit Armeniae manum* cet.; Dio 55, 9 cum Zonara 10, 35). Ita factum est, ut per aliquot annos Parthi in Armenia dominarentur. A. 751 vel 752 teste Dione[3]) Augustus litteris a Phraatace rege Parthorum sibi missis hostili spiritu rescripsit, iubens eum Armenia excedere. Tigranes, auctor pergit, tum quidem legatos ad Augustum nullos misit, sed mox Artavasde (eo scilicet, quem deiectum a Parthis Tacitus ait) morbo absumpto per litteras petiit, ut ab eo regnum sibi permitteretur, quas litteras Augustus libenter accepit eumque iussit bono animo Gaium post eius adventum in Syria adire (*ὁ δὲ δὴ Τιγράνης εὐθὺς μὲν οὐκ ἐπρεσβεύσατο, τοῦ δὲ Ἀρταβάζου νόσῳ ὕστερον τελευτήσαντος δῶρά τε τῷ Αὐγούστῳ ὡς καὶ τοῦ ἀντιπάλου ὑπεξῃρημένου οἱ ἔπεμψε. τὸ τοῦ*

---

[1]) Langlois *num. de l'Armenie* p. 39. In nummo Pinkertoniano ibidem citato, post Pinkertonium autem adhuc nemini opinor viso quod esse dicitur *βασιλεὺς μέγας νέος Τιγράνης* ut verum esse potest, ita *μέγας νέος* male lectum esse pro *βασιλέων*.

[2]) Duorum regum Medorum eius nominis, quorum Augustus meminit, neuter pro hoc Armeniae rege haberi potest; nam avum praemortuum esse supra vidimus, nepos autem quamquam postea in Armenia regnavit, tum si ad id regnum vocatus esset, Gaius ipsi, non patri eius Ariobarzani Armeniae regnum tradidisset.

[3]) Leguntur haec in fragmento de leg. 39 (apud Bekkerum 2 p. 83 in nota, apud Dindorfium vol. 5 p. 237), ubi praecedunt excerpta ex 55, 6, sequuntur pertinentia ad 61, 2, propter verba a quibus incipit: *ὡς ἐπύθοντο οἱ βάρβαροι τὴν ἐπιστρατείαν τοῦ Γαίου* collocandum inter reliquias spectantes ad a. 751 vel 752.

βασιλέως ὄνομα ἐς τὴν ἐπιστολὴν μὴ ἐγγράψας καὶ τὴν βασιλείαν δῆθεν παρ' αὐτοῦ ἤτησε· τούτοις οὖν ὑπαχθεὶς καὶ τὸν πόλεμον ἅμα τῶν Πάρθων φοβηθεὶς τά τε δῶρα ἐδέξατο καὶ μετ' ἐλπίδων αὐτὸν χρηστῶν ἐς τὴν Συρίαν πρὸς τὸν Γάιον ἐλθεῖν ἐκέλευσε). Sed ante quam Gaius eo venit, Tigranes in proelio contra barbaros commisso interfectus est, Erato autem regno se abdicavit (Dio 55, 10a: *καίπερ τοῦ Τιγράνου ἐκ πολέμου τινὸς βαρβαρικοῦ φθαρέντος καὶ τῆς Ἐραιοῦς τὴν ἀρχὴν ἀφείσης*), id quod si non a Parthis ipsis, certe instigantibus iis factum est; nam postquam Tigranes Augusto se subiecit, consentaneum est Parthorum factionem eum adversariam habuisse. Spectant eo verba quibus Ovidius in artis amatoriae libro primo (v. 195) edito a. 752 Gaium adloquitur ducem destinatum expeditionis quae parabatur in Armeniam: *cum tibi sint fratres, fratres ulciscere laesos, cumque pater tibi sit, iura tuere patris: induit arma tibi genitor patriaeque tuusque; hostis ab invito regna parente rapit.* Parthi igitur a Romanis culpabantur in Armenia et patris ius et fratrum laesisse; ubi fratres videntur esse Tigranes IV et Erato, pater idem Tigranes, Phraataces insimulari illos regno privare velle et cum iis stirpem Tigranis loco paterno pellere. Utut est (nam id ipsum quod in mente habuit poeta, nobis non datum est adsequi), Augustus cum extraneo duci Armeniacam expeditionem permittere nollet (Zonaras 10, 26: *τῶν Ἀρμενίων δὲ νεωτερισάντων καὶ τῶν Πάρθων αὐτοῖς συνεργούντων ἀλγῶν ἐπὶ τούτοις ὁ Αὔγουστος ἠπόρει τί ἂν πράξῃ· οὔτε γὰρ αὐτὸς στρατεῦσαι οἷός τε ἦν διὰ γῆρας, ὅ τε Τιβέριος ... μετέστη ἤδη, ἄλλον δέ τινα πέμψαι τῶν δυνατῶν οὐκ ἐτόλμα*), coactus per aliquod tempus quiescere a. demum 753, cum Gaius filius vicesimum annum attigisset, eum in Syriam misit. Iam vero cum ante adventum eius et Artavasdes obiisset et Tigranes, Gaius, ut ait Augustus ipse, Armeniam regendam tradidit Ariobarzani regi Medorum regis Artavasdis filio ei de quo supra diximus. Consentiunt Tacitus ann. 2, 3: *C. Caesar ... Ariobarzanem origine Medum ob insignem corporis formam et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit* et in universum Dio 55, 10a: *οἱ Ἀρμένιοι .. Ἀριοβαρζάνει τινὶ Μήδῳ, ὅς ποτε μετὰ τοῦ Τιριδάτου πρὸς τοὺς Ῥωμαίους ἀφῖκτο παρεδίδοντο*, quamquam hunc apparet ignoravisse eum non 'Medum quendam' fuisse, sed Mediae regem, et vix verum tradidit de eius cum Tiridate ad Romanos adventu. Nam venisse ad Augustum eum consentaneum est cum patre Artavasde a. 724, non post quattuor fere annos cum Tiridate Partho; videturque hic error coniunctus esse cum altero Dionis fugam Tiridatis referente ad a. 724. Elegit autem Augustus eum potissimum non solum ob eas causas, quas Tacitus indicat, sed praeterea quod stirps regia Medorum cum Armenia tum videlicet extincta affinis erat (v. Strabonis verba supra p. 110 adlata collato loco Suetonii Aug. 48: *reges socios etiam inter ipsos necessitudinibus mutuis iunxit, promptissimus affinitatis cuiusque atque amicitiae conciliator et fautor*) et quod nuper Artaxes tam Armeniae quam Mediae imperitaverat. Ariobarzanem quod volentibus Arme-

niis Tacitus ait praefectum esse, pertinet ad factionem Romanam; Parthis qui favebant Armenii non solum eum non acceperunt, sed adeo bellum ei moverunt a. 755, in quo Artagira obsidens Gaius vulneratus paullo post (21 Febr. 757) ex eo vulnere obiit[1]). — Pergit Tacitus ann. 2, 4: *Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleraturi.* Dio quoque 55, 10: *τὴν Ἀρμενίαν*, ait. *ἐπεὶ μὲν ὁ Ἀριοβαρζάνης, ἀποθανόντος δὲ αὐτοῦ οὐ πολλῷ ὕστερον Ἀριαβάζης ὁ υἱὸς παρά τε τοῦ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν.* Ariobarzanes igitur paucis annis post 755 diem obiit successitque ei filius Artavasdes, ut Augustus quoque hoc loco scribit. Eius videtur esse nummus adhuc opinor unicus editus a Gardnero (*Numismatic chronicle* vol. 12 a. 1872 p. 9 tab. 1 n. 7), ostendens ab una parte caput Augusti laureatum ita fere, ut cernitur in denariis L. et C. Caesarum cusis anno fere 753, adscriptumque *θεοῦ Καίσαρος εὐεργέτου*, ab altera caput regis diadematum adscriptumque *βασιλέως μεγάλου Ἀρτανάζδου*, quamquam poterit item tribui Artavasdae ei qui cum Tigrane III certavit. Interfectum esse Artavasdem Ariobarzanis filium comperimus ex solo Augusti commentario, etsi idem Tacitus in mente habuit scribens Armenios stirpem Ariobarzanis non toleravisse. Ex eodem commentario discimus in eius locum Augustum substituisse Tigranem (IV). Eum cum ex

[1]) Huc spectare fastorum Ripatransonensium frustulum (C. I. L. I p. 472 = IX n. 5290 p. 472) Henzenus intellexit; supplementa tamen ab eo proposita longe recedunt ab horum fastorum ordinatione, qualem patefacit frustum alterum (supra p. 61); scilicet ponebantur ibi primum consules anni totius, deinde res eius anni memorabiles, tertio loco magistratus eius anni municipales. Crediderim equidem particulam hanc pertinere ad solum annum 757 et sic fere restituendam esse:

cos. sex. aelius catus c. sentius saturninus
suf. k. iul. c. clodius licinus
cn. sentius saturninus
uiiii k. mart. c. caesar AVG · F · DEC*essit in lycia*
*annum agens xxii*I · ROMAE · IVSTIT*ium indic*
tum est DONEC · OSSA · EIVS · IN · *m*ÆSOL*aeum in*
ferrentur V · EID · SEPT · BELLVM · CVM *hostibus*
p. r. gerens IN · ARMENIA · PERCVSS*us est dum*
*obsidet ar*TAGIRAM · ARM*eniae oppidum*
u k. iul. imp. caesar TI · *f* · D*rusum n. adoptavit*

Extremo versu, ubi TIED traditur, possunt etiam IIvirum nomina fuisse, quamquam adoptionem Tiberii filii duorumque nepotum a laterculo non afuisse verisimile. In universum conferendum est decretum Pisanorum (Orell. 643), in quo sic est: *C. Caesarem Augusti — filium divi nepotem post consulatum, quem ultra finis extremas populi Romani bellum gerens feliciter peregerat, bene gesta re publica, devicteis aut in fidem receptis bellicosissimis ac maximis gentibus, ipsum volneribus pro re publica exceptis in eo casu crudelibus fatis ereptum populo Romano* et post alia: *oportere ex ea die, qua eius decesus nuntiatus esset, usque ad eam diem, qua ossa relata atque condita iustaque eius manibus perfecta essent, cunctos veste mutata — convictibus sese apstinere* cet. Iustitium nullum indictum est Pisis propterea, quod eo tempore forte ibi magistratus non erant neque quisquam iure dicundo praecrat.

regio genere Armeniorum oriundum esse Augustus scribat, accuratius unde venerit ex iis intellegitur, quae de caede eius a. p. Chr. 36 patrata narrant Tacitus (ann. 6, 40. 14, 26) et Iosephus (ant. 18, 5, 4 coll. 17, 1, 1. 2 et bell. Iud. 1, 28, 1). Scilicet Alexander, regis Iudaeorum Herodis Magni et Mariammae filius, ex Glaphyra filia Archelai regis Cappadociae ultimi filios duos suscepit Alexandrum et Tigranen, quorum alter Tigranes *Armeniae quondam potitus* (ita Tacitus accuratius quam Iosephus *βασιλεύων Ἀρμενίας*) a. p. C. 36 Tiberii iussu ad supplicium ductus est nec liberos reliquit, alterius autem filii Alexandri filius Tigranes postea a Nerone a. p. C. 60 rex Armeniae factus est. Hanc Alexandri stirpem coniunctam fuisse cum regia Armenia cum Tigranis nomen prodit tam filio quam nepoti Alexandri impositum, tum quod Neroniana aetate ex hac stirpe ortum principem Romani Arsacidis opposuerunt; denique Iosephus b. Iud. 2, 11, 6: *ἡ Ἀλεξάνδρου γενεά*, inquit, *τῆς μεγάλης Ἀρμενίας ἐβασίλευσε*. Puto Archelai regis Cappadociae uxorem, Tigranis aviam maternam nobis ignotam ex domo Armenia regia originem duxisse. In Tigranem indicis tam recte conveniunt omnia quae a Tacito Iosephoque narrantur de Tigrane a Tiberio interfecto Armenia quondam potito et aliqua ratione ad stirpem Armeniam regiam pertinente, ut necessario idem habendus sit. Contrarium quidem defendit Nipperdeius ad Tac. 6, 40 Armeniam, qua Tigranes a Tiberio interfectus quondam potitus sit, statuens minorem esse ab avo eius Archelao Cappadociae rege quondam possessam. At et Armenia, ubi simpliciter ita appellatur, omnino maior est, et posteros Alexandri, id est Tigranen utrumque, regnavisse in maiore Armenia diserte testatur Iosephus (l. c.); denique non adsequor, quomodo propterea, quod avus Archelaus Armeniam minorem aliquando habuit, nepos dici possit ea potitus esse.

Armeniae regnum Tigranes non diu tenuerit necesse est, cum praesertim a Tacito praetereatur, pulsus videlicet a factione Parthica. Scribit is temptatum deinde esse imperium feminae cui nomen Erato, eiusdem omnino quae antea regnarat cum fratre et marito Tigrane III, sed hanc quoque brevi pulsam esse. — *Incerti* deinde *solutique* Armenii, Tacitus ait, *et magis sine domino quam in libertate profugum Vononen in regnum recipiunt*, scilicet filium regis Parthorum Phraatis ipsumque per aliquot annos regem eorum, sed paullo ante ab Artabano expulsum. Iosephus 18, 2, 4 postquam de Vonone ex regno paterno ejecto rettulit, ita pergit: *Βονώνης δὲ εἰς Ἀρμενίαν διαπίπτει· καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ἐφίετο τῆς χώρας καὶ πρὸς Ῥωμαίους ἐπρέσβευε*, deinde Tiberium propter ipsius ignaviam et minas Artabani ei regno Armeniae interdixisse (*αὐτῷ ἀπεῖπε*). Haec quando acciderint, iam constat, postquam nummi Parthici nuper prolati docuerunt Vononem ab Artabano ex Parthia pulsum esse a. 763 4[1]). Itaque eo fere tempore (nam amissum regnum

[1]) Vide infra p. 143. Eodem tempore vel paullo ante quae posuit Ovidius in carmine trist. 2, 227: *nunc petit Armenius pacem* premenda non sunt, cum eo loco poeta complura coniungat ad diversos annos populosque spectantia.

Parthicum a Vonone et adfectatum Armeniacum uterque auctor arte coniungit) Vonones exul in Armeniam venit ibique cum sibi a factione quadam regnum offerretur, id suscepit et ab Augusto ut in eo confirmaretur per legatos petiit, neque tamen impetravit, nam si impetrasset, Augustus opinor id non tacuisset. Eas turbas et regnum inane Strabo quoque libro sexto, quem quarto fere post hunc indicem anno scripsit, tangit 6, 4, 2 p. 288, in recensu populorum, qui a Romanis dominos acciperent: *Ἀρμένιοι δὲ — παρουσίας δέονται μόνον τῶν ἡγησομένων, καλῶς δὲ κραιοῦνται· νεωτερίζουσι δὲ διὰ τὰς τῶν Ῥωμαίων ἀπασχολίας.*

Quamdiu Armenia in dicione Romana mansit, id ad Mediam quoque pertinuisse verisimile est et tam Ariobarzanem quam Artavasdem IV in utraque pariter regnasse. Post id tempus cum Armenia Romanis sese subtraheret, Medi aut eodem tempore aut antea iam a Romanis desciverunt constituto sibi rege Artabano (Iosephus ant. 18, 2, 1) materno ex genere Arsacidam, sed patre Scytha ut videtur, certe educatum apud Scythas (Tacitus ann. 2, 3, 6, 42), cum ipsum, qui hinc orsus c. a. 764 Vonone expulso Parthis quoque imperitavit. Strabo tamen 11, 13, 2 p. 523 Medos scribit amicitiam fecisse cum Caesare, simul tamen Parthos colere.

Stemmata subieci tria.

REGES ARMENIAE.

Tigranes (I) regn. ab a. 657 ad a. certe 698

Artavasdes † 724

Artaxes regn. 720—734	Tigranes (II) regn. 734 — ..	Artavasdes? † c. a. 753

Tigranes (III) ∽ Erato
† c. a. 753

REGES MEDIAE.

Ariobarzanes

Artavasdes
† c. a. 734

Ariobarzanes
rex Mediae c. a. 734, Armeniae a. 753

Artavasdes
rex Mediae et Armeniae
† ante a. 764

REGES IVDAEAE.

Herodes Magnus ∽ Mariamne Archelaus rex Cappadociae ∽ uxor regis Armeniae filia?

Alexander ∽ Glaphyra

Alexander	Tigranes (IV)
Tigranes	rex Armeniae c. a. 764
rex Armeniae	† a. 789 = p. C. 36
a. 813 = p. C. 60	

LAT. 5, 31 32 Pro|vincias omnis, quae trans Hadrianum mare vergun[*t a*]d orien-
33 [*te*]m, Cyre|násque, iam ex parte magná regibus eas possidentibus,
34 e[*t*] *antea* Siciliam et | Sardiniam occu*patás* bello servili reciperávi. § |
GR. 15, 13 14 [3]*Ἐπαρχείας ἁπάσας, ὅσαι | πέραν τοῦ Εἰονίου κόλπου διατεί-*
15 *νουσι πρὸς ἀνα|τολὰς, καὶ Κυρήνην ἐκ μείσζονος* (sic) *μέρους*
16 *ὑπὸ βασι|λέων κατεσχημένας καὶ ἔμπροσθεν Σικελίαν καὶ*
17 *Σαρ|δὼ* (sic) *προκατειλημένας* (sic) *πολέμῳ δουλικῷ ἀνέλαβον.* |

De provinciis Sex. Pompeio ereptis Sardinia a. 716, Sicilia a. 718 videantur quae diximus ad 5, 1. Provinciae autem quae priore loco indicantur sunt permissae Antonio pacto Brundisino Macedonia, Achaia, Asia, Pontus et Bithynia, Cilicia, Cyprus, Syria, Creta, Cyrenae. Ex his quinque certe quas postremo loco posuimus regibus clargitus est Antonius. Si vera tradidit Dio (49, 41) Ptolemaeo filio omnia inter Euphraten et Hellespontum attributa esse, imperavit is etiam Asiae et Bithyniae provinciis; at refragari videtur Plutarchus (Ant. 54) nec per se narratio haec probabilis est, cum magnae tantum partis provinciarum regibus concessae Antonium incuset ipse Augustus. Attali igitur Nicomedisque regna Antonius a Romano imperio non avulsit; at praeterquam quod Lycaoniam et Pamphyliam avulsas a Cilicia provincia Amyntae regi Galatiae donavit (Dio 49, 32; cf. Marquardt *Staatsverwaltung* 1 p. 385), restituit regnum Aegypti finibus antiquis, ut et Cyprus ei adiceretur (Plutarch. Ant. 54; Dio 49, 32. 41; Strabo 14, 6, 6 p. 685), quam iam dictator Caesar ad regnum Aegyptiacum quodammodo rursus adiunxerat (Dio 42, 35), et Syriae ora a limite Aegypti ad Aradum fere exceptis urbibus Tyro et Sidone (Iosephus ant. 15, 4, 1, bell. 1, 18, 5) itemque Coelesyria (Iosephus ant. 15, 3, 8; Plutarchus l. c.) et Ituraeorum regio itemque Iudaeorum et Arabum Nabataeorum (Dio 49, 32; Iosephus ant. 15, 4, 1. c. 5, 3, bell. 1, 18, 5. c. 20, 3; cf. Eusebius ad a. Abr. 1987) et partes quaedam Ciliciae (Strabo 14, 5, 3 p. 669. c. 5, 6 p. 671) et fortasse Cretae quoque (Dio 49, 32), denique Cyrenae (eo enim pertinet *Λιβύη* apud Plutarchum l. c.); haec omnia regenda tradidit Cleopatrae eiusque filio ex Caesare suscepto Caesarioni. Restituit item regnum Cyrenarum, subiectum tamen Aegyptiaco, tradiditque sub matre regendum Cleopatrae filiae suae ex Cleopatra. Restituit similiter regnum Syriae (Plutarchus l. c.; Dio 49, 41), quamquam magna pars eius Cleopatrae cessit, adiecta parte maiore Ciliciae (Plutarch. l. c.) tradiditque filio suo ex Cleopatra natu minori Ptolemaeo Philadelpho. Constituturus erat praeterea regnum Armeniae, cui accederent Media Parthiaque, destinavitque alteri filio ex Cleopatra natu maiori Alexandro (Liv. ep. 131; Plut. l. c.; supra p. 110). Quae imperii Romani imminutio vel praecipua causa fuit belli ab Augusto contra Antonium suscepti (Dio 50, 1; Plut. l. c.). — Ad receptas provincias debellato Antonio a. u. c. 724 pertinet nummulus inscriptus *Asia recepta*, quem propter inscriptionem *Caesar imp. VII* supra p. 12 diximus cusum esse inter a. 725 et 729, videtur autem cusus esse ipso a. 725, quo incipiente Caesar morabatur in Asia minore (Dio 51, 18; cf. *röm. Münzwesen* p. 707).

CAPVT XXVIII

LAT. 5, 35 Colonias in Áfric*a Sicilia* [*M*]acedoniá utráque Hispániá Acha*i a*]
36 *Asia S*[*y*]*ria* | Galliá Narb*onensi Pi*[*si*]*dia* militum dedúxi §.

GR. 15, 18 19 Ἀποικίας ἐν Λιβύῃ Σικελίᾳ Μακεδονίᾳ ἐν ἑκατέ|ρᾳ (sic)
20 τε Ἱσπανίᾳ Ἀχαίᾳ Ἀσίᾳ Συρίᾳ (sic) Γαλατίᾳ τῇ πε|ρὶ Νάρβωνα Πισιδίᾳ στρατιωτῶν κατήγαγον. §

Efficitur ex his Augustum in provinciis certe colonias nullas deduxisse nisi militares eique testimonio cur fidem denegemus non intellego, quamquam aliter visum est Zumptio (comm. epigr. 1, 362). Nam Dyrrachium quod Dio 51, 4 ait Augustum misisse Italicos agris privatos, id non excludit etiam veteranos simul deductos esse, cum praesertim Philippi una nominentur colonia sine dubio militaris. — Habet autem colonias ab Augusto deductas inter alias Africa Carthaginem (C. I. L. VIII p. 133); Sicilia Panhormum Thermas Tyndarin (Marquardt *Staatsverwaltung* 1[2] p. 246); Macedonia Dyrrachium Philippos (Marquardt l. c. p. 320) Cassandream; Hispania citerior Caesaraugustam (Marquardt l. c. p. 256); ulterior Emeritam (Marquardt l. c. p. 317); Achaia Patras (Marquardt l. c. p. 332); Asia Alexandream Troadis (Marquardt l. c. p. 347); Syria Berytum (Marquardt l. c. p. 417); provincia Narbonensis Reios et Aquas Sextias (Herzog Gall. Narb. inscr. n. 113. 356); Pisidia Antiochiam (Marquardt l. c. p. 364), Cremnam (Eckhel 3, 20), Olbasam (Eph. epigr. 4 p. 32), Parlain (Ramsay *Bull. de corr. hell.* vol. 7 p. 318), quam a conditore certe Pisidiae potius quam Lycaoniae habitam esse hinc recte colligemus. — Nummos harum deductionum testes legionumque etiam numeros enuntiantes habemus ex Hispania citeriore Caesaraugustanos (*leg. IV. leg. VI. leg. X*: Eckhel 1, 37); ex ulteriore Emeritenses et Cordubenses (*le. V. X* in utrisque: Eckhel 1, 12. 19), item Accitanos (*l. I. II*: Grotefend *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1840 p. 654); ex Achaia Patrenses (*X. XII*, non *XXII*: C. I. L. III p. 95); ex Syria Berytenses (*V. VIII*: Eckhel 3, 356; intellegi v Mac. et VIII Aug. ostendunt nummi Heliopolitani apud Eckhelium 3, 335). Legio VI. quae nominatur in nummis Ruscinonis (Eckhel 1, 70), magis videtur deducta esse eo a Caesare patre. Legionis secundae veteranos ab Augusto deductos esse Cartennam in Mauretania Plinius (h. n. 5, 2, 20) refert, septimanos Tupusuctu in eodem regno decretum a. 55 (C. I. L. VIII, 8857). Plene haec persequi huius loci non est; in universum conferenda sunt quae adnotavimus ad 3, 22 sq.

Notabile est hic nominari Hispaniam utramque, cum plerique divisionem ulterioris Hispaniae in Baeticam et Lusitaniam adscribant Augusto secuti Appiani (Hisp. 102) non testimonium, sed coniecturam quaeque de divisione provinciarum refert Dio (53, 12) nequaquam ab errore immunia. Post Augustum Strabo 3, 4, 20 p. 166 anno fere p. Chr. 18 (certe eo anno librum quartum

confecit) et imperante Claudio Pomponius Mela cum Baeticam Lusitaniamque distinguant, neutram agnoscunt aetatis Augustae auctores[1]); nec tituli certa argumenta suppeditant, ex quibus eluceat provincias eas fuisse ante Tiberium (Orelli 3128: *leg. Ti. Caesaris Aug. prov. Lusitan.* collato C. I. L. II n. 473). Quare videndum, ne ulteriorem Tiberius magis quam Augustus diviserit[2]).

In provinciis quae absunt ab Augusto nullas colonias deductas esse recte ex laterculo colligitur, nec facile coniecturis recentiorum contra ipsius Augusti silentium locus dandus est. Praeter Illyricum, de quo proximo capite agitur, provinciae, quae secundum id colonias ab Augusto deductas nullas habuerunt, hae fuerunt:

Sardinia. *Turris Libisonis colonia Iulia* (geogr. Rav. 5, 26; cf. Plinius h. n. 3, 7, 85 et C. I. L. X p. 826) nihil impedit quominus constituta sit a Caesare dictatore.

Galliae tres cum Germaniis duabus. Hinc igitur magnopere coniectura adiuvatur coloniam Iuliam Equestrem (*Nyon*) Galliae Belgicae non ab Augusto deductam esse, sed a Caesare dictatore. — Nec magis iam licebit Augustae Trevirorum ius coloniae concessum ante a. 70 (Tacitus hist. 4, 62. 72) a primo Augusto repetere.

Raetia.

Noricum.

Bithynia et Pontus.

Galatia, Pontus Galaticus, Paphlagonia, Phrygiae pars, Lycaonia, Isauria. Coloniam Parlain Pisidiae magis quam Lycaoniae Augustum attribuisse videri supra p. 119 observavimus.

Cilicia.

Cyprus.

Creta. Cnossum coloniam in insula Creta notam iam Straboni (10, 4, 9 p. 477) quamquam hodie fere consentiunt (Marquardt l. c. p. 464) ab Augusto deductam esse propterea quod Dio 49, 14 eum scribit Campanis agrum in pertica Cnossiorum adsignavisse, idem facere potuit colonia deducta a patre disponens ita de agro coloniae relicto; et obstat origini ab Augusto deductae, quod in nummo nuper prolato libertinus

---

[1]) Verum est apud Livium legi 28, 2: *Poenus cum castra tum forte ad sociorum animos in Baetica continendos in fide haberet*; at verba *in Baetica* eo quo leguntur loco ferri posse negant Dukerus et Madvigius recte, crediderimque ea non transponenda esse, sed delenda utpote adscripta ad antiquissimum hiatum explendum. Nam nullo loco praeterea pro ulteriore Hispania Baeticam Livius videtur usurpasse.

[2]) Marquardtius *Staatsverwaltung* 1² p. 253 quod opposuit ita Straboni de nova divisione aliquid adnotandum fuisse non multum ponderis habet, cum praesertim aliquatenus certe Strabo rem tangat de Lusitania adscribens: *καλοῦσι γὰρ οὕτω τὴν χώραν ταύτην ἰδίως ἐν τῷ παρόντι*. Certe quod ipse conicit utraque Hispania significari non citeriorem et ulteriorem, sed imperatoriam partem et senatoriam, constanti veterum consuetudini repugnat et male obtruditur auctori sermonis non summae elegantiae, sed iustae proprietatis.

duumvir inventus est (Friedlaender apud Salletum *numism. Zeitschrift* 6 p. 13), id quod proprium est coloniarum a Caesare patre constitutarum.

Aegyptus.

Cyrenae.

Ad partes imperii tum sub regibus constitutas Thraciam, Cappadociam, Mauretaniam, item in libertate constitutas Lyciam et Pamphyliam, id ipsum non pervenit, cum de iis princeps omnino verbum non faciat; in Mauretania certe et Cartennam et Tupusuctu, quarum supra meminimus, et alias colonias plures Augustus constituit (Marquardt l. c. p. 487).

LAT. 5, 36 37 Italia autem *XXVIII* [*colo*]ni|ás, quae vivo *me celeberrimae* et fre-
38 quentissimae fuerunt, *me*[*is auspicis*] | deductas *habet.* |

GR. 15, 20 21 22 *Ἰταλίαι δὲ εἴκοσι ὀκτὼ ἀποικίας ἔχει ὑπ' ἐμοῦ καταχθείσας, αἳ ἐμοῦ περιόντος πληθύουσαι ἐτύγχανον.* |

In fine v. 37 quid scriptum fuerit, non liquet. Ego dederam [*duodetriginta a me*] *deductas*, Hirschfeldius [*a me ampliatas aut*] *deductas*, Bergkius [*meo iussu et nomine*] *deductas*; in lapide numerum iam constat ibi esse, ubi res postulat collocarantque iure Bergkius et Hirschfeldius, post *fuerunt* autem superest *me* deficientibus litteris circiter duodecim. Difficultas eo augetur quod consensus inter Graecum vertentem *ὑπ' ἐμοῦ* et Suetonium (Aug. 46: *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentavit*) sine dubio ex ipso indice pendentem postulare videtur, ut hic non aliud fuerit nisi cui verba *a me* recte et plene respondeant. Quare *meis auspiciis* ponere malui quam supplementum Bergkianum per se optimum; nam colonias ab Augusto deductas verum est omnes aut Iulias dictas fuisse aut Augustas. Videor adeo in ipso actypo extremam versus litteram s mihi deprehendisse separatam a ME decem litterarum intervallo; eam tamen supra ponere nolui, quoniam non enotarunt qui ipsum lapidem viderunt.

Quaestio haec ut in verbis continetur, ita longe graviorem et ad ipsam rem pertinentem ea movent licet per se simplicissima, scilicet quid significet princeps, ubi loquitur de Italia et de coloniis a se deductis. Qua de re postquam nuper data opera disputavi colonias Italiae recensens deductas a Sulla ad Vespasianum (Hermae vol. 18 p. 161 seq., praesertim p. 186), hic quae ibi exposui paucis repetam.

Italiam intellegi a principe eam, quae tum fuit cum scripsit, id est comprehensam inter Varum et Arsiam, sane non foret qui in dubitationem vocaret, nisi essent coloniae Augusti certae et nobiles Illyricanae. Nam Emonam (v. C. I. L. III p. 489) in Illyrico inferiore, in superiore Iader (v. C. I. L. III p. 374) et Salonas (l. c. p. 304), fortasse etiam Epidaurum (l. c. p. 287) et Naronam (l. c. p. 291) colonos eum misisse aut certum est aut certo proximum, nec continentur coloniae Illyricanae capite proximo, quo agitur de coloniis deductis

in provinciis. Earum oblitum esse Augustum[1]) vel scribae culpa Illyricum ex utroque exemplo excidisse et per se parum probabile est et inde refutatur, quod supra p. 98 vidimus inter provincias, quae adversus Antonium a. 722 coniurarunt, similiter Illyricum desiderari. Quam ob rem unum superest effugium Augustum eas inter Italicas connumeravisse eo motum, quod coloniae hae quo tempore deductae sunt Italiae finibus comprehendebantur, quamquam, cum scripsit, Illyrici factae erant, cuius ipsum nomen Augustus posuit 5, 46 enarrans res gestas a. 712. Difficultatem hoc quoque facit; nam quamquam saepenumero Italia ita ponitur, ut Galliam cisalpinam complectatur iure cum, ea nondum coniunctam, ad Illyricum id proferri sane offendit. Sed potest Augustus id consulto fecisse; nam si militibus agros in Italia pollicitus parti eorum in Illyrico satisfecit, id quod fecisse eum admodum verisimile est, non sine idonea causa Illyricum neque in provinciis enumeravit neque hoc loco ad Italiam adiunxit.

Difficultas altera eaque multo latius patens pertinet ad colonias deductas a triumviris rei publicae constituendae, quatenus scilicet Augustus eas inter suas numerarit vel non numerarit. Nam coloniae post bellum Philippense deductae ignoramus cuius auspiciis deductae fuerint, utrum omnes fuerint Antoniae Iuliae, id est a M. Antonio et C. Iulio pariter constitutae (nam Lepidi sine dubio nulla ratio in ea re habita est), an aliae Antoniae, aliae Iuliae. Illam legem si tresviri secuti sunt, devicto Antonio et memoria eius damnata probabile est omnes et Iulias mere factas esse et ab Augusto inter suas numerari. Alteram autem viam si tenuerunt, post Actiacum bellum coloniae Antoniae desierunt quidem cognomine eo uti, sed non propterea Caesaris factae sunt. Utrum verum sit, diiudicari non potest; haec ordinatio eo commendatur, quod qui priorem sequitur numerum coloniarum eum quem princeps posuit longe excedentem vix evitabit.

Tertium addi potest quod postquam admissum est contra ius antiquum coloniam iterum deduci posse, admodum difficile est fines regere inter coloniae ampliationem et deductionem. Ita Hyginus (de lim. p. 177): *divus Augustus*, inquit, *illas quoque urbes quae deductae a regibus aut dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interrentus exhauserat, dato iterum coloniae nomine numero civium ampliavit, quasdam et finibus*, pro exemplo nominans Minturnas. Id non factum esse propter praedia qualiacumque relicta in colonia aliqua et paucis fortasse militibus adsignata vel inde colligitur, quod auctor coloniae nomen requirit iterum datum; recte autem videmur colonias ante Augustum deductas inter constitutas ab eo tum numerare, cum nomen Iulium Augustumve adsumpserunt.

Efficitur ex supra dictis probabiliter inter duodetriginta colonias referri quae inveniuntur nomen gessisse aut Iuliarum aut Augustarum, modo certum sit id proficisci ab hoc ipso principe. Laterculum ita confectum, quem in

[1]) Id nollem statuisse me C. I. L. III p. 279.

commentario adlegato posui, hic per indicem repetivi insertis iis quoque coloniis quattuor, quarum quamquam neutrum nomen traditur, aliunde constat ab Augusto deductas esse:

1. Ariminum, Augusta.
2. Ateste.
3. Augusta Praetoria.
4. Iulia Augusta Taurinorum.
5. Beneventum, Iulia Augusta.
6. Bononia.
7. Brixia, Augusta.
8. Capua, Iulia Augusta.
9. Castrum novum Etruriae, Iulia.
10. Concordia, Iulia.
11. Cumae (?), Iulia.
12. Dertona, Iulia.
13. Fanum Fortunae, Iulia.
14. Falerio.
15. Hispellum, Iulia.
16. Lucus Feroniae, Iulia.
17. Minturnae.
18. Nola, Augusta.
19. Parentium, Iulia.
20. Parma, Iulia Augusta.
21. Pisae, Iulia.
22. Pisaurum, Iulia.
23. Pola, Iulia.
24. Saena (?), Iulia.
25. Sora, Iulia.
26. Suessa, Iulia.
27. Sutrium, Iulia.
28. Tuder, Iulia.
29. Venafrum, Iulia Augusta

ad quas propter Illyricum tres minimum addendae sunt:

30. Emona, Iulia.
31. Iader.
32. Salonae, Iulia.

Consentaneum est hoc indice duodetriginta colonias ab Augusto intellectas omnes aut fere omnes comprehendi, sed item aliquot civitates in eo referri ex illo numero eximendas. Eae quaenam sint quaestio neque huius loci est nec ut mea fert opinio recte solvi potest; quare magis placet rem in incerto relinquere quam speciosam concordiam argumentis parum solidis efficere.

CAPVT XXIX

LAT. 5, 39 Signa militaria *complun*[*a per*] aliós d[*u*]cés ámi[*ssa*] devictí[*s hosti-*
40 *bu*]s *re*[*cipe*]*ravi* | ex Hi*spania et* [*Gallia et a Dalm*]ateis. §

GR. 15, 23 24 *Σημέας στρατιωτικὰς* [*πολλὰς ὑ*]*πὸ ἄλλων ἡγεμό*|*νων ἀπο-*
16, 1 *βεβλημένας* [*νεικήσα*]*ς πολεμίους* || *ἀπέλαβον* § *ἐξ Ἱσπανίας*
2 *καὶ Γαλατίας καὶ παρὰ* | *Δαλματῶν.*

In Graecis 15, 23 *πολλάς* Kirchhoff, *πλείους* Bergk; desiderantur litterae c. VII. — 24 *ν*(*ε*)*ικήσας τοὺς* spatium VIII fere litterarum excedit.

Dalmatas Appianus (Illyr. c. 12. 25 cum nota Schweighaeuseri ad locum alterum) scribit signa Gabinio a. u. c. 706 et Vatinio a. u. c. 710 adempta reddidisse Augusto a. 721 (ib. c. 28). Ea collocata sunt in porticu Octavia (vide ad 4, 2); sed recte fortasse Bergkius verba quae sequuntur ita accepit haec quoque signa postea translata esse in aedem Martis ultoris. — De recuperatione signorum ab Hispanis, bello opinor Cantabrico a. 728. 729, et a Gallis auctores tacent. In his Bergkius cogitavit de aquila quintae legionis amissa a. 738 clade Lolliana (Vellei. 2. 97); sed obstat et silentium scriptorum, qui eiusmodi recuperationem vix tacuissent, et quod ea clades cum ad ipsum Augustum rediret, aquila illa numerari non potuit inter signa per alios duces amissa. — Bastarnae quae a. 695 ad Istrum oppidum a proconsule C. Antonio ceperant, si a. 725 M. Crassus recuperavit, (Dio 38, 10. 51, 26), id Augustus praeteriit.

LAT. 5, 40 41 Parthos trium exercitum (*sic*) Roman[*o*]rum *spolia et signa re*[*d-*
42 *dere*] mihi supplicesque amicitiam populi Romani | petere *coegi.* §
Ea autem si[*gn*]a in penetrali, quod e[*s*]t in templo Martis Ultoris,
43 | reposui. |

GR. 16, 2 3 *Πάρθους τριῶν στρατευμάτων Ῥωμαίων σκῦλα καὶ σημέας*
4 *ἀποδοῦναι ἐμοὶ ἱκέτας τε φι*|*λίαν δήμου Ῥωμαίων ἀξιῶσαι*
5 *ἠνάγκασα.* [§] *ταύτας* | *δὲ τὰς σημέας ἐν τῷ Ἄρεως τοῦ Ἀμύν-*
6 *τορος ναοῦ ἀ*|*δύτῳ ἀπεθέμην.* |

Intelleguntur signa amissa a Crasso Antonioque. Cf. Iustinus 42, 5, 11: *tota Parthia captivi ex Crassiano sive Antonii exercitu recollecti signaque cum his militaria Augusto remissa.* Livius ep. 141: *pax cum Parthis facta est signis a rege eorum, quae sub Crasso et postea sub Antonio capta erant, reddĭtis*[1]). Suetonius

[1]) Leguntur haec apud Livium loco non suo ad a. 744; cuius perturbationis causam Zumptius (comm. epigr. 2, 83) inde repetivit, quod eo anno Phraates liberos Augusto tradiderit, Livius autem eius traditionis narrationem ab signis olim restitutis exorsus sit. At traditionem liberorum non a. 744 factam esse, sed paullo post annum 745 ostendemus infra ad 6, 3. Omnino cum desint epitomae librorum 136. 137, in quibus narrabantur res gestae per a. 730—738, haec verba inde nescio quo casu relicta male adhaeserunt ad ep. 141.

Aug. 21: *Parthi — signa militaria quae M. Crasso et M. Antonio ademerant reposcenti reddiderunt obsidesque insuper obtulerunt.* Vell. 2, 91: *ab rege Parthorum signa Romana, quae Crasso oppresso Orodes, quae Antonio pulso filius eius Phrahates ceperant, Augusto remissa sunt.* Ad locum Vergilii Aeneidis 7, 605: *seu* (parant) *tendere ad Indos Auroramque sequi Parthosque reposcere signa*, scriptum omnino ante signa recepta tum cum ad recipienda illa expeditio in Orientem parari putabatur (cf. Horatius carm. 1, 12, 56. 3, 5, 4) commentarii Veronenses adnotant: *quae Licinio Crasso interfecto interceperant Parthi; haec* [*recepit*] *Augustus. Huius facti Nicae* (sic liber) *repraesentantur in arcu, qui est iuxta aedem divi Iulii.* Arcum eum cum quadrigis superpositis proponunt nummi duo, alter eum repraesentans cum inscriptione in epistylio *imp. IX tr. po. V* (= a. 735/6), intra arcum *s. p. q. r.* (vel *s. p. r.*) *signis receptis* (Eckhel 6, 100; Cohen Aug. n. 298), alter eum ostendens cum quadrigis supra eum, adstantibus utrimque Parthis duobus signa tradentibus, adscripto *s. p. q. R. imp. Caesari Aug. cos. XI tr. pot. VI* (= a. 736/7))(*civib. et sign. milit. a Part. recuper.* (Cohen Aug. n. 82—85). Praeterea cf. Dio 53, 33. 54, 8; Cassiodor. ad. a. 734; Oros. 6, 21. 29; Florus 2, 34; Eutropius 7, 9, qui omnes non meminerunt nisi Crassianorum signorum. Crassi clades a. u. c. 701 notissima est egeratque de signis civibusque tum captis restituendis iam cum Phraate Antonius (Dio 49, 24). Antonii autem, cum trium exercituum Romanorum signa Augustus ponat, duos exercitus a Parthis victos esse significat. Similiter Horatius sic ait in carmine (3, 6) scripto a. 726 (vide supra ad 4, 17): *iam bis Monaeses et Pacori manus non auspicatos contudit impetus nostros et adiecisse praedam torquibus exiguis renidet*, ad quem locum haec Porphyrio: *bis Parthos rettulisse de nobis victoriam dixit, quia et Crassum antea et tum Decidium Saxam in Syria* (*cum decium saxam in aria* cod. Monac.) *occiderant.* Erravit interpres de strage Crassiana cogitans ab huius carminis argumento aliena neque ad Monaesem Pacorumve referenda; recte autem Saxae mentionem inicit. Scilicet tangit poeta clades duas Antonianas alteram a. 714, quo L. Decidius Saxa Syriae legatus a Pacori ducibus victus et interfectus est (Drumann 1, 436), alteram a. 718, qua in expeditione ipsius Antonii duae legiones cum legato Oppio Statiano a Parthis Medisque ad internecionem caesae sunt (Drumann 1, 454). Quarum signa tum capta cum Medi a. 721 ipsi Antonio reddidissent (Dio 49, 44), quae Parthi ceperant non restituta sunt nisi cum signis Crassianis. Monaesem accepimus propter dissensionem cum rege Phraate a. 717 a Parthis fugisse ad Antonium eique se obtulisse ducem belli futuri effecturumque se spopondisse, ut plerique Parthi sponte sua Romanis se traderent; exceptum ita pro summa spe in eo posita maximis honoribus destinatumque ab Antonio, quem Parthorum regem faceret, mox a Phraate sibi metuente in patriam revocatum esse et incolumem dimissum ab Antonio (Dio 49, 23. 24; Plutarch. Ant. 87). Hunc ut in bello a. 718 Parthis praefuisse statuamus et praecipuum auctorem fuisse cladis Oppianae, requirit cum locus Horatianus tum quod narrat Plutarchus

(Ant. 46) in reditu Antonium servatum esse Monaesis beneficio gratiam ei referentis. — Diverse Chishullus reliquique interpretes cogitarunt de duobus exercitibus Antonii victis a. 718 alterum duce Oppio Statiano legato, alterum ipso Antonio (cf. Drumann 1, 454). At proprie copiae quibus Antonius praefuit in bello a. 718 non sunt nisi exercitus unus nec crediderim tum signa amissa esse ulla nisi cum Statiano legato. Nam ipse Antonius rediens multos homines amisit, signa ei hostes nulla videntur abstulisse. — Recepit tam cives captivos quam signa militaria Augustus a rege Phraate a. 734 in Syria agens (Dio 54, 8 cet.) vel potius iussu eius Ti. Nero (Suet. Tib. 9). Eo tempore Parthos etiam amicitiam populi Romani supplices petiisse praeter commentarium indicant nummi plerique, in quibus Parthus genu flexus signum militare offert (Eckhel 6, 95); denique Horatius ep. 1, 12, 27: *ius imperiumque Phraates Caesaris accepit genibus minor* et Orosius 6, 21, 29: *Parthi . . . ultro signa quae Crasso interfecto abstulerant ad Caesarem remiserunt regiisque obsidibus traditis* (cf. ad 6, 3) *firmum foedus fideli supplicatione meruerunt.* — In lorica statuae pulcherrimae Augusti, quae anno 1863 ad Romam reperta est, dedicatae ut videtur a. u. c. 741 (Koehler ann. inst. arch. 1863 p. 440 sq.), caelata sunt signa a Parthis recuperata; nam parum probabiliter Bergkius p. 106 Parthis ibi Hispanos substituit. — De duplici aede Martis Ultoris, altera minore in Capitolio dedicata a. 734, altera maiore in foro Augusto dedicata a. 752 duplicibusque ludis Martialibus diebus Mai. 12 et Aug. 1 dixi in C. I. L. vol. 1 p. 393 ibique ostendi illam aedem illumque diem proprie pertinere ad signa a Parthis recepta, hanc aedem et hunc diem proprie ad victoriam Philippensem. Signa ea primum in Capitolio collocata sunt translataque in aedem maiorem postquam ea dedicata est, ut hanc omnino hoc loco Augustus significet; convenitque quod inter leges aedi ei datas refertur *ἄν ποτε σημεῖα στρατιωτικὰ ἐς πολεμίους ἁλόντα ἀναχομισθῇ, ἐς τὸν ναὸν αὐτὰ τίθεσθαι* (Dio 55, 10). Horatius Propertiusque carminibus per hos annos scriptis signorum quidem restitutorum meminerunt (Horat. carm. 4, 5, 16; ep. 1, 18, 56; Propert. 3, 10, 13. 4, 4, 6 sq. 4, 5, 48; 4, 12, 3. 5, 6, 79) eaque non obscure indicant tum stetisse in Capitolio (Horat. carm. 4, 15, 6: *signa nostro restituit Iovi;* Propert. carm. 4, 4, 6: *adsuescent Latio Partha tropaea Iovi*); at quam neuter eorum perfectam vidit Martis aedem nusquam memorant, ne ab Ovidio quidem celebratam nisi in fastis (5, 549 sq. cf. 6, 459) et in tristium libris (2, 295). Ibi dicitur *Martis bis ulti*, scilicet qui ultus esset primum caedem Caesaris dictatoris, deinde stragem Crassianam. Nummi aedem Martis Ultoris exhibentes cum ex parte certe cusi sint a. 735/6 (Eckhel 6, 100; Cohen Aug. n. 202), repraesentant aut aedem Capitolinam aut quod Borghesius (opp. 2, 379) probavit et ego quoque praetulerim, aedem maiorem antequam perficeretur.

Tituli arcus, quem modo vidimus propter signa recepta Augusto dedicatum esse in foro Romano, quaesitum est num reliquiae adhuc extent. Inventa enim in foro sunt fragmenta quaedam, quae cum propter formam in

arcu prostitisse videantur, propter litteraturam ad Augusti aetatem relata sunt; quibus quoniam in prioris editionis additamentis locum dedi, ab hac quoque ea abesse nolui interim quatenus nota erant et in C. I. L. VI, 906. 1269 collocata et ab Henrico Iordan in ephem. epigr. vol. 3 p. 262. 274 et secundis curis in topographia 1, 2 p. 212 diligenter tractata, iam vero mea causa ab sociis nostris Romae degentibus Dresselio et Huelseno diligenter inspecta et aucta. Monuerunt autem hi duorum certe monumentorum reliquias has esse et forma litterarum et interpunctione et caelatura diversa.

A. I. m. 0,20 SENATVS POPVLV}sque r(OMAN)us? 0,19
II. MVM 0,16
III. 0,19 O VI·IN
0,16 VMIN
0,16 VE·SVM
0,16 RECIP

I. = C. I. L. VI, 1269. II. = C. I. L. VI, 906 *b*. III. = C. I. L. VI, 906 *c*. Infra integrum est.

B. I. II. III.
0,25 C
0,25 PON
0,19 A ORIBVS
0,19 TIT TO·CA
0,19 TIAM·IND
(..0.45..)(...0.82...)
IE
O V

I ineditum; Sartius videtur repperisse una cum III; iam inter Sartiana in museo Capitolino. — II = C. I. L. VI, 906 *a*. In primo versu potius C fuit quam, quod Iordanus posuit, O. — III Sartius in schedis adnotans: '*rinvenuto sotto al tabulario*': Henzenus vidit in museo Capitolino, ubi hodie videtur desiderari.

De fragmentis his, scilicet quatenus viderunt (nam A II B III reperiri non potuerunt), Dresselius et Huelsenus testantur priora crassa esse mill. 23—25, posteriora crassa mill. 14—15. Altitudo litterarum quomodo differat, adscriptum est. Litterae diversae sunt priorumque fragmentorum rudiores longe et minus diligenter incisae; ea cum non ante secundum saeculum scripta sint et fortasse descendant ad Constantinianam aetatem, posteriora non abhorrent ab aetate Augusti. Puncta in prioribus duplo maiora sunt (mill. 25) quam in posterioribus, quamquam separant litteras aliquanto minores; praeterea in prioribus formam habent △, in posterioribus formam ▽. Superficies in prioribus multo minus diligenter levigata est quam in posterioribus. Ad elementa aenea recipienda in posterioribus foramina in fundo litterarum cavata sunt, nulla in prioribus. Denique lapis quoque similis magis est quam idem. Fragmentum Sartianum cum in omnibus his indiciis plane conveniat

cum iuxta posito, ad eundem titulum pertinere apparet adeoque utrumque iungendum esse. — His positis fragmentisque ita recte separatis et uno aliquatenus expleto quae de iis adhuc prolatae sunt coniecturae magna ex parte sponte concidunt. Et in posteriore quidem titulo cum tale quiddam fuisse videatur: [*imp.*] *C*[*aes.*] . . . . *pon*[*tif. max.*] . . . . . [*a*] *ma*[*i*]*oribus* . . . . . [*res*]*tituto Ca*[*pitolio?*] . . . . . [*ob iusti*]*tiam ind*[*ulgentiam*] . . . . ., ut de Vespasiano fortasse cogitandum sit (nam Ancyrani locum 4, 9 huc non traxerim), extra dubium est eum alienum esse ab arcu, qui a. 16 Tiberio dedicatus est *ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici auspiciis Tiberii* (Tacitus ann. 2, 41). Prioris tituli fragmenta quidem duo maiora (I. III) reperta sunt eo ipso loco, quo arcus ille stetit (v. Iordan l. c. p. 262), et supplementa ab Henzeno proposita certe speciosa, scilicet III, 2 [*f*]*lumin*[*e*] vel [*f*]*lumin*[*is*] (collata inscriptione tropaei quod Germanicus statuit debellatis nationibus inter Rhenum et Albim teste Tacito ann. 2, 22), III, 4 [*signis*] *recip*[*eratis*]. Quod certe praestat Bergkii (p. 98) commentis vel eo nomine reiciendis, quod illum arcum Germanico dedicatum esse opinatur. Sed cum litterae fragmentorum eo saeculo indignae sint, etiam coniecturae per se probabiles missae faciendae sunt.

CAPVT XXX

LAT. 5, 44 Pannonio*rum gentes*, *qua*[*s a*]nte me principem populi Romani
45 exercitus nun|quam ad[*i*]*t*, *devictas per Ti.* [*Ne*]ronem, qui tum
46 erat privignus et legátus meus, | imperio po*puli Romani s*[*ubie*]ci
47 protulique finés Illyrici *ad* r[*ip*]am flúminis | *D*an[*u*]i. Citr[*a*] *quod*
[*D*]*a*[*cor*]*u*[*m tr*]an[*s*]gressus exercitus meis a[*u*]sp[*icis vict*]us pro-
48 fliga|tusque [*est, et*] *pos*[*tea tran*]s Dan[*u*]vium ductus ex[*ercitus*
49 *me*]u[*s*] *D*a[*cor*]um | gentes im[*peria populi Romani perferre coegit.*] |

GR. 16, 7 8 *Πανvονίων ἔθνη, οἷς πρὸ ἐμοῦ ἡγεμόνος στράτευ*|*μα Ρω-*
9 *μαίων οὐκ ἤγγισεν, ἡσσηθέντα ὑπὸ Τιβερίου* | *Νέρωνος, ὃς*
10 *τότ' ἐμοῦ ἦν πρόγονος καὶ πρεσβευτής,* | *ἡγεμονίᾳ δήμου*
11 *Ῥωμαίων ὑπέταξα* [§] *τά τε Ἰλλυρι*|*κοῦ ὅρια μέχρι Ἴστρου*
12 *ποταμοῦ προήγαγον· οὗ ἐπει*|*τάδε* (scr. *ἐπιτάδε*) *Δάκων*
13 *διαβᾶσα πολλῇ δύναμις ἐμοῖς αἰσίοις οἰω*|*νοῖς κατεκόπη.*
15 *καὶ ὕστερον μεταχθὲν τὸ ἐμὸν στρά*|*τευμα πέραν Ἴστρου τα*
14 *Δάκων ἔθνη προστάγματα* | *δήμου Ῥωμαίων ὑπομένειν ἠνάγ-*
κασεν|.

Lat. 46. 47 supplementum meum *finis Illyrici ad ripam fluminis Danuvii* lectio expleta ad verbum dedit; Bergkius ibidem scribi iussit *finis Illyrici usque ad fluvium Istrum domiti.* — Deinde *citra* vocabulum, quod antea iam ex Perrotiana lectione apud Hirschfeldium p. 260 Domaszewskius recuperarat, adhuc in lapide integrum fere superest; interceptis inter *citr* et *gressus* litteris c. unde-

viginti, quarum partem explent litterae a Luca servatae QVOD/A///V; iunctis his omnibus lectio procedit *citra quod Dacorum transgressus.* — Mox ubi posueramus ego *profligatus victusque est, profligatus caesusque* Bergkius, *fusus fugatusque* Domaszewskius, lapis iam dedit [*vic*]*tus profligatusque est.* — Versus finem *Danuvium* ubi scripseram, *Istrum* emendavit Bergkius transposuitque *meus exercitus*, sed utrumque lectio expleta redarguit.

Pannonios domuit Ti. Nero ab a. 742 ad a. 745; nam de hac expeditione cogitandum esse, non de rebellione Pannoniorum a. 759—762 et ex aliis indiciis apparet et inde maxime, quod hoc tempore Tiberius non privignus Augusti fuit, sed filius. Ipse Augustus antea bello Dalmatico u. c. 719. 720 Pannonios devicerat primus Romanorum. Legatum suum cum Augustus appellet Tiberium, apparet eum tum praefuisse Illyrico: quocum conferendum quod refert Dio 54, 34 Illyricum a. 727 senatui traditum propter hoc ipsum bellum Augusto permissum esse. Triumphum Tiberio ob hanc victoriam decretum (Dio 54, 31) verum est hoc tempore legatis concedi non solere; sed cum et sub Caesare dictatore et per proximos annos legati ad eum admissi essent, potuit et senatus privigno imperatoris nihilominus eum honorem deferre et Augustus triumphum quidem recusare, ovationem permittere (cf. *Staatsrecht* 1, p. 127). Eo tempore prolatos esse fines imperii Romani ad Danuvium diserte quod sciam nemo praeterea tradidit; immo Dio in oratione quadam (50, 24) Augustum primum dicit ad Danuvium accessisse expeditione Pannonica a. 720. Suetonius autem (Tib. 16) ad bellum Pannonicum a. 759 sq. refert *totum Illyricum, quod inter Italiam regnumque Noricum et Thraciam et Macedoniam interque Danuvium flumen et sinum maris Hadriatici patet, perdomitum et in dicionem redactum.* Nihilominus cum alterius belli Pannonici Augustus mentionem non faciat, verisimile fines imperii iure certe tum non esse prolatos. Ceterum Illyricum quomodo sub Augusto creverit, post bellum alterum divisum quoque in superius sive Dalmatiam et inferius sive Pannoniam, exposui in C. I. L. III p. 279. 415.

De Dacis sive Getis quae traduntur Augusti aetate non multa et perturbata, diligentius consideremus necesse est. Burebista rex[1]) eiusque adiutor deus Decaeneus Dacorum nationem reformarunt et constituerunt extremis liberae rei publicae temporibus: tempus cum non definiat Iustinus qui de ea re egit propter Bastarnarum expeditionem a. u. c. 575 (cf. Livius 40, 57) '*in excessu*' (prol. 32: *originesque Pannoniorum et incrementa Dacorum per Burobosten — rubobosten* codd. — *regem*), non recte definiat auctor parum fidus Iordanes (Get. 11, 67: *regnante Gothis Burcista, quo tempore Romanorum Sylla potitus est principatum*), veram aetatem indicat Strabo 16, 2, 39 p. 762:

[1]) De tempore quo vixit Burebista quae in priore editione posui non recte, et ego in historia Romana emendaram et diligenter executus est Zippelius: *die römische Herrschaft in Illyrien bis auf Augustus* (Lipsiae 1878) p. 217 seq.

τοιοῦτος . . . καθ' ἡμᾶς (id est post a. u. c. 690, cf. Niese in Hermae vol. 13 p. 33 seq.) *ὁ τῷ Βυρεβίστᾳ Θεσπίζων Δεκαίνεος* et 7, 3, 5 p. 298: *ὅτε Βυρεβίστας ἦρχε τῶν Γετῶν, ἐφ' ὃν ἤδη παρεσκευάσατο Καῖσαρ ὁ θεὸς στρατεύειν, Δεκαίνεος εἶχε ταύτην τὴν τιμήν* (dei scilicet) et 7, 3, 11 p. 303: *τῶν δὲ Γετῶν τὰ μὲν παλαιὰ ἀφείσθω, τὰ δ' εἰς ἡμᾶς ἤδη τοιαῦτα ὑπῆρξε. Βοιρεβίστας ἀνὴρ Γέτης ἐπιστὰς ἐπὶ τὴν τοῦ ἔθνους ἐπιστασίαν ἀνέλαβε κεκακωμένους τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ συχνῶν πολέμων καὶ τοσοῦτον ἐπῆρεν ἀσκήσει καὶ νήψει καὶ τῷ προσέχειν τοῖς προστάγμασιν, ὥστ' ὀλίγων ἐτῶν μεγάλην ἀρχὴν κατεστήσατο καὶ τῶν ὁμόρων τοὺς πλείστους ὑπέταξε τοῖς Γέταις. ἤδη δὲ καὶ Ῥωμαίοις φοβερὸς ἦν, διαβαίνων ἀδεῶς τὸν Ἴστρον καὶ τὴν Θρᾴκην λεηλατῶν* (cf. Sueton. Aug. 44: *Dacos qui se in Pontum et Thraciam effuderant*) *μέχρι Μακεδονίας καὶ τῆς Ἰλλυρίδος, τούς τε Κελτοὺς τοὺς ἀναμεμιγμένους τοῖς τε Θραξὶ καὶ τοῖς Ἰλλυριοῖς ἐξεπόρθησε, Βοίους δὲ καὶ ἄρδην ἠφάνισε τοὺς ὑπὸ Κριτασίρῳ καὶ Ταυρίσκους . . . ὁ μὲν οὖν Βοιρεβίστας ἔφθη καταλυθεὶς ἐπαναστάντων αὐτῷ τινων πρὶν ἢ Ῥωμαίους στεῖλαι στρατείαν ἐπ' αὐτόν.* Ad expeditionem contra Dacos Parthosque cum Caesar egressurus esset, interfectus est (Appianus b. c. 2, 110. 3, 25. 37. Illyr. 13; Sueton. Caes. 44, Aug. 8; Vell. 2, 59; Liv. 117; Drumann 3 p. 678); at in locum eius succedens filius sublatis coniuratis Sextoque Pompeio quam primum potuit, scilicet a. 719, Illyricum ingressus post devictos Pannonios Segestam sive Sisciam ad Savum propterea maxime dicitur occupavisse, ut inde aggrederetur Dacos et Bastarnas (Appian. Illyr. 22. 23). Timens autem sibi ab Antonio Cotisoni Getarum regi filiam Iuliam despondisse dicitur eiusque filiam rursus in matrimonium petiisse c. a. 720 (Suet. Aug. 63); quod Cotiso aspernatus (Frontin. strat. 1, 10, 4) Antonii partes secutus est (Dio 51, 22 cf. 50, 6). Eodem redit quod scribit Plutarchus Ant. 63 de Antonio: *καὶ γὰρ Δικόμης ὁ Γετῶν βασιλεὺς ὑπισχνεῖτο πολλῇ στρατιᾷ βοηθήσειν,* sive nomen corruptum est sive Cotisoni adiutorem eius praeterea ignotum scriptor substituit. Unde per bellum Actiacum timuerunt Itali homines non magis classem Aegyptiacam quam incursionem Dacorum, sicut apparet ex Vergilio in georgicis absolutis a. 724 (2, 497: *coniurato descendens Dacus ab Histro*), item ex Horatio in satura scripta c. a. 723 (2, 6, 53: *num quid de Dacis audisti?*) et in carmine (3, 6, 13) facto a. 726 (v. ad 4, 17): *paene occupatam seditionibus delevit urbem Dacus et Aethiops, hic classe formidatus, ille missilibus melior sagittis.* Devicto Antonio a. 724 sq. M. Crassus bellum gessit contra Dacos aliasque gentes finitimas (Dio 51, 23) triumphavitque a. d. IV non. Iul. a. 727 *ex Thraecia et Geteis* (tab. triumph.). Quo recte videtur rettulisse Lachmannus (apud Frankium fast. Hor. p. 240) locum Horatii in carmine (3, 8, 18) scripto c. a. 725: *occidit Daci Cotisonis agmen* (cf. carm. 2, 20, 17). Non desierunt tamen propter hanc victoriam Dacorum incursiones; nam in universum Florus 2, 28: *Daci*, inquit, *montibus inhaerent; inde Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu Danuvius iunxerat*

ripas, decurrere solebant et vicina populari et subinde rerum scriptores earum meminerunt, ut a. 738 (Dio 54, 20) et a. 744, quo expeditionem solitis magis formidolosam fecerunt, cum in eo esset ut Iani templum clauderetur, teste Dione (54, 36): *οἱ Δάκοι τὸν Ἴστρον πεπηγότα διαβάντες λείαν ἐκ τῆς Παννονίας ἀπετέμοντο.* Hic est sine dubio exercitus, quem Augustus in commentario scribit per bellum Pannonicum a. 742—745 transiisse Danuvium et victum esse in ripa dextra. Postea, ut idem Augustus ait, missus exercitus Romanus trans Danuvium Dacos domuit; cuius expeditionis meminerunt praeterea ni fallor Strabo Suetonius Florus Tacitus. Et Strabo quidem post supra relata sic pergit: *οἱ δὲ διαδεξάμενοι τὴν ἀρχὴν εἰς πλείω μέρη διέστησαν. καὶ δὴ καὶ νῦν, ἡνίκα ἔπεμψεν ἐπ' αὐτοὺς στρατείαν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ, εἰς πέντε μερίδας, τότε δὲ εἰς τέσσαρας διεστῶτες ἐνύγχανον. οἱ μὲν οὖν τοιοῦτοι μερισμοὶ πρόσκαιροι καὶ ἄλλοι' ἄλλοι* et post alia c. 12: *ἐπὶ τοσοῦτον ὑπὸ τοῦ Βοιρεβίστα τὸ ἔθνος ἐξαρθὲν ἐταπεινώθη τελέως ὑπό τε τῶν στάσεων καὶ τῶν Ῥωμαίων* et rursus c. 13: *αὐξηθέντες δ' οὖν ἐπὶ πλεῖστον οἵ τε Γέται οἵ τε Δακοί, ὥσιε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἐκπέμπειν [εἰς] στρατείας, νῦν ὅσον εἰς τέτταρας μυριάδας συνεσταλμένοι τυγχάνουσι καὶ ἐγγὺς μὲν ἥκουσι τοῦ ὑπακούειν Ῥωμαίων. οὕπω δ' εἰσὶν ὑποχείριοι τελέως διὰ τὰς ἐκ τῶν Γερμανῶν ἐλπίδας πολεμίων ὄντων τοῖς Ῥωμαίοις.* In ipsa Dacia bellum gestum esse inde maxime intellegitur, quod eodem Strabone teste copiae Romanis per Marisium amnem subvehebantur. Idem bellum tangit Suetonius (Aug. 21): *coercuit et Dacorum incursiones tribus eorum ducibus cum magna copia caesis*, scilicet tribus ex quattuor regibus populi quadripartiti. Florus deinde l. c. sic pergit: *visum est Caesari Augusto gentem aditu difficillimam summovere: misso igitur Lentulo ultra ulteriorem perpulit ripam; citra praesidia constituta. sic tum Dacia non victa, sed summota atque dilata est.* Addit 2, 29 eundem Lentulum Sarmatas prohibuisse a Danuvio. Tacitus denique ann. 4, 44, ubi scribit a. p. C. 25 obiisse Cn. Lentulum, eius memorat *consulatum et triumphalia de Getis* (*getes* liber), quam lectionem diu oblitteratam recte Nipperdeius revocavit. Intellegitur consul a. 740[1]) eumque probabile est expeditionem fecisse legatum Moesiae.

[1]) Consul a. 740 appellatur [*Cn. Cornel*]*ius Cn. f. Lentulus augur* in actis Arvalium p. XXXIX eumque Lentulum augurem dictum fuisse etiam in fastis Capitolinis excerpta (C. I. L. I p. 546) declarant; *Cn. Cornelius Cn. f. Lentulus* in indice consulari Dionis l. 54; *Cn. Cornelius* in laterculo consulari min. V et apud Dionem 54, 24; *Cn. Lentulus augur* apud Augustum mon. Ancyr. 3, 23, Senecam de benef. 2, 27, Suetonium Tib. 49 et in titulo Nysaeo C. I. Gr. 2943; *Lentulus augur* in titulo liberti Cn. Cornelii Albani C. IX, 3099; *augur Lentulus* apud Tacitum ann. 3, 52; *Cn Lentulus* in fastis Cassiodorianis et in titulis anni designandi causa C. I. L. I, 745. 747. X, 885. 886. 1938. Orell. 4714; quibus omnibus locis extra dubium est intellegi consulem a. 740. Eidem item attribuenda sunt quae de Cn. Lentulo Tacitus narrat 1, 27. 2, 32. 3, 68. 4, 29. 44. Nam recte nuper monuit Gustavus Zippel (*die Losung der konsularischen Prokonsuln.* Königsberg 1883. p. 9) quae de augure Lentulo ad a. p. C. 22 Tacitus 3, 52 refert, nullo modo dissociari posse a narra-

Eam legationem quando Lentulus obierit non traditur, cogitantque plerique hodie de anno 744; sed cum Augustus duas de Dacis victorias distinguat, priorem reportatam in dextra ripa Danuvii, quam supra rettulimus ad a. 744, posteriorem in partibus transdanuvianis, quae de Lentulo praeterea traduntur, omnino ad hanc referantur necesse est. Crediderim expeditionem eam Romanorum primam transdanuvianam a Lentulo factam esse a. 759, quo teste Dione (55, 30) tam Daci quam Sarmatae Moesiam infestarunt, cum utrumque populum Lentulus vicisse tradatur, et partem quodammodo fuisse belli Pannonici a. 759—761. Cum Lentuli expeditione fortasse coniunctum est quod aetate Strabonis (7, 3, 10 p. 303) Aelius Catus ex regionibus transdanuvianis Dacorum milia L in Thraciam transtulit; quod quamquam et ipsum quo anno evenerit ignoratur, certe factum est post a. 757 = p. C. 4, quo Catus fasces gessit. — Dacorum commotio facta extrema senectute Augusti a. 764, si fides Orosio 6, 22 (v. supra p. 81), certe magni momenti non fuit, sed ad incursiones illas pertinuit, quas Ovidius scribit eo tempore Tomis degens transdanuvianos populos saepe per hiemem instituere Danuvium frigore concretum transeuntes.

CAPVT XXXI

LAT. 5, 50 Ad me ex In[*dia regum legationes saepe missae sunt, numquam*
51 *antea visae*] | apud qu[*emquam*] R[*omanorum du*]cem. §

GR. 16, 16 17 *Πρὸς ἐμὲ ἐξ Ἰνδίας βασιλέων πρεσβεῖαι πολλάκις ἀπε|στά-*
18 *λησαν, οὐδέποτε πρὸ τούτου χρόνου ὀφθεῖσαι παρὰ | Ῥωμαίων ἡγεμόνι.* §

Bergkius quod pro priorum supplemento *principem* substituit *ducem*, lapis iam stabilit. Praeterea idem commendat omisso *saepe* ut scribatur *invisitatae ante id tempus*. Sed de talibus disputare taedet.

Pendet ex commentario Suetonius Aug. 21: *Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam populique R. petendam.* Compilarunt

---

tionibus eiusdem auctoris 4, 29 ad a. 24 de Cn. Lentulo *senectutis extremae* (eodem redit Dionis locus de Lentulo 57, 24) et 4, 44 ad a. 25 de Cn. Lentuli Getarum victoris obitu; denique quae de opibus paupertateve Lentuli auguris Seneca l. c. narrat, ab hoc Taciti loco colore magis quam re differre. Eidem homini reliqui quoque Taciti loci optime conveniunt, non solum quae habet de sententia a Cn. Lentulo in senatu dicta 2, 32 ad a. 16 et 3, 68 ad a. 22, sed item quae narrantur 1, 27 de Cn. Lentulo *aetate et gloria belli* insigni misso cum Druso in Illyricum ad seditionem sedandam; id enim Getarum victori imprimis convenit. Quod opposuit Nipperdeius hunc virum a Tacito nominari non potuisse nisi auguris addito vocabulo et constare ex actis Arvalium Lentulum augurem eo tempore quo Drusus in Illyricum ivit Romae moratum esse, illud quam infirmum sit, supra relata de consulatu testimonia declarant; hoc minime verum est: nam cum acta ea Lentulum augurem Romae morantem ostendant a. 14 diebus Mai. 14 et Dec. 15, iter Illyricum (per quod evenit lunae defectus d. Sept. 26: Tac. 1, 28) recte inter utrumque interponitur.

Suetonium Eutropius 7, 10 (inde Hieronymus in chron.); Rufius Festus brev. c. 19; Victor Caes. 1, 7 et epit. 1, 9, sed hi duo addunt Garamantes uterque, omnino ex Vergilio 6, 794, praeterea Victor ipse Bactrios, epitomator Aethiopes, item opinor abusi vocabulis Vergilianis. Florus 2, 34 (4, 12, 62): *et Scythae misere legatos et Sarmatae amicitiam petentes. Seres etiam habitantesque sub ipso sole Indi cum gemmis et margaritis elephantos quoque inter munera trahentes* (unde ab hoc inde tempore currus elephantorum in nummis comparet; v. Borghesi opp. 2, 96 seq.) *nihil magis quam longinquitatem viae imputabant, et iam ipse hominum color ab alio venire caelo fatebatur*; ubi item Seres adsciti sunt ex Horatii loco infra adlato. Auctor de viris ill. 79, 1: *Indi Scythae Sarmatae Daci quos non domuerat dona miserunt.* Venerunt teste Orosio (6, 21, 19) Indorum et Scytharum legati ad Caesarem Tarraconem a. 728 vel 729, teste Dione (54, 9) Indorum legati ad eum Samum a. 734, ut amicitiam perficerent antea nuntiatam (*προχειρισαμένοι πρότερον φιλίαν τότε ἐσπείσαντο δῶρα πέμψαντες ἄλλα τε καὶ τίγρεις* cet.). Regi Indorum, qui legatos hos misisset, nomen fuisse scribit Strabo (15, 1, 4 p. 686 et 15, 1, 73 p. 719) Poro vel secundum alios Pandioni, de mandatis muneribusque eius multa ad dens; Pandionem eum dicit Syncellus p. 589 ed. Bonn. (cf. Hieronymus ad a. Abr. 1991). Pori nomine significari gentem Paurava secundum Lassenum (*indische Alterthumskunde* vol. 3 a. 1858 p. 58), Pandionis nomen ad populum Indiae meridionalis Pandya revocari a Reinaudio (*relations politiques et commerciales de l'empire Romain avec l'Asie Orientale.* Parisiis 1863. p. 108) monuit collega et amicus A. Weber. Denique poetae aequales, ubi principis laudes canunt, Indos quidem celebrare coeperunt iam ex eo tempore, quo Aegypto capta Caesar Italis orientis imperium peperisse videbatur; quo spectat imprimis Vergilius in scriptis c. a. 724 georgicis 2, 170: *te, maxime Caesar, qui nunc extremis Asiae iam victor in oris imbellem avertis Romanis arcibus Indum* similique loco 3, 26 (cf. Aen. 6, 794. 8, 705), neque aliud in mente habuit Horatius in carminum libro primo (12, 56) edito a. 730 Caesarem praedicans *seu Parthos Latio imminentis egerit iusto domitos triumpho sive subiectos Orientis orae Seras et Indos.* At ad legationes illas sine dubio pertinet quod est in carmine saeculari (55. 56) scripto anno 737: *iam Scythae responsa petunt superbi nuper et Indi;* item in carmine (4, 14, 41) scripto anno 741: *te Cantaber non ante domabilis Medusque et Indus, te profugus Scythes miratur.*

LAT. 5, 51 52 Nostram am[*icitiam petierunt*] | per legat[*os Bac*]tarn[*ae Scythae*]-
53 que et Sarmatarum q[*ui sunt citra flu*]men | Tanaim [*et u*]ltrá reg[*es, Alba*]norumque réx et Hibér[*orum et Medorum*]. |

GR. 16, 18 19 *Τὴν ἡμετέραν φιλίαν ἠξίωσαν | διὰ πρέσβεων § Βαστάρναι*
20 *καὶ Σκύθαι καὶ Σαρμα|τῶν οἱ ἐπιτάδε ὄντες τοῦ Τανάιδος*
21 *ποταμοῦ καὶ | οἱ πέραν δὲ βασιλεῖς, καὶ Ἀλβανῶν δὲ καὶ*
22 *Ἰβήρων | καὶ Μήδων βασιλεες* (scr. *βασιλεῖς*). |

In universum cf. Suet. Aug. 21: *Quorundam barbarorum principes in aede Martis ultoris iurare coegit mansuros se in fide et pace quam peterent.* — Legationem Scytharum memorant una cum Indica Suetonius Florus Orosius auctor de viris illustribus, Sarmatarum Florus et auctor idem (v. ad 5, 50); reliquae alibi non nominantur. Sunt autem populi qui hic enumerantur transdanuviani omnes, recensiti ordine fere geographico. — Cum Bastarnis e regione Moesiae inferioris trans Danuvium degentibus bellum gessit a. 725 M. Crassus (Liv. ep. 134; Dio 51, 23. 24; Victor epit. 1, 7). — Scythae intelleguntur sine dubio qui fuerunt inter Danuvium et Borysthenem (cf. Boeckh C. I. Gr. 2 p. 82). — Sarmatas, quorum reges etiam titulus Olbiopolitanus C. I. Gr. 2065 commemorat, Augusti aetate utramque Tanais ripam tenuisse commentarius significat, quod accedit testimoniis collectis ab eodem Boeckhio l. c. p. 83; nam cum Strabo 2, 5, 30 p. 128 Sarmatas extendat usque ad Tanain et paludem Maeotin, tamen etiam intra Tanain et Caucasum eos posteriore quoque aetate habitavisse efficitur ex Tacito ann. 6, 33. Confirmat id Plinius adserens degere eos circa Tanaim (2, 108, 246. 6, 7, 19) ad Caucasum usque (6, 5, 16. 13, 40). Sarmatarum nomen cum ipsum apud poetas aequales non reperiatur, significari videntur sub nomine Gelonorum, quibus Graeca fabulatio locum circa Tanain adiudicavit ibidemque degere etiam Horatius innuit [1]). Gelonos et Vergilius recenset Aen. 8, 725 inter populos triumphi Actiaci et Horatius carm. 2, 9 fin. inter tropaea Augusti hoc quoque posuit *intra praescriptum Gelonos exiguis equitare campis*, similiterque in carmine 3, 8, 23 scripto circa tempus belli Actiaci *iam Scythae*, inquit, *laxo meditantur arcu cedere campis*, ut utroque loco significet terminum aliquem Sarmatis praescriptum esse, quem non excederent. *Tanais discors* denique in carmine eorundem annorum 3, 29, 28 fortasse cum eadem re coniunctus est. Certam interpretationem rerum scriptores non suppeditant; fieri potest, ut Crassus bello eo, de quo diximus, etiam cum Sarmatis tractarit et eiusmodi condiciones iis imposuerit. Ceterum interpretem recte monuit Bergkius p. 115 sic vertere debuisse: *Σαρματῶν τῶν ἐπιτάδε ὄντων τ. Τ. π. καὶ τῶν πέραν βασιλεῖς*. — Albanorum regem Pharnabazum. Hiberorum Zoberem vicit a. 718 Antonii auspiciis P. Canidius Crassus (Dio 49, 24); cum Augusto vel hos vel horum successores commercium habuisse nemo praeterea tradidit (cf. ad 6, 1). Testatur autem Strabo 6, 4, 2 p. 288 Romanos, ubi velint, dominos his quoque nationibus dare. — De Medis vide quae supra p. 109 seq. diximus.

---

[1]) carm. 3, 4, 35: *visam pharetratos Gelonos et Scythicum inviolatus amnem.* Scythae cum apud Vergilium modo ad Oxum (egl. 1, 65), modo ad Maeotidem (georg. 1, 349) referantur, ut eum cogitavisse appareat de universa Scythia tam Asiatica quam Europaea, apud Horatium et epitheta campestrium profugorumque et quod Tanain Scythicum amnem dicit, ad Europam ducunt, crediderimque apud hunc poetam magis quam Vergilium etiam in fabulosis verarum rerum memorem sub eo quoque nomine Sarmatas potissimum significari. Quod componuntur cum Dacis (carm. 1, 35, 9), Parthis (carm. 1, 19, 10. 4, 5, 25), Cantabris (carm. 2, 11, 1), propriam communionem nullam indicat.

CAPVT XXXII

LAT. 5, 51 Ad mé supp[*lic*]es confug[*erunt*] regés Parthorum Tírida[*tes et*
6, 1 *postea*] Phrát[*es*] || regis Phrati[*s filius*]; [§] Medorum [*Artavasdes*;
2 *Adiabenorum* A]rtaxa|res §; Britann[*o*]rum Dumnobellau[*nus*] *et*
3 *Tim*.....; [*Sugambr*]*orum* | Maelo; § Mar[*c*]omanórum Sueboru[*m* .....*rus*].

GR. 16, 23 24 *Πρὸς ἐμὲ ἱκέται κατέφυγον βασιλεῖς Πάρθων μὲν* | *Τειρι-*
17, 1 *δάτης καὶ μετέπειτα Φραάτης βασιλέως* § || *Φράτου* [*υἱός,*
2 *M*]*ήδ*[*ων*] *δὲ Ἀρταο*[*νάσδ*]*ης, Ἀδιαβ*[*η*]]*νῶν* [*Ἀ*]*ρτα*[*ξάρης, Βρι-*
3 *τα*]*ννῶν Δομνοελλαῦνος* | *καὶ Τ*[*ιμ*.....*, Σο*]*υ*[*γ*]*άμβρων*
4 [*M*]*αίλων, Μαρκο*|*μάνων* [*Σουήβων*] .....*ρος.* §

In Latinis 6, 1 inter MEDORVM et RTAXA spatium intercedit litterarum c. XXV, ut appareat hic quoque ante *Adiabenorum* spatium vacasse duarum c. litterarum. — 2 inter ET·TIM et ORVM spatium vacat litt. c. XVI, quarum duae circiter spatio dandae sunt ante *Sugambrorum*. — 3 inter SVEBORV et PARTHORVM spatium vacat litt. c. XIX, quarum item duae in spatium incidunt quod vacavisse verisimile est ante *ad me*. — In Graecis 17, 2 potius fuit *Βριτανν̃ων* quam *Βρεττανῶν*, cum supersit ΙΝΩΝ. — 3 inter Τ et Υ/ΑΜΒΡΩΝ deficiunt litterae XII vel XIII. — 4 inter ΜΑΝΩΝ et ΡΟΣ deficiunt litterae XIII vel XIV.

Phraates cum Antonium vicisset a. 718, *victoria insolentior redditus*, ait Iustinus 42, 5, *cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur ... hoc absente regem Parthi Tiridatem quendam constituerunt*. Similiter Dio 51, 18: *στασιασάντων αὐτῶν*, inquit, (*τῶν Πάρθων*) *καί τινος Τιριδάτου τῷ Φραάτῃ ἐπαναστάντος, πρότερον μὲν καὶ ἕως ἔτι τὰ τοῦ Ἀντωνίου καὶ μετὰ τὴν ναυμαχίαν ἀνθεστήκει, οὐχ ὅσον οὐ προσέθετό τῳ αὐτῶν συμμαχίαν αἰτησάντων, ἀλλ' οὐδὲ ἀπεκρίναιο ἄλλο οὐδὲν ἢ ὅτι βουλεύσεται, πρόφασιν μὲν ὡς καὶ περὶ τὴν Αἴγυπτον ἀσχολίαν ἔχων, ἔργῳ δὲ ἵν' ἐκπυχωθεῖεν ἐν ἰσύῳ μαχόμενοι πρὸς ἀλλήλους*. Eo tempore, scilicet ante captam Alexandream (a. 724 Aug. 1), Tiridatem regnavisse apud Parthos, sed timuisse sibi a Phraate expulso eiusque adiutoribus factis Scythis significat Horatius carmine 26 libri primi, quod eo fere tempore factum esse aliunde constat[1]), securum se esse cum ibi contendit *quis sub arcto rex gelidae metuatur orae, quid Tiridaten terreat*, eodemque pertinet quod idem ait in carmine 3, 8 scripto a. fere 725: *Medus infestus sibi luctuosis dissidet armis*: nam non recte aliquando negavi hic sub Medorum nomine Parthos significari, cum id vocabulum ea significatione semper (cf. praesertim carm. 3, 5, 9) apud poetam

[1]) Id Frankius in fastis Horatianis p. 165 cum ad a. 729 rettulisset, monuit Lachmannus in auctario eorum p. 239 aliquot annis ante scriptum videri propter rationes metricas. Adsensus ei quem de ea re interrogavi Kiesslingius adiecit ipsum poetam verbis *fontibus integris* et *fidibus novis* significare carmen esse inter prima eius generis a se scripta.

usurpetur et turbae internae apud ipsos Medos urbanorum hominum sermocinationem vix magnopere movere potuerint. — Vere mox Tiridatem rursus expulit Phraates. *Phrahates*, Iustinus scribit, *cum magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur . . (Tiridates) audito adventu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispania bellum tum temporis gerentem profugit, obsidem Caesari minimum filium Phrahatis ferens, quem neglegentius custoditum rapuerat.* Dio post supra relata: *τότε δὲ ἐπειδὴ ὅ τε Ἀντώνιος ἐτελεύτησε καὶ ἐκείνων ὁ μὲν Τιριδάτης ἡττηθεὶς ἐς τὴν Συρίαν κατέφυγεν, ὁ δὲ Φραάτης κρατήσας πρέσβεις ἔπεμψε, τούτοις τε φιλικῶς ἐχρημάτισε καὶ τῷ Τιριδάτῃ βοηθήσειν μὲν οὐχ ὑπέσχετο, διαιτᾶσθαι δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ἐπέτρεψεν, υἱόν τέ τινα τοῦ Φραάτου ἐν εὐεργεσίας μέρει παρ' αὐτοῦ λαβὼν ἔς τε τὴν Ῥώμην ἀνήγαγε καὶ ἐν ὁμηρείᾳ ἐποιήσατο.* Horatius quoque in carm. 2, 2 inter beatos referri vetat *reddítum Cyri solio Phrahaten.* Illae duorum auctorum relationes cum non omnino concordent, fortasse in summa re utraque vera est[1]). Credemus Dioni Tiridatem eiectum a. 724 exeunte in Syriam ad Romanos confugisse neque tamen ad ipsum Augustum eo tempore morantem in Asia (ibi enim eum hiemen a. 724/5 exegisse Dio paullo ante scribit ibique magis quam Sami consulatum a. 725 iniit, cf. Suetonius Aug. 26). Benigne Augustum Phraati respondisse neque Tiridatis causam aperte contra eum suscepisse idem sine dubio recte tradidit; sed vere eum in amicitiam cum rege non rediisse cum ex universo rerum statu colligitur signis amissis nequaquam restitutis (vide supra p. 111) tum ex ipso eo, quod Augustus Tigranem in Syria degere iussit, sine dubio eo consilio, ut inde motus in vicina Parthia pergeret excitare. Et videtur vere Tiridates in regnum Phraatis hostiliter ingressus esse eoque spectare

[1]) Nummi Parthici per hos annos signati cum magna ex parte annum mensemque enuntient, regum tempora recte stabilirent, nisi nomen Arsacis in omnibus idem esset, tituli fere iidem et in sola faciei diversitate iudicium verteretur. Qui postremus quaestionem tractavit Percy Gardner (*the Parthian coinage.* Londinii 1877 p. 42 seq.) cum nummos Phraatis huius comprehendat inter a. Sel. 276 = u. c. 717/8 et Sel. 289 = u. c. 730/1, per eosdem annos duo capita diversa in nummis deprehendisse sibi visus est, alterum unius anni Sel. 280 (mensium Artemisii Dystri Daesii) = u. c. 721/2, alterum a. 285 (mensis Daesii) = u. c. 726/7; sed tamen Phraatis quoque nummi qui creduntur esse reperiuntur inter eosdem terminos cusi. Aliter Longperierius (*mémoires sur la chronologie des rois Parthes Arsacides* p. 54 seq.) nummos ordinat, iudicans cerni in iis a. 276 = u. c. 717/8 caput Phraatis, a. 279 = u. c. 720/1 Tiridatis, a. 280 = u. c. 721/2 rursus Phraatis, a. 285. 286 = u. c. 726/8 iterum Tiridatis, a. 287 = u. c. 728/9 denuo Phraatis. In rerum memoria non invenitur quod impediat, quominus nummos a Phraate alienos, sed per regni eius tempora cusos ad Tiridatem referamus, et possunt sane per hos annos vel eodem tempore, in diversis scilicet regni partibus, duo reges certantes nummos cudisse. Sed quam incertis fundamentis coniecturae illae nitantur, ipsa earum diversitas satis declarat. In nostro museo qui adservantur horum annorum nummi, scilicet a. 285. 286. 287 aliique complures cum anni nota oblitterata aut ea destituti, unam solam faciem omnes videntur habere, nimirum Phraatis.

quod scribit huius aevi auctor Isidorus Characenus mansionum Parthicarum c. 1 (cf. Müller in praef. vol. 1 geogr. min. p. LXXXII): *νῆσος κατὰ τὸν Εὐφράτην ... ἐνταῦθα γάζα ἦν Φραάτου τοῦ ἀποσφάξαντος τὰς παλλακίδας, ὅτε Τηριδάτης φυγὰς ὢν εἰσέβαλεν.* Quod si uxores Phraates tum interemit, ne a Tiridate caperentur, non absimile veri est hac ipsa incursione hunc filio eius potitum esse, quem teste Iustino neglegentius custoditum rapuit. — Ad id ipsum fortasse spectat quod hoc loco Augustus scribit confugisse ad se Phraatem regis Phraatis filium. Eius nominis unus tantum notus est, scilicet is qui cum fratribus tribus obses a patre missus est Romam c. a. 745 (v. p. 140) et post annos plus quadraginta a. p. C. 35 Parthis regem petentibus a Tiberio redditus (Tac. ann. 6, 31; Dio 58, 16). At de adventu eius a. 745 hoc loco cogitari nequit; neque enim contigit tum ad Augustum nec rationem haberet ex quattuor fratribus unum nec natu maximum (Tac. ann. 2, 2) ita nominari, cum praesertim paullo post data opera de obsidibus regiis agatur. Filius autem Phraatis natu minimus quem a Tiridate Romanis traditum esse modo diximus, cum quo nomine fuerit ignoretur, nihil impedit, quominus idem fuerit, itaque ad eius adventum priorem hunc locum rettulerim. Ita convenit quod scribit Augustus Phraatem filium venisse ad se post Tiridatem. Sane alia non conveniunt: nam secundum auctorum narrationem puer hic regis filius fuit, non rex Parthorum, nec confugit ad Augustum, sed vi raptus ad eum adductus est, ut mittam eum ita rediisse in patriam fere septuagenarium, quod vere difficultatem non habet. At Tiridates raptum ita tegere potuit, ut puerum perhiberet sponte Caesari se tradere; potuit fortasse, cum praesertim ipsi ius in regnum hereditarium nullum esset (Tiridatem quendam, *τινὰ* auctores eum dicere vidimus), cum puero eo regnum spondere sese communicaturum esse. Quae si ita ad Augustum referebat, potuerunt vel adeo debuerunt haec ab Augusto ita narrari ut factum est. — Diversam viam ingressus Bormannus coniecit Phraatem hunc eum esse, quem Iosephus (ant. 18, 2, 4) et Dio (supra p. 113 not. 3) Phraatacem appellant, regis Phraatis filium nothum et successorem; nam duo nomina eiusdem fere significationis commutari potuisse et quae de exitu Phraatacis Iosephus narrat (*σιάσει περιελαθεὶς πρότερον ἢ φῦναι μέγας ἐξέπιπτε τῶν πραγμάτων καὶ οὕτω θνήσκει*) cum fuga ad Augustum posse conciliari. Mihi haec coniectura etiam audacior videtur quam supra proposita temeraria sane et ipsa. Nam nomina propria quamquam idem significent, apud Parthos non magis quam apud Romanos permutari Eduardus Sachau collega de ea re interrogatus respondit. Deinde rex Parthorum legitimus, qualis sine dubio Phraataces fuit, Romanorum per complures annos adversarius si Romanis se dedidisset, id opinor non ignoraremus. — Ad tempus quod attinet, differunt omnino Dio et Iustinus, sed ut facile concilientur. Nam ut fugae Tiridatis annum Dio recte tradidit, ita de eius profectione ad Augustum cum filio Phraatis Iustinum potius sequemur, secundum quem Tiridates ad Caesarem venit *in Hispania bellum tum temporis gerentem*, id est anno 728 vel

729; profectio enim Parthi in Hispaniam cum vix inter commenta auctorum ablegari queat, proclivi errore Dio ad Tiridatis in Syria moram pueri traditionem adnectere potuit. Denique quae postea facta sunt, Iustinum recte narravisse ostendunt. Nam a. 731 Phraates ad Caesarem legatos misit, ut servum suum Tiridaten filiumque sibi restitueret, Tiridates autem ipse Romam venit orans ut regnum Parthorum sub maiestate populi Romani sibi permitteretur; disceptataque ea re in senatu Caesar filium Phraati remisit ea lege, ut signa amissa sibi restitueret, Tiridatem retinuit (Dio 53, 33; Iustin. l. c.). Eam Parthorum legationem non multo post pueri abductionem missam esse consentaneum est. Deinde secuta est a. 734 Augusti expeditio Syriaca (supra p. 112) signorumque restitutio a Parthis facta (supra p. 124), liberorum regis Parthorum traditio c. a. 745 (infra p. 141), eorundem restitutio denegata Phraataci c. a. 750 (l. c.), Armenia a Parthis quodammodo occupata et expeditio propterea suscepta a C. Caesare a. 753 (supra p. 113, infra p. 143), Vonones rex Parthorum Roma arcessitus c. a. 759 (infra p. 143).

De rege Medorum Artavasde supra egi p. 110.

Adiabenorum Artaxares nunc demum prodit expletis Graecis. *Albanorum* ego conieceram; Bergkius primum verum invenit, deinde eo reiecto *Moschorum* dedit. Adiabeni eo tempore suos reges habuerunt (Plutarchus Lucull. 26. 27; Strabo 16, 1, 19 p. 745; Iosephus ant. 20, 1, 2; Tacitus ann. 12, 13 cet.); ceterum res et homo ignorantur.

Britannorum non tres reges nominantur Dumno, Bellaunus, Tim . . . . . , sed duo Dumnobellaunus et Tim . . . . . Nam post DVMNO quamquam Perrotus punctum posuit, vere non interpungitur; praeterea si tres viri nominarentur, copula necessario post *Dumno* inserenda esset, quam neque Latinum exemplum recipit neque Graecum. — Paravit Augustus Britannicam expeditionem vel certe credebatur parare a. 720, in Galliam eius rei causa profectus, sed mox reversus propter bellum Dalmaticum (Dio 49, 38). Rursus paravit per a. 727 et 728, sed tum quoque Gallia non excessit (Dio 53, 22. 25). Itaque carmina per hos annos scripta plena sunt triumphi futuri Britannici. Sic in georgicis absolutis a. 724 Vergilius Caesari inter alia optat (1, 30), ut ei *serviat ultima Thule* et 3, 25 in scaena in honorem eius paranda ut *purpurea intexti tollant aulaea Britanni*, Horatius eodem tempore vel paullo antea in epodon 7, 7 vota fecit, *intactus Britannus ut descenderet sacra catenatus via*, carmen autem 1, 35 ob ipsam illam expeditionem a. 727/8 videtur composuisse sic ibi Fortunam interpellans: *serves iturum Caesarem in ultimos orbis Britannos*, eiusdemque temporis in carmine alio 3, 5 item ait: *praesens divus habebitur Augustus adiectis Britannis imperio gravibusque Persis* (cf. carm. 1, 21, 15. 3, 4, 33. 4, 14, 48). Post id tempus Augustus omnem Britannicae expeditionis cogitationem abiecisse videtur, sed principes quosdam ex insula sponte eum adiisse Strabo significat scribens paucis post obitum eius annis 4, 5, 3 p. 200: *νυνὶ μέντοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι*

πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπετωλίῳ καὶ οἰκείαν σχεδόν τι παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον, disserens deinde de causis, cur insula non in provinciae formam redigatur. — Duorum regum Britannorum, quos princeps ait supplices ad se confugisse, alter *Dumnobellaunus* sive, ut est in exemplo Graeco, *Δομνοελλαῦνος*, non solum propter nominis formam componi potest cum notis principum Gallicorum nominibus *Dumnorix* et *Cassivellaunus*, *Vercassivellaunus* (cf. propter formam vocabuli Zeuss gramm. Celt.[2] p. 87. 856), sed extant nummi cusi in Britannia meridionali inscripti *Dubnovellaunos*, quos periti ad Augusti aetatem revocare et huic ipsi regulo attribuere non dubitarunt. Nam quod tertia littera apud Augustum ex *b* facta est *m*, similiter vocabulum quod Latine effertur *Dumnorix* id ipsum esse videtur quod invenitur in nummis Gallicis *Dubnorex* (Duchalais *descr. des méd. Gaul.* p. 112; Zeuss l. c. p. 20) et *Cogidubnus* tituli Britannici (C. VII, 11) *Cogidumnus* est Taciti (Agric. 14). Edidit eos post alios Ioh. Evans *the coins of the ancient Britons* (Londinii 1864) p. 198 seq. tab. 4 n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12; quorum exemplorum duo n. 6 et 8 infra repetivi adiecto tertio paullum diverso



nuper comparato a museo nostro. In eo nummi variant quod septimum elementum aut E est aut II; praeterea modo LL scribitur, modo L, in nostro autem elementa ea deficiunt. Evans, qui recte nummos composuit cum hoc loco monumenti Ancyrani, aureorum eius regis duo genera observat cusa esse, alterum reperiri in regione Kent tantummodo, alterum in regione Essex, ut utramque rex tenuisse videatur et duobus locis simul nummos feriendos curavisse. Hos simillimos esse nummorum regis Cunobelini, qui obiit c. a. 40 p. C., et proximum ante hunc regnasse videri Dumnobellaunum. — Alterius regis Britanni, quem Augustus ad se confugisse scribit, nomen imperfectum accepimus, nempe cum litterae ad id pertinentes numero fuisse videantur Latinae c. IX, Graecae c. XI, primas tres in Latino exemplo TIM fuisse Chishullius auctor est, qui unus eas servavit, in Graecis non superest nisi prima T. Comparavit

Evansius (l. c. p. 159) nummos inscriptos *Tinc . . . .*[1]) *Commi f(ilius)*, repertos praesertim in regione Sussex, potestque fortasse defendi in lapide Ancyrano superfuisse TIN et postremam litteram fractam errore pro M acceptam esse. Sed in eiusmodi re satius est abstinere a coniecturis.

De Maelone sic Strabo 7, 1, 4 p. 291 bella enarrans Augusti contra Germanos: *ἤρξαντο δὲ τοῦ πολέμου Σούγαμβροι πλησίον οἰκοῦντες τοῦ Ῥήνου, Μέλωνα ἔχοντες ἡγεμόνα;* item p. 292 narrat in triumpho Germanici ductum esse Deudorigem Melonis fratris filium Sugambrum. A Sugambris cum Usipetis et Tencteris Romanis illata est clades Lolliana a. 738 (Dio 54, 20; Velleius 2, 97; Suetonius Aug. 23); deinde pacem fecerunt (Dio l. c.; Horat. carm. 4, 2, 36. 14, 51 addito Frankio fast. Hor. p. 208; Propert. 5, 6, 77), sed cum rebellassent a. 742, deinceps a Druso eoque mortuo a Tiberio saepius victi (Dio 54, 32. 33. 36) debellati tandem a. 746 (Dio 55, 6; Vell. 2, 97) et in Galliam traducti sunt. Suetonius Aug. 21: *Suebos et Sigambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit.* Tib. 9 (inde Orosius 6, 21, 24; Eutropius 7, 9): *Germanico* (bello) *quadraginta milia dediticiorum traiecit in Galliam iuxtaque ripam Rheni sedibus adsignatis collocavit.* Tiberius apud Tacitum ann. 2, 26 (cf. 12, 39) scribens ad Germanicum *se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse, sic Sugambros in deditionem acceptos.* Strab. 7, 1, 3 p. 290. Vict. epit. 1, 7. Probabile est quam fugam ad se regis eorum Maelonis Augustus appellat, eam ab deditione a. 746 non esse diversam.

Postremo loco quem intrusit Bergkius Maroboduum abusus loco Strabonis 7, 1, 3 p. 290, eum iam expellit lectio expleta; eadem autem monstravit non de pluribus diversorum populorum regibus hic cogitandum esse, ut cogitaram ego, sed unum intellegi regem Marcomanorum Sueborum. Sueborum notum est non unam gentem fuisse, sed propriis nationibus nominibusque eos discerni (verba sunt Taciti Germ. 38), itemque Marcomanos fuisse ex Suebis (Tacitus ann. 1, 44. 2, 62 al.). Nihilo minus mirum est hoc vocabulum adici, tamquam in populo notissimo determinatione aliqua opus esset vel ab errore cavendum. Sed ubi scribis *Suebisque*, vide ne in difficultates incidas non solum graviores, sed plane insuperabiles. Ad regis nomen quod attinet, quod constet litteris Latinis c. VIII, Graecis c. IX, finiat in *rus*, Muellenhoffius admonuit loci Taciti Germ. 42: *Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus.* Sed admonuit item Tudrum hunc Quadum fuisse neque apud vetustos auctores Marcomanos Quadosque confundi. Nec numerus litterarum is est quem lapis requirit.

[1]) Nomen perscriptum nummi non suppeditant; nam TINCOM, quod in quibusdam invenitur, ad vocabulum explendum vix recte adhibetur, cum magis sit *Tin . . . Com . . . .* filii vocabulo omisso, et incerta admodum coniectura Evansius ad eundem regem rettulit nummum inscriptum . . . . *mmios*, nomen ex utraque lectione efficiens *Tincommius*.

LAT. 6, 3 4 [*Ad me rex*] *Parth*orum | Phrates Orod[*i*]s filius filiós suós
5 nepot[*esque omnes misit*] *in Ital*iam, non | bello superátu[s], sed
6 amicitiam nostram per [*liberorum*] *suorum* pignora | petens. §
GR. 17, 4 5 [*Πρὸ*]ς ἐμὲ *βασιλεις* (scr. *βασιλεὺς*) | *Πάρθων Φρα*[*άτης Ὡρώ-*
6 *δο*]*υ υἱὸ*[*ς υ*]*ἱοὺς* [*αὐτοῦ*] *υἱω*|*νούς τε πάντας ἔπεμψεν εἰς*
7 *Ἰταλίαν, οὐ πολέμῳ* | *λειφθείς, ἀλλὰ τὴν ἡμ*[*ε*]*τέραν φιλίαν*
8 *ἀξιῶν ἐπὶ τέ*|*κνων ἐνεχύροις.*

Expleta lectio quaedam emendavit, quae cum ad rerum memoriam non perveniant, iis non immoror, nec magis minoris momenti mutationibus a Bergkio commendatis. — Gr. 5 ambitus hiatus requirit ut scribatur *Φραάτης*, non *Φράτης*.

Phraates misit ad Augustum filios quattuor legitimos Seraspadanem Rhodaspem Vononem Phraatem cum eorum uxoribus duabus filiisque quattuor, ut et obsides essent et turbis domesticis subtraherentur (Strabo 16, 1, 28 p. 748, cf. 6, 4, 2 p. 288; Iustin. 42, 5, 12; Vell. 2, 94; Tacit. ann. 2, 1; Oros. 6, 21, 29; Sueton. Aug. 21. 43), vel, ut alii referunt, ut ne nothi filii Phraatacis successionem impedirent (Ioseph. ant. 18, 2, 4). Patre mortuo Phraataces fratres ut sibi remitterentur frustra ab Augusto c. a. 750 petiit (Dio fragm. Ursin. 39, vide supra p. 113 adn. 3). Horum duo primi Romae diem obierunt (C. VI, 1799 = Orell. 628), Vononem Parthis petentibus Augustus remisit (cf. 6, 9), Phraatem Tiberius (cf. p. 137). — Liberos regis Parthorum hodie viri docti fere consentiunt traditos esse Romanis a. 734, non aliam ob causam quam quod plerique auctores Iustinus Strabo Velleius Orosius narratae Tiberii a. 734 expeditioni obsidum traditionem subiungunt. de tempore tamen, quo haec facta sit, tacentes (nam cavendum ab interpolata lectione apud Velleium 2, 94, ubi pro corrupto vocabulo *cuius* omnino reponendum est cum Ruhnkenio aliisque *quin*, non cum Haasio *tum*), ut non impediant testes, quominus traditio expeditionem a. 734 post aliquot annos demum subsecuta sit. Et de loco quidem Liviano, propter quem Zumptius eos statuit Romam venisse a. 744, veriora supra (p. 124 adn.) docuimus. At flagitat aliquod intervallum non solum, quod Iosephus narrat 18, 2, 4 paelicem Phraatis Thermusam (quam volunt esse Musam reginam nominatam in nummis Arsacidarum; v. Longpérier *Arsacides* p. 75), ut suo filio Phraataci successionem pararet, a marito obtinuisse, ut legitimos filios Romam mitteret (*πείθει οὖν αὐτὸν ἐκπέμπειν εἰς Ῥώμην ἐφ' ὁμηρείαν τοὺς γνησίους παῖδας*), unde hoc certe efficitur eam missionem cum redditione signorum nullo modo coniunctam fuisse, sed multo magis quod Strabone teste regii liberi traditi sunt non Tiberio, sed Titio Syriae eo tempore legato (l. c.: *Φραάτης καλέσας εἰς σύλλογον Τίτιον τὸν ἐπιστατοῦντα τότε τῆς Συρίας*). Inter eundem Titium Syriae legatum et Archelaum regem Cappadociae Iosephus ant. 16, 8 fin. refert Herodem controversias diremisse paullo ante quam Romam proficisceretur. Hoc tertium est Herodis iter Romanum, de cuius tempore non satis constat; secundum vero cum susceptum sit a. 712,

hoc Norisius (cenot. Pis. p. 157. 302) rettulit ad a. 746, Sanclementius (de aerae vulg. emend. p. 338) ad a. 744 et circa hoc tempus evenerit necesse est. At M. Titii administratio Syriae si referenda est ad a. circiter 746, fieri non potest, ut liberos regios acceperit a. 734; nam per duodecim annos eundem hominem Syriae praefuisse, quod statuit Sanclementius (l. c. p. 330 sq.), secundum ea, quae de Augusti provinciarum administratione accepimus, minime probabile est. Nummi deinceps quicumque celebrant signa recepta captivosque redditos, numquam cum iis obsides regios componunt. Contra videndum num huc spectet nummus (Eckhel 6, 110; Cohen Aug. n. 174—176) aetatis aliquanto posterioris, scilicet propter inscriptum *imp. XIIII* cusus inter a. 746 et 755 (v. p. 15), in quo cernitur vir chlamyde vestitus Augusto in suggestu sedenti puerum offerens. Interpretationi quae sponte se offert hic repraesentari Phraatem liberos tradentem et tempori quoque apta est, obstat sane quod vestitus viri tradentis non est sollemnis Parthorum; at non magis recte opinor Eckhelius Germanum eum esse contendit, cum repraesentetur non certi populi vestitus ullus, sed deorum heroumque specie vir praeterea nudus chlamydem umero gestet. Maxime autem movet non tam quod regem exterum nullum liberos ad Augustum misisse memoriae traditum est praeter Phraaten, nam id ipsum etiam reguli alii Germani vel Britanni facere potuerunt nec quicquam de ea re annalibus nostris contineri, sed quod a solida Augusti magnificentia abhorret similem traditionem nummis concelebrari factam ab aliquo ex regia plebe. Videtur igitur huius nummi caelator non tam de Partho cogitasse quam de extraneo et hoc maxime secutus esse, ut togae opponeretur chlamys. Similiter omnino, ut observavit Iulius Friedlaender, in nummis Traiani inscriptis *regna adsignata* et *rex Parthus* (Cohen Trai. n. 324. 329) reges exteri et in his Parthus brevem chlamydem solam gestant. — Denique quod Horatius iocatur: *invenior Parthis mendacior* in epistula (2, 1, 112) scripta c. a. 741, aptius opinor quam ad perfidiam belli Crassiani referetur ad discidium quoddam post reddita signa inter Augustum et Phraatem natum et sopitum deinde obsidibus liberis missis (v. quae exposui in Hermae vol. 15 p. 106).

LAT. 6, 6 Plúrimaeque aliae gentes exper[*tae sunt p. R.*] *fide*m me prin-
7 |cipe, quibus anteá cum populo Roman[*o nullum extitera*]t
8 legationum ¦ et amícitiae [*c*]ommercium. § |

GR. 17, 8 9 *Πλεῖστά τε ἄλλα ἔθνη πεῖραν ἔλ*[*α*]|*βεν δήμου Ῥωμαίων*
10 *πίστεως ἐπ' ἐμοῦ ἡγεμόνος,* | *οἷς τὸ πρὶν οὐδεμία ἦν πρὸς*
11 *δῆμον Ῥωμαίων π*[*ρε*]*σ*|*βειῶν καὶ φιλίας κοινωνία*|.

Lat. 6 inter *exper* et *fidem* cum desiderentur litterae non plus x, posui *p. R.*, sane invitus. — Item 7 cum hiatus absorbuerit litteras c. XVI, quod posueram *nullum intercedebat* nimium est, quod Bergkius *nullum fuerat*, non sufficit. Quod dedi, suasit Wilamowitzius.

Certam huius loci interpretationem rerum memoria non suppeditat. Cf. tamen 5, 16. Bergkius laudat verba Strabonis 4, 5, 3 p. 200 de Britannis supra relata p. 138.

CAPVT XXXIII

LAT. 6, 9 A me gentés Parthórum et Médóru[*m per legatos*] principes
10 eárum gen|tium régés pet[*i*]tós accéperunt Par[*thi Vononem regis*
11 *Phr*]átis fílium, | régis Oródis nepótem; § Médi Ar[*iobarzanem*]
12 regis Artavazdis fi|lium, regis Ariobarzanis nep[*otem*]|.

GR. 17, 12 13 *Παρ' ἐμοῦ ἔθνη Πάρθων καὶ Μήδων διὰ πρέσβεων τῶν | παρ'*
14 *αὐτοῖς πρώτων βασιλεῖς αἰτησάμενοι ἔλαβ[ον]* | *Πάρθοι*
15 *Οὐονώνην βασιλέως Φράατου υ[ἱ]όν, βασιλ[έω]ς* | *Ὠρώδου*
16 *υἱωνόν· Μῆδοι Ἀριοβαρζάνην βα[σ]ιλέως* | *Ἀρταβάζου υἱόν,*
βασιλέως Ἀριοβαρζάν[ου υἱω]νόν|.

Auget splendores scriptor iusto ulterius: nam Parthi Medique Augustum adierunt non tam ut sibi reges constitueret, quam ut redderet eos quibus regnum hereditatis iure evenisset forte Romae degentes. In erroris consortium deinde traxit Suetonium Aug. 21: *Parthi pluribus quondam de regno concertantibus nonnisi ab ipso electum probaverunt.* Post excessum Phraatis, qui rex factus a. 717 (Dio 49, 23; dona igitur Iulius Caesar ei mittere non potuit, ut narrat Iosephus ant. 18, 2, 4, potuit Augustus) ad a. certe 745 superfuit (v. ad 6, 3), regumque qui illum exceperunt Phraatacis, quocum C. Caesar a. 754 in Euphratis insula congressus est (Dio 55, 10*a*; cf. Velleius 2, 101), et Orodis (Iosephus ant. 18, 2, 4), Parthos regem Vononem filium Phraatis natu maximum ab Augusto expetivisse narrant Iosephus ant. 18, 2, 4 et Tacitus ann. 2, 1); annum non adscribunt[1]), multique (ita Clinton fasti Rom. 2, 240) Vononis reditum ad initia Tiberii rettulerunt, quoniam Tacitus haec ad a. 16 exponit; at ex monumento Ancyrano apparet eum regem creatum esse imperante Augusto. Non absimile veri est legationem Parthorum, quae mandatis Augusto Romae redditis Tiberium quoque in provincia adire iussa est (Sueton. Tib. 16), hanc ipsam esse; quod si ita est, Parthi Vononem regem arcessiverunt inter a. 757 et 759. Accuratiora docuerunt nummi; scilicet cum extent nummi anni 317 = u. c. 758/9 verisimiliter Orodis, certe non Vononis, qui aliter atque supra dicti reges praeter solitam inscriptionem *βασιλέως βασιλέων Ἀρσάκου εὐερ-*

[1]) In nummis horum regum cum annus enuntietur, nomina non differant, lubricum est ex sola figurae diversitate eos annos recte distribuere et ita quo quisque anno rex factus sit determinare. Temptaverunt rem Longpérier l. c. p. 82. 83 et Percy Gardner *the Parthian coinage* (pars est v operis *the international numismata Orientalia* editi Londinii 1877) p. 44 seq. p. 62. Secundum hunc nummi extant cum effigie Phraatis IV a Gorpiaco a. 276 = u. c. 717 ad Hyperberetaeum a. 289 = u. c. 730; cum effigie Phraatacis a Gorpiaco a. 310 = u. c. 752 ad Hyperberetaeum a. 315 = u. c. 756; Orodis II a. 317 = u. c. 758.

γέτου δικαίου ἐπιφανοῦς φιλέλληνος in his quoque Romanum usum secutus suum nomen ad caput adscripsit *βασιλεὺς βασιλέων Ὀνώνης*, nummi annos exhibent 320 = 761/2 et 322 = a. u. c. 763/4 (Gardner *Parthian coinage* p. 46. 62). Itaque regnare coepit inter a. 759 et 761. Sed brevi tempore in regno permansit testibus Tacito l. c.: *Artabanus, Arsacidarum e sanguine apud Dahas adultus excitur primoque congressu fusus reparat vires regnoque potitur* et Iosepho 18, 2, 4: *παραχρῆμα* (Parthi) *δὲ ἐκάλουν Ἀρτάβανον Μηδίας βασιλεύοντα* (vide supra p. 117), *γένος Ἀρσακιδῶν· πείθεται δὲ Ἀρτάβανος καὶ μετὰ στρατιᾶς ἔπεισιν. ὑπαντιάζει δὲ αὐτῷ Βονώνης, καὶ τὸ μὲν πρῶτον συμφρονήσαντος αὐτῷ τοῦ πλήθους τῶν Πάρθων παραταξάμενος νικᾷ, καὶ φεύγει πρὸς τοὺς ὅρους τῆς Μηδίας Ἀρτάβανος· μεῖ' οὐ πολὺ δὲ συναγαγὼν πολλὴν στρατιὰν συμβάλλει τε Βονώνῃ καὶ νικᾷ, καὶ Βονώνης εἰς Σελεύκειαν ἀφιππάζεται σὺν ὀλίγοις τοῖς περὶ αὐτόν. Ἀρτάβανος δὲ .... πρὸς Κτησιφῶντα μετὰ πλήθους ἀναχωρεῖ. κἀκεῖνος μὲν ἐβασίλευεν ἤδη Πάρθοις, Βονώνης δ' εἰς Ἀρμενίαν διαπίπτει.* Vononis victoriae, a qua bellum coepit, testes sunt etiam nummi eius cum inscriptione *βασιλεὺς Ὀνώνης νεικήσας Ἀρτάβανον* anno non adscripto (Longpérier l. c. p. 91); at anno fere 764 vel 765 eum devictum esse ab Artabano et expulsum inde efficitur, quod post a. 322 eius nummi nulli reperiuntur. Ipso eo nummi incipiunt solo Arsacis nomine signati et capite diverso, scilicet Artabani victoris[1]).

De Mediae regibus quae exponenda fuerunt, composuimus in commentario de rebus Armeniacis ad 5, 24 p. 109 seq.

CAPVT XXXIV

LAT. 6, 13 Ín consulátú sexto et septimo, b[*ella ubi civil*]ia exstinxeram
14 | per consénsum úniversórum [*potitus rerum omn*]ium, rem publi-
15 cam | ex meá potestáte [§] in senát[*us populique Romani a*]rbitrium
16 transtulí. | Quó pro merito meó senatu[*s consulto Aug. appe*]l-
17 látus sum et laureís | postés aedium meárum v[*estiti publice*
18 *coronaq*]ue civíca super | iánuam meam fíxa est [§] [*clupeusque*
19 *aureu*]s in [*c*]úriá Iúliá posi|tus, quem mihi senatum [*populumque*
20 *Romanu*]m dare virtutis cle|m[*entia*]e iustitia[*e pietatis causa tes-*
21 *tatum*] est pe[*r e*]ius clúpei | [*inscription*]em. § Post id tem[*pus*
22 *praestiti omnibus dignitate, potes*|*t*]atis au[*tem n*]ihilo ampliu[*s*
23 *habui quam qui fuerunt m*]ihi quo|que in ma[*gis*]tra[*t*]u conlegae. |

[1]) Anno 322 inscripti nummi Artabani mensem non enuntiant, Vononis autem mensis sunt Hyperberetaei, qui anni Parthici extremus videtur fuisse. Nam mansisse apud eos vetus systema lunisolare efficitur ex mense embolimaeo etiam sub Flaviis imperatoribus retento teste nummo citato apud Gardnerum p. 56, itaque verisimile est universam ordinationem vetustam ibi mansisse.

GR. 17, 17 18 *Ἐν ὑπατείᾳ ἕκτῃ καὶ ἑβδόμῃ μετὰ τὸ τοὺς ἐνφυ|λίους ζβέ-*
19 *σαι με πολέμους* [*κ*]*ατὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐ|μῶν πολε*[*ι*]*τῶν ἐν-*
20 *κρατὴς γενόμενος πάντων τῶν* | *πραγμάτων, ἐκ τῆς ἐμῆς ἐξ-*
21 *ουσίας εἰς τὴν τῆς συν|κλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων*
22 *μετήνεγκα* | *κυριήαν. ἐξ ἧς αἰτίας δόγματι συνκλήτου Σε-*
23 24 *βαστὸς* | *προσ*[*ηγορε*]*ύθην καὶ δάφναις δημοσίᾳ τὰ πρόπυ*|*λ*[*ά*
18, 1 *μου ἐστέφθ*]*η, ὅ τε δρύινος στέφανος ὁ διδόμενος* ‖ *ἐπὶ σω-*
2 *τηρίᾳ* (sic) *τῶν πολειτῶν ὑπερά*[*ν*]*ω τοῦ πυλῶ*|*νος τῆς ἐμῆς*
3 *οἰκίας ἀνετέθη, § ὅπ*[*λ*]*ον τε χρυ*|*σοῦν ἐν τῷ βο*[*υ*]*λευτηρίῳ*
4 *ἀνατεθ*[*ὲ*]*ν ὑπό τε τῆς* | *συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥω-*
5 [*μα*]*ίων διὰ τῆς* | *ἐπιγραφῆς ἀρετὴν καὶ ἐπείκειαν* (sic) *κα*[*ὶ*
6 *δ*]*ικαιοσύνην* | *καὶ εὐσέβειαν ἐμοὶ μαρτυρεῖ. § Ἀξιώμ*[*α*]*τι*
7 [§] *πάντων* | *διήνεγκα,* [§] *ἐξουσίας δὲ οὐδέν τι πλεῖον ἔσχον*
8 | *τῶν συναρξάντων μοι.* |

Hunc locum temptatum olim a Chishullo, deinde meliore eventu a Borghesio (dec. num. 13, 7 opp. 2, 109. 114) et post Graeca inventa retractatum ab eodem (Gerhard *arch. Zeitung* 1844 p. 212 = opp. 7, 118) diligenter feliciterque, sed ut remanerent vel sic complura incerta, ita fere ut supra legitur ope praesertim exemplaris Perrotiani ego constitui in editione priore, nec multum tum remansit recognitione emendandum vel supplendum. — Lat. 13 *p[ostquam bella civili]a exstinxeram* quod ante edebatur spatium excedit capax litt. XIII. Prima littera cum possit fuisse et P et B, posui *b[ella ubi civili]a exstinxeram*, quamquam displicet et transpositio et plusquamperfectum. Quod suggesserunt amici *b[ella civilia qu]ia exstinxeram* haec ut evitat, ita a Graecis nimium recedit nec per se commode procedit. — 16 propter hiatum litterarum non plus XVIII coactus scripsi *Aug.*; nam id vocabulum etsi ubi pro honore magis est quam pro nomine, item ubi sequitur filius similiave, legitime fere tribus litteris scribitur, ad hunc locum id non pervenit. Sed potest faber in eo compendio admittendo errasse. — 17 deficiunt elementa c. XXIV. — 20 *causa* ego, *ergo* Bergkius. Inter PE et IVS spatium intercedit duabus litteris vix satis expletum, potestque ibi fuisse *illius*. — Graeca 17, 17. 18 emendantur lectione expleta neque attinet iam ante facta temptamina referre. — 20 *rem publicam* omisit interpres. — 18, 6 ante ἀξιώματι neque μεθ' ἃ est quod Kirchhoffius, neque εἶτ', quod Bergkius inseruit.

Videamus de singulis et primum quidem de reddita re publica. Qua de re maximi momenti testimonia quae praeterea extant graviora certe hoc quoque loco componenda fuerunt, quamquam de eadem re item a me dictum est alibi (comm. acad. reg. Berol. a. 1863 p. 178 n. 2 in commentario de elogio Turiae; *Staatsrecht* 2 p. 723 seq.). Inter ea primarius est nummus ex genere cistophorum (Eckhel 6, 83; Pinder in actis acad. Berol. a. 1855 p. 579 tab. 2, 4), in quo est ab una parte *imp. Caesar divi f. cos.* VI (a. 726) *libertatis p. R. vindex* adscriptum capiti Caesaris laureato, ab altera *pax* adscriptum deae

Paci stanti taedam pedibus calcanti et sinistra tenenti caduceum; adstat solita in his nummis cista cum serpente. Elogium Turiae (C. I. L. VI, 1527) scriptum c. a. 750*b* 25: *pacato orbe terrarum, restituta re publica.* Hyginus de limit. p. 177 Lachm.: *divus Augustus [postquam] adsignavit orbi terrarum pacem, milites colonos fecit.* Fasti Praen. ad Ian. 13 (C. I. L. I p. 384): *corona quern[a uti super ianuam domus imp. Caesaris] Augusti poner[etur senatus decrevit, quod rem publicam] p. R. rest[i]tui[t].* Ovidius fast. 1, 589 item ad Ian. 13: *redditaque est omnis populo provincia nostro et tuus Augusto nomine dictus avus.* Velleius 2, 89: *Finita vicesimo anno bella civilia* (705—724), *sepulta externa, revocata pax . . . restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum . . . . prisca illa et antiqua rei publicae forma revocata.* Cf. Liv. epit. 134; Cassiodor. chr. ad a. 727. Vides aetatis Augustae auctores Romanos plane ut facit ipse Augustus rem ita narrare, quasi vere tum rem publicam reddiderit; solus Strabo, quippe qui Graecis maxime scriberet, liberius sic enuntiat non rerum speciem, sed ipsam rem (17, 3, 25 p. 840): *ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ* (Augusto) *τὴν προστασίαν της ἡγεμονίας καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος διὰ βίου.* At qui postea scripserunt, praeter Tacitum, de quo infra videbimus, tantum abest, ut ab eo anno libertatem populi Romani denuo coepisse statuant, ut inde regnum computent. *Ἐκ τούτου,* Dio ait (52, 1), *μοναρχεῖσθαι αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο.* Suetonius (Aug. 28): *de reddenda re publica*, inquit, *cogitavit . . . . post oppressum statim Antonium, memor obiectum sibi ab eo saepius, quasi per ipsum staret ne redderetur . . . sed reputans et se privatum non sine periculo fore et illam plurium arbitrio temere committi, in retinenda perseveravit.* Ubi scriptor ceteroquin diligens, sed in minimis maxime, in utramque partem graviter peccat: nam de ipsa vi et potestate imperii deponenda Caesar ne cogitavit quidem, de reddenda extraordinaria potestate non solum cogitavit, sed eam vere populo reddidit, contentus ex eo inde tempore magistratibus sibi delatis et praeterea principis dignatione. Nec multo melius Dio post victoriam Actiacam Caesarem inducit deliberantem de forma rei publicae constituendae cumque Agrippa causam tueatur liberae rei publicae, Maecenas regni, huic eum facit adsentientem; deinde in biennio a. 726. 727 enarrando multa quidem ponit, quae vere pertinent ad rem publicam redditam, sed summam rei eo concludit Caesarem exoratum a senatu rem publicam retinuisse (53, 11). Vere res ita peracta est. Rei publicae constituendae potestas Caesari primum permissa est a. 711 lege Titia in quinquennium, deinde continuata in alterum quinquennium vel potius sine termino certo lege de ea ra nulla lata post a. 711 (Appian. b. c. 5, 95); quod quo iure factum esse videatur, alibi quaesivi (*Staatsrecht* 1, 671). Neque obscure significat Augustus in commentario potestatem illam extraordinariam non lege se obtinuisse, sed rerum omnium potitum esse *per consensum universorum*, sive, ut recte vertit interpres, *κατὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολειτῶν.* Nam qui consentiunt, non decernunt, sed probant lau-

dantque, et semper opponuntur decretum eorum, apud quos rerum potestas est, et consensus eorum, quorum ius continetur in plaudendo aut querendo[1]). Reddidisse Augustum rem publicam non uno actu, sed continuo biennio a. 726. 727 praeter ipsum etiam Dio significat, neque aliter fieri potuit: reddendi enim erant populo exercitus provinciae magistratus reditusque (*τὰ ὅπλα καὶ τὰ ἔθνη καὶ αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ χρήματα* Dio 52, 13. cf. 53, 4. 9. 10.). Pertinet ad rem publicam redditam, quod de consulatu a. 726 Dio adnotavit (53, 1) Caesarem secundum consuetudinem antiquam alternis mensibus fasces tradidisse collegae Agrippae et abeuntem magistratum ciuravisse. Pertinet eodem ni fallor censura post annos quadraginta duos tum resuscitata. Vel maxime eo pertinet eorum quae per bella civilia contra ius legesque constituta erant abolitio edicta, quo terminus hisce constitutus est ipse annus septingentesimus vicesimus sextus (Tacitus ann. 3, 28: *sexto demum consulatu Caesar Augustus potentiae securus quae triumviratu iusserat abolevit deditque iura, quis pace et principe uteremur.* Dio 53, 2: *ἐπειδὴ πολλὰ πάνυ .... καὶ ἀνόμως καὶ ἀδίκως ἐτετάχει, πάντα αὐτὰ δι' ἑνὸς προγράμματος κατέλυσεν, ὅρον τὴν ἔκτην αὐτοῦ ὑπατείαν προσθείς.* Cf. *Staatsrecht* 2, 723 not. 4). Sed longe gravissimum maximumque erat negotium provinciarum omnium cum suis exercitibus senatui restituendarum, cuius restitutionis de Asia provincia testis est nummus supra citatus in ipsa Asia cusus cum inscripto anno 726. Id ipsum enuntiant verba poetae, quorum post Merkelium (prol. ad fast. p. LX) male temptatorum (C. I. L. I p. 384) hodie me paenitet, die Ian. 13 scilicet anni 727 populo omnem provinciam redditam esse, plane ut Dio 53, 9 loquentem inducit Caesarem a. 727: *ἀποδίδωμι ὑμῖν καὶ τὰ ὅπλα καὶ τὰ ἔθνη.* Scilicet Asiam provinciam cum reddidisset a. 726, universam restitutionem perfecit die indicato. Quae omnia non tantum coepta et oblata, sed perfecta esse depositoque extraordinario rei publicae constituendae arbitrio deinceps se solos magistratus iure communi sibi delatos obtinuisse ipse sollemni hac et postuma testatione testatum esse voluit, maxime ubi ait post a. 727 dignitate se quidem omnibus praestitisse, potestatis autem nihil amplius habuisse quam haberent in unoquoque magistratu collegae. Nec refragatur rerum memoria vera. Nam cum ad a. usque 727 provincias populi Romani obtinuisset et omnes simul

[1]) Ita in nummo (Eckhel 6, 126) statuam repraesentante Augusto post mortem positam cum scribitur *consensu senat(us) et eq(uestris) ord(inis) p(opuli)q(ue) R(omani)*, significatur eam positam esse non senatus consulto neque lege, sed ab omnibus ordinibus aere sponte collato. Similiter explicandum quod legitur in nummis Vitellii et Vespasiani *consensus exercituum* (Cohen Vit. 23, Vesp. 77) et in nummo Vitellii *consensus Hispaniarum* (Cohen Vit. 29); item verba elogii Murdiae (C. VI, 10230): *ut ... post decessum consensu civium laudaretur* et maxime decreti Pisanorum (Orell. 623): *placere conscriptis quae a. d. III nonas Apriles* (quo die cum magistratus non essent decretum fieri non potuit) .... *facta acta constituta sunt per consensum omnium ordinum, ea omnia ita fieri.* In titulis municipalibus persaepe opponitur decreto decurionum consensus, voluntas, postulatio cet. populi plebisve: exempla quaedam composui C. I. L. vol. X p. 1157.

nec tempore praefinito, primum universas senatui reddidit, deinde partem earum, nimirum eas quae deinceps Caesaris dici coeptae sunt, ita recepit, ut ad decennium iis praeesset loco proconsulari, ut si non vere, certe non sine specie veri dici posset iam Augustum iure non differre a ceteris viris consularibus, qui a senatu provinciam obtinuissent. Similiter in reliquis quoque Augustus post depositum extraordinarium rei publicae constituendae arbitrium, id est post finitum triumviratum, contentum se ait fuisse iure ordinario, ut item antea (Gr. 3, 17) testatus est nullum magistratum contra patrios mores gerere se voluisse et propterea curam legum et morum ter sibi oblatam ter repudiasse. Et vere id Augustus contendit; sed tamen, ne nimium dixisse videamur, accuratius paullo res definienda est et moderatione quadam adhibita temperanda. Nam vel ex sola lege de imperio Vespasiani constat non solum plerisque legibus plebive scitis exceptum fuisse, ne Augustus iis teneretur, sed etiam Augusto lege licuisse foedus facere, cum quibus vellet, senatum eum habere potuisse cum vellet ne legitima quidem edictione observata, in magistratibus creandis eorum, quos suffragium ferentibus Augustus commendasset, iure extra ordinem rationem habendam fuisse, denique ius potestatemque ei fuisse agere facere quaecumque divinarum humanarum publicarum privatarumque rerum ex usu rei publicae esse censuisset; quod ius apte concluditur definitione Gaiana (1, 5) *numquam dubitatum esse, quin id quod imperator decreto vel edicto vel epistula constituisset, legis vicem obtineret.* Imperium hoc licet nec re nec tempore nec loco finitum et extraordinarium vel maxime, nihilo minus applicatum quodammodo ad imperia ordinaria Augusto mandata iure ab iis pependit. Nimirum Augustus legibus solvebatur non omnibus, sed iis quibus opus fuit, ita cum ei data est proconsularis potestas in certis quibusdam provinciis, lege ea, ne proconsul in urbe moraretur neve extra provinciam constitutus provinciae praeesset, item cum tribuniciam potestatem accepit, ea, ne patricius homo in subsellio tribunicio consideret. Item cum ad populum ferretur, ut ius ei esset pacis bellique, cuius legis mentionem facit Strabo, et privilegiis, quae supra ex lege de Vespasiano attulimus, aliisque similibus ut uteretur, Augustus nihilominus adseverare potuit extraordinarium ius se habuisse triumvirum, postea ordinario iure se usum esse, scilicet posteriore tempore nullam iam potestatem se habuisse, quae sua vi et natura extraordinaria esset; potestates sibi mandatas nomine ordinarias ita crevisse clausulis adiectis, ut legitimam potestatem haberet reliquis magistratibus omnino maiorem et a potestate triumvirali eo tantum diversam, quod sine nomine esset, non negat, immo ait ipse alibi (Gr. 3, 19 sq.) significans posteriore tempore si qua extra ordinem sibi perficienda essent, ea peregisse se ope tribuniciae potestatis. Iisdem fere verbis Tacitus (ann. 1, 1. 2) posteriorem imperii partem respiciens Augustum scribit consulem se ferentem et tribunicii iuris specie paullatim insurrexisse muniaque senatus magistratuum legum in se traxisse, denique nomine principis cuncta sub imperium accepisse. Ita auctor

gravis et prudens cavit sibi tam a mendaci aequalium obsequio, quasi vere Augustus a. 727 libertatem populi Romani restituerit, quam a posteriorum sollemni errore, quasi eo tempore dominationem palam proclamarit.

Principis vocabulo Augustus in legibus titulisque abstinuit, ut debuit, cum magistratui nulli responderet, sed ad suum locum indicandum et hic id adhibuit et alibi 2, 45. 5, 44. 6, 6. Confirmat idem *principis iuventutis* denominatio non sine idonea causa pueris, quibus imperium destinabatur, et attributa et reservata, id quod supra iam p. 57 observavimus adlato loco memorabili decreti Pisanorum, ubi queruntur C. Caesarem Augusti filium *ereptum populo Romano iam designat[um i]ustissumum ac simillumum parentis sui virtutibus principem.* Scriptores quoque aetatis Augustae et Tiberianae principis vocabulo similiter utuntur, imperatoris autem ibi maxime, ubi agitur de re militari. Tiberius adeo in ipsis titulis non raro hoc nomine appellatur (*princeps optimus*: C. I. L. VI, 902. 904 = Henzen 5393; *optimus ac iustissimus princeps*: C. I. L. VI, 93 = Orell. 25; *princeps et conservator*: Orell. 617 = C. I. L. II n. 2038), nec multum ab eo afuisse videtur, ut hanc appellationem legitimam faceret et sollemnem, identidem dictitans (Dio 57, 8) dominum se esse servorum, imperatorem militum, principem civium (cf. *Staatsrecht* 2 p. 750).

De Augusti nomine Caesari imposito a. 727 Ian. 16 (is enim verus dies videtur esse) dixi in C. I. L. vol. I p. 384. Agunt de ea nominis mutatione praeter fastorum Praenestinorum et Ovidii locos modo relatos feriale Cumanum (C. I. L. X, 8375); Livius ep. 134; Cassiodorius chron. ad a. 727; Florus extr.; Oros. 6, 20, 8; Velleius 2, 91; Suetonius Aug. 7; Censorinus de die nat. 21, 8; Dio 53, 16.

Triduo ante quam de Augusti nomine fasti Praenestini aiunt decretum factum esse de domo eius lauris coronaque in perpetuum exornanda; annum praeter commentarium testantur nummus aureus (Eckhel 6, 88; Cohen Aug. 30), in quo ab altera parte legitur *Caesar cos. VII civibus servateis*, ab altera cernitur aquila alis expansis coronae insistens inter duas laurus adscripto supra *Augustus*, infra *s. c.*, et Dio 53, 16 ad a. 727: *τό τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύινον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι τότε οἱ ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι ἐψηφίσθη.* Ipsam ianuam proponit nummus L. Caninii Galli (Cohen Aug. 385) cum corona super eam suspensa adscripto hinc inde *ob c(ives) s(ervatos)* adpictis lauris duabus. Coronam laurusque coniungunt nummi alii, modo inter laurus duas collocantes coronam cum adscriptione *ob civis servatos*, ut visitur in aureo L. Aquillii Flori (Cohen Aug. 356) et passim in sestertiis aeneis (Cohen Aug. 341 cet.), modo ab altera parte exhibentes laurus duas, ab altera coronam quernam circumcludentem verba *ob civis servatos* (Cohen Aug. 206). Alii rursus laurus solas proponunt (Cohen Aug. 13—18 et adiuncto clupeo n. 50) vel solam coronam cum adscriptione solita (Cohen Aug. 207—212. 301. 426. 476—478. 482). Auctores et maxime poetae orna-

menta haec domus Augustae, quae deinceps perpetua manserunt tamquam Palatii insignia, passim memorant[1]). Ad coronam *super ianuam, ὑπεράνω τοῦ πυλῶνος* fixam, ut ait princeps ipse, collocatamque ita in domus fastigio (Suetonius Claud. 17; Seneca de clem. 1, 26, 5) rettulerim aquilam in nummo a. 727 ei coronae insistentem. Nam fastigium sive aetoma, quo aedes deorum a privatis distinguebantur, ut Caesari (cf. Drumann 3, 666 n. 33), ita omnino Augusto quoque decretum est et fortasse simul cum corona, potuitque aetoma in nummo recte repraesentari per aquilam. Inscriptionem autem *ob civis servatos* vere lectam esse iuxta vel potius intra coronam testes sunt praeter nummos Ovidius trist. 3, 1, 47: *causa superpositae scripto testata* (sic deteriores, *testante* libri boni) *coronae servatos cives indicat huius ope* et Valerius Maximus 2, 8, 7: *ad quercum pronae manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes Augustae domus sempiterna gloria triumphant.* — Lauris quomodo domus ornata sit, quaeritur, scilicet utrum corollis laureis postes exornati fuerint an arbores duae ad duos postes steterint; id quod etiam pervenit ad verba commentarii explicanda. Nam quaeritur, quod vocabulum ad *postes* adscriptum fuerit; *velati* priorum vel *umbrati* Cavedonii quamquam vix ulli iam probabuntur, tam *c[incti]*, quod ego proposui, quam *c[estiti]*, quod Bergkio placuit, ab egregia Augusti simplicitate aliquantum abhorret, aptius tamen quod esset vocabulum frustra quaesivi. Deinde iure dubitari potest, utrum *laureis* a laurea sit an a *lauro*, quoniam Augustus raro quidem, sed tamen aliquoties ablativum secundae in *eis* formavit. Et potest quidem videri priori opinioni patrocinari, quod antiqua consuetudine Romani festis diebus aedium postes lauro ornabant laurumque super ianuam collocabant (Iuvenalis 6, 52: *necte coronam postibus.* 6, 79: *ornentur postes et grandi ianua lauro.* 10, 65. 12, 91; Tacitus ann. 15, 71 al.); sed aliud est aedes festo die ornare, aliud in perpetuum. Nummi numquam postes sertis ornatos ostendunt, sed ramos arboresve pingunt, nusquam tamen infixas vasculo vel solo, ut videantur duae arbores utrimque ad ianuam stetisse recisae et subinde mutandae. Etiam quod Tertullianus apolog. 35 de Commodi nece agens intra Palatium occisi de iis loquitur *qui inter duas laurus obsident Caesarem*, secundae sententiae melius convenit, idemque valet de poetarum dictis, ut Ovidii fast. 4, 953: *state Palatinae laurus praetextaque quercu stet domus* et metam. 1, 562 laurum adloquentis: *postibus Augustis eadem fidissima custos ante fores stabis mediamque tuebere quercum* et maxime trist. 3, 1, 39: *cur tamen opposita velatur ianua lauro, cingit* (immo *iungit*, ut coniecit Hauptius opusc. 1, 125) *et Augustas arbor opaca comas?* — Eadem omnino quaestio redit de regia, cuius ianuam notum est k. Martiis uniuscuiusque anni lauris veteribus sublatis novis ornatam esse (Ovidius fast. 3, 137).

---

[1]) Cf. Suetonius Tib. 26, Claud. 17 quaeque collegit Reimarus ad Dionis verba supra citata. Etiam in latere postico tituli, quem Remi Neroni dedicaverunt (Brambach C. I. Rhen. 164), cernitur corona querna cum inscriptione O · C · S., modo ne sit interpolata.

Lauros perpetuas decretas esse Augusto utpote semper victori sine dubio recte Dio tradidit, fortasse ad ipsum senatus consultum de ea re factum, neque aliter Ovidius trist. 3, 1, 41 post quaesita supra posita pergit: *an quia perpetuos meruit domus ista triumphos*? quamquam ut solet alia subicit: *an quia Leucadio semper amata deo est*? *ipsane quod festa est an quod facit omnia festa*? *quam tribuit terris pacis an ista nota est*? — Coronae autem quernae decernendae causam qui scripsit fastos Praenestinos ad Ian. 13 si quidem vere significavit fuisse provinciarum restitutionem, minus proprie rem explicavit. Nam non solum Dio, sed ipsa verba ad coronam adscripta significant eam Augusto decretam esse *ob civis servatos*, quae est coronae eius vetusta lex (Marquardt *Staatsverwaltung* 2, 557), idque ipsum significavit Graecus interpres vertens *τὸν δρύϊνον στέφανον τὸν διδόμενον ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολιτῶν* (cf. Plinius h. n. 16, 4, 8: *Augustus coronam civicam a genere humano accepit*; Seneca de clem. 1, 26, 5). Scilicet decreti sunt honores hi, postquam Augustus in senatu exposuit id ipsum quod supra (1, 14) sic per compendium rettulit: *arma terra mari et interna externaque toto in orbe terrarum se sustinuisse victoremque omnibus superstitibus civibus pepercisse*. Eo sane, quod vitam civium Augustus non proelio servavit, sed post victoriam clementia, ab antiqua severitate hic senatus recessit, non longius tamen quam fecit L. Gellius cum dixit in senatu coronam civicam Ciceroni deberi ob vitam civium providentia eius salvam (Cicero in Pis. 3, 6; Gellius 5, 6, 15). Neque de ea re umquam dubitatum est. Sed coniecit Borghesius (opp. 2, 110) adstipulante nuper Salleto nostro (*Zeitschrift für Numismatik* 9 p. 177) cum honorem oblatum Caesari a. 727 eidem ex Oriente Romam redeunti a. 735 Oct. 12 propter cives captivos recuperatos a Parthis repetitum auctumque esse. Nam ad hunc annum notare Cassiodorium: *Caesari ex provinciis redeunti currus cum corona aurea decretus est, quo ascendere noluit;* in nummis autem triumvirum c. a. 735 L. Aquillii Flori M. Durmii P. Petronii Turpiliani coronam conspici ab ea quae cernitur in aureo a. 727 diversam, nimirum vittas in ima parte, supra vero rosam habentem itaque omnino factam ex metallo et in capite gestam. Vereor tamen, ne in hac re errarit vir doctissimus eademque corona intellegenda sit tam in aureo a. 727 et in sestertiis aeneis, qui coeperunt c. a. 739 (*röm. Münzwesen* p. 743), aliisque compluribus nummis quam in nummis triumvirum supra dictorum, vittaque et rosa, sive gemma ea est, ob eam causam solam in nummo a. 727 et aliis quibusdam deficiat, quod ibi corona proponitur forma minore et parum apta accessionibus illis recipiendis, vel omnino quod faber eam minus plene et accurate repraesentavit. Compara inter alios cum nummo illo Turpiliani (Cohen Aug. 476) alterum n. 205, in quo propter laurus alteri parti incisas extra dubium est coronam aedibus appensam significari, videbisque in utraque pariter et gemmam adesse et lemniscos. Id ipsum efficitur ex inscriptione *ob civis servatos* etiam a triumviris illis usurpata; nam ea ut coronae appensae apta est, ita in capite gestae minime convenit. Praeterea ne

ea quidem corona, quae a. 727 in domo Palatina collocata est, cum perpetua esset, fronde seri potuit, sed ex metallo facta sit necesse est, neque omnino corona eiusmodo cogitari posse videtur sine vittis quae ramos ligent. Deinde cives, quos liberavit Augustus a. 734, propie dicuntur non *servati*, sed *recepti* vel, ut est in nummo (Eckhel 6, 101), *recuperati*. Denique corona aurea cum curru decreta, cuius memoriam servavit Cassiodorius, longe rectius iungetur cum triumpho tum Augusto destinato (v. ad 1, 22); itaque laurea potius decreta est quam querna. Id autem quod maxime Borghesium videtur movisse, coronam decretam a. 727 multo saepius cerni in nummis provectae aetatis principis quam eius temporis, quo decreta est, eo videtur redire, quod posterioribus annis Augusti magistratus monetales ipsam domum Augustam repraesentabant vel potius significabant hoc suo tamquam insigni coronae quernae laurorumque (vide quae exposui in Salleti ephemeride supra citata vol. 11 p. 78).

De clupeo denique, Graecis *ὅπλῳ* (vide Salmas. ad vitam Claudii c. 3 Stephanianumque thesaurum s. v.), scriptores tacent, meminerunt lapides nummique. Potentiae in Piceno prodiit nuper titulus (C. I. L. IX, 5809 = Henzen 5361), in quo sub nomine dedicantis vel potius dedicantium *Primus Marc . . . VIvir. Au[g.]* cernuntur Victoriae duae sustinentes clupeum sic inscriptum: *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) Augusto dedit clupeum virtutis [c]le[men]ti[ae ius]t[itiae pietatis causa]*, ut optime restituit Borghesius (in ephemeride archaeologica Gerhardi a. 1844 p. 242 = opp. 7, 418). De nummis, qui eundem clupeum habent (Cohen n. 50—53. 213—216. 253. 264—267. 283. 286—297. 332), egerunt Eckhel (6, 121) et Borghesius (opp. num. 2, 112 et apud Gerhardum l. c.). Cernitur in iis ab una parte caput Augusti modo nudum modo laureatum cum inscripto nomine *Augustus* vel *Caesar Augustus* vel *Augustus divi f.* (n. 253); ab altera parte exhibetur clupeus modo columnae impositus et a Victoria advolante coronatus (n. 288—291), modo sustentatus a Victoria volante (n. 283. 286. 287) gradienteve (n. 253. 332), modo sine Victoria, interdum nulla re praeterea addita (n. 292. 293. 294. 297), interdum adstitutis duabus lauris (n. 50—53) vel duabus palmis (n. 295) vel corona querna cum adscriptione *ob cives servatos* (n. 213—216 cf. 296). Inscriptio autem quae legitur aut in clupeo aut ad clupeum, saepe etiam ex parte inscripta, ex parte adscripta, eadem semper est S · P · Q · R · CL · V (CL · V deficit n. 283. 297), id quod recte opinor interpretatus est Borghesius *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) cl(upeum) v(irtutis)*. Nummorum horum ut quidam clupeum iungunt cum lauris et corona querna simul decreta, ita in aliis (Eckhel 6, 95; Cohen Aug. n. 264—267 cf. 268) clupeus cernitur cum eadem adnotatione S · P · Q · R · CL · V inter aquilam signumque militare cum adscriptione *signis receptis*. Cernitur item in nummo L. Mescinii Rufi cuso u. c. 738 vel 739 (Cohen Aug. n. 465; cf. Eckhel 6, 103) imagine Augusti ornatus et corona laurea comprehensus, adscriptis verbis *ob r(em) p(ublicam) cum salut(e) imp(eratoris) Caesar(is) Aug(usti) cons(ervatam) s(enatus) c(onsulto)*, in ara autem urbana C. I. L. VI,

876 inter duas lauros sustentatus a Victoria alata cum inscriptione hac: *senatus populusq. Roman. imp. Caesari divi f. Augusto pontif. maxum. imp. cos. trib. potestat.*, quae inscriptio propter pontificatum maximum anno 712 posterior sit necesse est. Haec cum olim rettulerim ad clupeos plures Augusto diversis temporibus oblatos, iam magis credo ubivis, ibi quoque ubi clupei virtutis non diserte mentio facta est, significari clupeum dedicatum a. 727. Is enim cum propositus esset in curia Iulia, in nummis titulisque recte repraesentari potuit etiam posterioribus principis annis, pariter atque coronam civicam eodem tempore datam scriptores et caelatores perpetuo celebrarunt. Honores enim perpetui licet diversi et diverso tempore decreti recte in eodem nummo coniunguntur.

Decretum esse clupeum hunc anno 727 ut commentarius ostendit, ita confirmat ipsa clupei inscriptio, nam virtus aperte respondet lauris, clementia coronae civicae. Collocatum esse in curia Iulia ex solo commentario intellegitur, quamquam imperatoribus aliis dedicati in ea clupei alibi quoque commemorantur. Sueton. Dom. 23: *senatus repleta curia scalas inferri clipeosque et imagines eius coram detrahi iubet.* Vita Claudii Gothici 3: *illi . . . clipeum aureum senatus totius iudicio in Romana curia collocatum est, ut etiamnunc videtur, expressa thorace vultus eius.* Et commode sane bonorum principum imagines ibi in perpetuum proponebantur, sicut clarorum oratorum imagines clupeatae prostabant in bibliotheca Palatina (Tacit. ann. 2, 37. 83). Victoria, quam et nummi et tituli coniungunt cum clupeo in curia Iulia dedicato, referenda est sine dubio ad aram Victoriae, quam die Aug. 28 dedicavit Augustus in eadem curia aedificata a. 725 (v. supra p. 79), statuamque eiusdem deae ibidem collocatam (v. Becker top. p. 346; C. I. L. I p. 400).

Argenteum clupeum Augusti quem memorat Hadrianus (orationum XII apud Charisium 2 p. 222 Keil: *a vobis, p. c., peto et impetratum valdissime cupio ut proxime imaginem Augusti argenteum potius clupeum sic ut Augusto ponatis*) eundem Bergkius iudicat in lectione tradita errorem ratus inesse; magis crediderim diversum fuisse, scilicet imaginem Augusti in bibliotheca Palatina collocatam (Tacitus ann. 2, 37), quae quominus in clupeo argenteo fuerit, nihil obstat.

CAPVT XXXV

LAT. 6, 24 Tertium dec[*i*]mum consulátu[*m cum gerebam, senatus et equ*]ester
25 ordo | populusq[*ue*] Románus úniversus [*appellavit me patrem p*]atriae
26 idque | in vestibu[*lo a*]edium meárum inscriben[*dum esse et in*
27 *curia e*]t in foró Aug. | sub quadrig[*i*]s, quae mihi [*ex*] s. c. pos[*itae sunt, decrevit*].

GR. 18, 9 10 *Τρισκαιδεκάτην ὑπατείαν ἄγοντός μου ἥ τε σύνκλητος καὶ*
11 *τὸ ἱππικὸν τάγμα ὅ τε σύνπας δῆμος τῶν | Ῥωμαίων προση-*
12 *γόρευσέ με πατέρα πατρίδος καὶ τοῦτο | ἐπὶ τοῦ προπύλου*

13 τῆς οἰκίας μου καὶ ἐν τῷ βουλευτη|ρίῳ καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ
14 Σεβαστῇ ὑπὸ τῷ ἅρματι, ὅ μοι | δόγματι συνκλήτου ἀνετέθη,
15 ἐπιγραφῆναι ἐψηφίσα|το. [§]

Pater patriae appellatus est Augustus a. u. c. 752 consul XIII cum M. Plautio Silvano die Febr. 5, sicut testantur fasti Praenestini (ad h. d.) Ovidiusque (fast. 2, 119 sq.). Vide quae notavi ad illos C. I. L. vol. 1 p. 386 et vol. 2 ad n. 2107, ubi etiam ostendi iam ante hunc annum interdum eum patrem parentemve patriae dictum esse. Ab senatu populoque Romano hunc honorem ei habitum esse scribunt fasti iidem Praenestini et Suetonius (Aug. 58), addunt equestrem ordinem Augustus ipse hoc loco et Ovidius (fast. 2, 128). Unde collatis iis, quae observavimus p. 57 de Gaio et Lucio appellatis principibus iuventutis et p. 147 de Caesare rerum potito per consensum universorum, efficitur honorem eum principi delatum esse non tam senatus decreto (quamquam omnino is de ea re decrevit) quam universo populo rogante et acclamante. Quod sequitur de inscriptionibus cum ad senatum solum referri possit, nihilo minus duo honores uno tenore referuntur neque ante *decrevit* (vel *censuit*) vocabulum *senatus* repetitur; scilicet quaecumque senatus decreverat, secundum huius aevi instituta credebantur proficisci a senatu populoque Romano, neque iure requirebatur populi consensus, quamquam ubi aperte declarabatur, eius subinde mentio facta est. — Trium autem inscriptionum, quae hoc loco commemorantur, alibi mentionem non inveni. Verisimile tamen primam secundamque ita coniunctam esse cum honoribus a. 727 decretis (v. 6, 13), ut ad coronam civicam Augusto dedicatam ob cives servatos, quam posse dici in vestibulo stetisse confirmat Suetonius (Tib. 26), et ad clupeum in curia Iulia collocatum patris patriae honor ex decreto adscriberetur. Quadrigarum in foro Augusto principi dedicatarum praeterea certa memoria nulla superest. Ex nummis quadrigas repraesentantibus fortasse duo huc pertinent, is in quo cernuntur ab una parte aquila, toga picta, corona civica, ab altera quadrigae iisque superpositae quadrigae alterae minores, adscripto *s. p. q. R. paren(ti) cons(ervatori) suo*) (*Caesari Augusto* (Eckhel 6, 113; Cohen Aug. 78) et is in quo ab una parte caput est Augusti, ab altera parte quadrigae similes, adscripto *Caesari Augusto*) (*s. p. q. R.* (Eckhel 6, 96; Cohen Aug. 270—276). Sed neque de interpretatione nummorum constat nec de tempore cusorum, nisi quod cum in priore Augustus *parens* appelletur, is certe cusus sit necesse est ante honorem patris patriae sollemniter receptum. Inde, quod forum Augustum dedicatum est eo anno, quo Augustus appellatus est pater patriae, cave efficias eo ipso tempore quadrigas dedicatas esse; immo si id factum esset, de patris patriae vocabulo utpote legitima appellatione comprehenso neque senatus seorsum decrevisset neque eius Augustus hoc loco mentionem fecisset. Itaque magis ex hoc loco efficiemus contrarium, scilicet quadrigas ipsas dedicatas esse ante a. 752 pariter atque coronam et clupeum. Scriptorum, ut monui C. I. L. I p. 281 (cf. Hermae vol. 15 p. 104), huc commodo trahi poterunt duo loci, Horatii († 746) in carmine 4, 14 scripto

c. a. 740: *quae cura patrum quaeve Quiritium plenis honorum muneribus tuas, Auguste, virtutes in aevum per titulos memoresque fastos aeternet?* et Velleii 2, 39: *divus Augustus praeter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis forum eius praenitet, paene idem facta Aegypto stipendiaria quantum pater eius Galliis in aerarium reditus contulit,* quamquam neutrum de quadrigarum illarum inscriptione accipere cogimur.

LAT. 6, 27 28 [*Cum scri*]psi haec, | annum agebam septuagensu[*mum sextum*]. |
GR. 18, 15 16 *Ὅτε ἔγραφον ταῦτα, ἦγον ἔτος ἑβδομηκοστὸν* | *ἕκτον.* §

Vide supra p. 1.

GRAECI HOMINIS ADDITAMENTVM.

Sequitur clausula non profecta ab Augusto male scripta tam Latine quam Graece et argumento exilis, nam ex rebus gestis tanti viri non comprehendit nisi de suo quae erogarit in aedificia ludos donationes, tamquam duumvir oppiduli alicuius Augustus fuisset, non imperator populi Romani. Quam ob rem qui appendicem hanc ad Tiberium referunt, egregie falluntur; immo Graeci hominis esse ostendit maxime denariaria ratio etiam in Latinis admissa, cum in maioribus summis (nam in minoribus etiam Augustus denarios posuit 3, 16. 20) sestertiariam requirat Romana consuetudo ab ipso Augusto semper observata. Praeterea sermo non solum multo minus elegans est et minus Latinus quam ipsius commentarii, ut hic sunt *spectacula* 6, 39 pro ludis et *naumachia* 6, 40 pro eo quod Augustus dixit 4, 43 *navalis proeli spectaculum*[1]), denique in *summá* 6, 29 apex perperam positus; sed etiam quibusdam locis hiat et vix satis intellegitur. Denique cum quae in appendice leguntur pleraque in ipso commentario redeant accuratius pleniusque longe perscripta, unum quod in ea refertur ab Augusto praetermissum, nempe locus de donis ab Augusto datis civitatibus privatisque, quamquam etiam Italiae senatorumque in eo mentio fit, provincialem auctorem eo prodit, quod liberalitates collatae in oppida provinciarum terrae motu collapsa diserte ibi enuntiantur. Quod qui ponere vellet, eum ne illa quidem recte praeterire potuisse apparet. Itaque haec veniunt aut ab interprete, cui legatus provinciae Galatiae exemplar Latine vertendum tradidit, ut indicem rerum gestarum divi Augusti utraque lingua publice proponendum cum civitatibus provinciae suae communicaret, aut adeo adiecta sunt a magistratibus Ancyranis. — Nobis appendix ne eo quidem nomine prodest, quod hiatus commentarii explet; nam quae hic leguntur, in ipso omnia item supersunt.

[1]) Addidit Bergkius p. 9 *theatrum Pompei* 6, 37, cum *Pompeium* sit 4, 9.

CAPVT I

LAT. 6, 29 Summá pecún[*i*]ae, quam ded[*it in aerarium vel plebei Romanae*
30 *vel di*]mis|sis militibus: denarium se[*xi*]e[*ns milliens*]. |

GR. 18, 17 18 *Συνκεφαλαίωσις* [§] *ἠριθμημένου χρήματος εἰς τὸ αἰρά*|*ριον*
19 *ἢ εἰς τὸν δῆμον τὸν Ῥω*[*μαί*]*ων ἢ εἰς τοὺς ἀπολε*|*λυμένους*
στρατιώτας [§]: *ἐξ μυριάδες μυριάδων.* § |

Complexus est scriptor, quae supra proposuit Augustus 3, 7—42 sic fere:

1) data plebi a. 710 (3, 7)	HS	75,000,000 ad min.
2) data plebi a. 725 (3, 8)	-	100,000,000 ad min.
3) data plebi a. 730 (3, 9)	-	100,000,000 ad min.
4) data plebi a. 742 (3, 12)	-	100,000,000 ad min.
5) data plebi a. 749 (3, 15)	-	76,800,000
6) data in coloniis militum a. 725 (3, 17)	-	120,000,000
7) data plebi a. 752 (3, 19)	-	48,000,000
8) data pro agris militum Italicis (3, 22)	-	600,000,000
9) data pro agris militum provincialibus (3, 25) .	-	260,000,000
10) data militibus dimissis a. 747—752 (3, 28) . .	-	400,000,000
11) data aerario publico (3, 34)	-	150,000,000
12) data aerario militari (3, 35)	-	170,000,000
		2199,800,000

Appendicis auctor cum quattuor primas summas ad minimum a nobis subductas vere aliquanto maiores accepisset, item praetermissas esse sciret impensas factas propter tributa alieno nomine soluta (3, 40), neque omnino in tanta pecunia ad minora recte attendi, substituit rotunde *ἐξ μυριάδας μυριάδων* (600,000,000 den. = 2400,000,000 sest.).

CAPVT II

LAT. 6, 31 Opera fecit nova § aedem Martis, [*Iovis Tonantis et Feretri, Apol-*
32 *linis,*] | díví Iúli, § Quirini, § Minervae, [*Iunonis Reginae, Iovis Li-*
33 *bertatis,*] | Larum, deum Penátium, [§] Iuv[*entatis, Matris deum,*
34 *Lupercal, pulvina*]r | ad circum, [§] cúriam cum ch[*alcidico, forum*
35 *Augustum, basilica*]m | Iuliam, theatrum Marcelli, [§] [*p*]or[*ticus*
36 ....., *nemus trans T*]iberim | Caesarum. §

GR. 18, 20 21 *Ἔργα καινὰ ἐγένετο ὑπ' αὐτοῦ ναοὶ μὲν Ἄρεως, Διὸς* | *βρον-*
22 *τησίου καὶ τροπαιοφόρου, Πανός, Ἀπόλλω*|*νος,* [§] *θεοῦ Ἰου-*
23 *λίου, Κυρείνου,* [§] *Ἀ*[*θη*]*νᾶς,* [§] *Ἥρας βασιλί*|*δος,* [§] *Διὸς*
24 *Ἐλευθερίου,* [§] *ἡρώ*[*ων, θεῶν πα*]*τρίων* [§], *Νε*|*ότητος,* [§]

19, 1 *Μητρὸς Θεῶν*, [§] *β[ουλευτήριον] σὺν χαλκι||δικῷ*, [§] *ἀγορᾷ*
2 *Σεβαστῇ* (sic) [§], *Θέατρον Μαρκέλλου*, [§] *β[α]σι|λικὴ Ἰουλία*,
3 [§] *ἄλσος Καισάρων*, [§] *στοαὶ ἐ[ν] Παλατ[ί]ῳ*, | *στοὰ ἐν ἱπ-*
ποδρόμῳ Φλαμινίῳ. §

CAPVT III

LAT. 6, 37 | Refécit Capito[*lium sacra*]sque aedes [*nu*]m[*ero octoginta*] duas,
38 thea[*t*]rum Pom|peí, aqu[*arum rivos, vi*]am Flamin[*iam*].

GR. 19, 3 4 *Ἐπεσκευάσθ[η τὸ Κα]|πιτώλιον*, [§] *ναοὶ ὀγδοήκοντα δύο*, [§]
5 *Θέ[αι]ρον Π[ομ]|πηίου*, [§] *ὁδὸς Φλαμινία*, [§] *ἀγωγοὶ ὑδάτων*.

Compendium est eorum quae supra leguntur 4, 1—23. 43. 44, et omnino cavendum, ne quid in his rimere exquisitum et utile. Petita scilicet sunt opera nova ex comm. 4, 1—8. 21—23, additis basilica Iulia ex 4, 14—16 et nemore Caesarum ex 4, 43. 44; utrumque propterea vides collocatum in laterculo fere extremo. In ordine constituendo non hoc secutus est epitomator, quod sibi persuasit Beckerus (topogr. p. 721), ut primum loca sacra recenseret, deinde publicis negotiis destinata, denique quae populi voluptatibus inservirent, sed solo studio brevitatis, ut uno aedis vocabulo defungeretur, primum templa coniunxit omnia eodem fere ordine, quo leguntur in commentario, deinde cetera subiecit ut casus tulit. — Lat. 35 interpretatio quod requirit *porticus in Palatio, porticum in circo Flaminio* spatium non capit, cum inter /OR et IBERIM litterae non deficiant plus XXVI, ut videatur aut quadratarius alterum comma omisisse aut ipse additamenti auctor, quem verisimile est et Latina scripsisse et Graeca, posuisse *porticus complures* vel simile quiddam. In editione priore cum ego post *Marcelli* hiatum signavissem, eum explevit Bergkius verbis *ad aedem Apollinis*, melius Hirschfeldius p. 260 inserens *porticum Octaviam*; *porticus* vel *porticum* reliquiae flagitant /OI̲ post MARCELLI. — Opera refecta similiter desumpta sunt ex comm. 4, 9—12. 17. 19. — Graecus interpres in appendice hac liberius versatus omisit et *pulvinar ad circum*, in quo vertendo etiam supra (p. 53) interpretem vidimus laborantem, et *trans Tiberim* adiunctum ad *nemus Caesarum*. Deinde transposuit casu opinor basilicam Iuliam theatrumque Marcelli, item porticus nemusque Caesarum et aquaeductus viamque Flaminiam; Lupercal autem ex sede inferiore (quo certe solo loco in Latinis spatium superest vocabulo ei recipiendo sufficiens, neque ita id inseri debet, ut aedium enumerationem conturbet) inter aedes numinum transtulit, quippe Graece dictum *ναὸς Πανός*.

CAPVT IV

LAT. 6, 39 Ímpensa p . . . . . [*in spect*]acul[*a scaenica et munera*] gladiatorum
40 at|[*que athletas et venationes et naum*]ach[*iam*] et donata pe[*c*]u-
41 nia a (?) | . . . . . [*ter*]rae motu § incendioque
42 consum|pt[*is*] a[*ut viritim*] a[*micis senat*]oribusque, quórum census
43 explévit, | ín[*n*]umera[*bili*]s. §

GR. 19, 5 6 [*Δαπ*]*άναι δὲ* | *εἰς θέας καὶ μονομάχους καὶ ἀθλητὰς καὶ*
7 *ναυμα*|*χίαν καὶ θηρομαχίαν δωρεαί* [*τε*] *ἀποικίαις πόλεσιν*
8 9 | *ἐν Ἰταλίᾳ, πόλεσιν ἐν ἐπαρχείαις* [§] *σεισμῷ κα*[*ὶ*] *ἐνπυ*|*ρι-*
10 *σμοῖς πεπονηκυίαις ἢ κατ' ἄνδρα φίλοις καὶ συν*|*κλητικοῖς,*
11 *ὧν τὰς τειμήσεις προσεξεπλήρωσεν: ἄ*|*πειρον πλῆθος.* |

Graeca cum integra iam edantur, tam inconcinna sunt, ut de iusta restitutione Latinorum magna ex parte hiantium et vix melius conceptorum desperandum esse videatur. — Lat. 39 *impensae*, quod posuerunt Bergkius et Hirschfeldius, lapis non admittit, habens post IMPENSA aut P aut R litteram, ut et *impensa pecunia* suppleri possit et *impensarum summa*. — *scaenica* addidi suadente Wilamowitzio. — In fine post AT cum lapis vacet, dedi *atque athletas* propositum ab eodem. — 40 haec supersunt ACH////LI DONAI// PECVNIA^ sequente spatio vacuo; supplementum quod satisfaceret non repperi. — 41 cernitur EII[illegible] RAE: supplementum quod Graeca requirere videntur *coloniis in Italia, oppidis in provinciis* nec vestigiis his recte aptatur et spatium quod principio versus ante RAE vacat litterarum c. XXVII aliquanto excedit. — In Graecis 7 quod flagitat Bergkius TE et spatio convenit et hastae vestigio quod cernitur post ΔΩΡΕΑΙ.

Prior pars pertinet ad locum de ludis 4, 31—48, neque operae pretium est singulis immorari. Quae sequuntur de donis ab Augusto oppidis privatisve oblatis, non petita sunt ex commentario; is enim cum impensas recenseat in rem publicam populumque Romanum factas, quo item pertinet aurum coronarium municipiis et coloniis Italiae remissum (4, 26), liberalitates in privatos collatas non admittit. Rem testantur auctores. De oppidis pecunia adiutis Suetonius Aug. 47: *urbium in* (*provinciis*), inquit, *quasdam aut aere alieno laborantes levavit aut terrae motu subversas denuo condidit.* Eiusmodo liberalitates contigerunt inter alias plerasque (Dio 54, 23) Venafro in Campania facto ibi aequaeductu (C. I. L. X, 4842), Neapoli in Campania (Dio 55, 10), Papho in Cypro a. 739 (Dio 54, 23; cf. Eusebius ad a. Abr. 1998), item a. 742 pluribus oppidis provinciae Asiae (Dio 54, 30); denique de Laodicea ad Lycum et Trallibus idem testatur Strabo 12, 8, 18 p. 579 collato Suetonio Tib. 8: *pro Laodicenis Thyatirenis Chiis terrae motu afflictis opemque implorantibus senatum deprecatus est.* De Trallibus etiam Agathias 2, 17 epigramma affert ex lapide descriptum hoc:

Κλασθείσας πάτρας σεισμῷ ποτε Κάνταβριν ἐς γᾶν
Χαιρήμων ἔπτα πατρίδα ῥυσόμενος.
Καίσαρι δ' εἱλιχθεὶς περὶ γούνασι τὰν μεγάλαυχον
ὤρθωσε Τράλλιν τὰν τότε κεκλιμέναν.

Venit igitur Chaeremo ad Augustum a. 728 aut 729, quocum convenit, quod ad hunc annum (1992 Abr., vide supra p. 14) adnotat Eusebius: *Trallis terrae motu consederunt.* — De censibus senatorum idem Suetonius Aug. 41: *senatorum censum supplevit non habentibus* idemque Dio refert ad a. 726 (53, 2) et 736 (54, 17) et 757 (55, 13; cf. 56, 41). Cf. idem 51, 17 fin. 52, 19.

DE P. SVLPICII QVIRINII TITVLO TIBVRTINO

Addere placuit commentariolum de titulo, qui et ipse versatur in memoria rerum earum, quae ductu auspicioque imp. Augusti gestae sunt, Tiburtino P. Sulpicii Quirinii, cum praesertim quae de eo dixi apud Richardum Bergmannum (de inscriptione Latina ad P. Sulpicium Quirinium referenda. Berolini 1851. 4. p. IV—VII) et in paucorum manus venerint et quaestio sane anceps ibi propter epistularem brevitatem magis summatim indicata sit quam pertractata.

Effossus est is de quo agitur titulus scriptus litteris optimis et pulcherrimis a. 1764 Tibure extra portam Romanam inter villam Hadriani et viam Tiburtinam pari ab utraque intervallo. Delatus inde Tibur in aedes Boschi postea pervenit in museum Vaticanum, ubi inter lapides non expositos olim inveni et descripsi hac forma:

LGEM · QVA · REDACTA · INPOT
AVGVSTI · POPVLĪQVE · ROMANI · SENAT
SVPPLICATIONES · BĪNAS · OB · RES · PROSP
IPSI · ORNAMENTA · TRIVMPH
PRO · CONSVL · ASIAM · PROVINCIAM · OP
DĪVĪ · AVGVSTI TERVM SYRIAM · ET · PH

Prodiit primum in Novellis Florentinis a. 1765 p. 355 (inde Donati 164, 3); deinde pro inedito in Sanclementii opere de vulgaris aerae emendatione (Romae 1793) p. 414, cui descripsit abbas Sarti; denique ex apographo, quod sumpsimus Henzenus et ego opera coniuncta, apud Bergmannum l. c. et Henzenum n. 5366 coll. add. p. 496. Errores non ita multos priorum referre nihil attinet, cum lectio certa sit et perspicua.

Nomen eius, cui titulus positus fuit, cum perierit, videndum num ex rerum indiciis quae supersunt de eo coniectura capi possit. Sunt autem indicia quattuor haec:

I. Is de quo agitur gentem quandam in potestatem populi Romani redegit, propter quas res gestas senatus bis supplicationes indici voluit et praeterea ei qui eas gesserat ornamenta triumphalia decrevit.

II. Is de quo agitur post victoriam de qua diximus imperante Augusto ad proconsulatum Asiae pervenit. Namque honores ita in titulo recenseri, ut a minoribus procedatur ad maiores, non contrario ordine, ut visum est Zumptio (comm. epigraph. 2 p. 110), inde efficitur, quod extremo loco positus summus est et vere unicus, ut post alios minime raros delatus esse videatur; praeterea parum convenit ordo inversus elogio, quod ad exemplum Plautiani (Orell. 750) a tituli forma ad rerum gestarum narrationem deflectit.

III. Is de quo agitur Syriam et coniunctam cum ea ad Severum usque Phoenicen imperante Augusto bis administravit, primum antequam Asiam sortiretur, iterum post Asiae proconsulatum. Nam, sicut recte docuit Sanclementius (de vulgaris aerae emend. p. 424), iterationis praedicatio in provinciarum praesides tum tantum cadit, cum eadem provincia ab eodem homine pluries administrata est. Ita T. Eprius Marcellus dicitur fuisse *procos. Asiae III* (C. X, 3853 = Henzen 5425); ita P. Paquius Scaeva primum *pro consule provinciam Cyprum optinuit*, deinde *pro cos. iterum extra sortem auctoritate Aug. Caesaris et s. c. missus est ad componendum statum in reliquum provinciae Cypri* (C. IX, 2845 = Henzen 6450); ita L. Marius Maximus qui scribitur fuisse *proconsul provinc. Asiae iterum, proconsul provinciae Africae* (C. VI, 1452. X, 6764) Asiam per duos annos obtinuit ex consulatu priore, ex posteriore per annum unum Africam (Waddington *fastes des provinces Asiatiques* p. 741 ed. mai.). Huius generis iterationes cum in proconsulibus passim inveniantur (*Staatsrecht* 2^2 p. 246), quippe quorum officium lege annuum (Dio 53, 13) non raro post annum elapsum continuaretur vel potius denuo conferretur, in legatis Augusti, quorum potestas nullo certo tempore conclusa esset, locum habere non potuit nisi ita, ut post discessum ex provincia idem in eandem denuo mitteretur. Eiusmodi vero legationis iteratio eo impediebatur, quod legationes cum dignatione inter se differrent ordineque continuo a minore ad maiorem adscenderetur, is ordo turbabatur legato post alios honores susceptos remisso ad olim administratam provinciam iterum administrandam. Sed id non cadit in legationem legationesve maximae dignationis; nam sicut qui consul fuit, non potest regredi ad praeturam, potest iterum consulatum gerere, etiam qui ad summum honoris gradum in provinciis administrandis pervenisset, eiusdem dignitatis legationibus aliis fungi potuit. Ita utrumque recte explicabitur et qui eiusdem provinciae legationem iterarit, in titulis praeter hunc quod sciam memorari nullum[1]) et legationem iteratam elogii Tiburtini pertinere ad Syriam provinciam omnium primariam (Tacitus Agric. 40; Borghesi Burbul. p. 58 = opp. 4, 159). Confirmatur ita quod supra dixi honores enumerari ordine temporis et singularem plane legationis Syriacae iteratae item videri fuisse tempore postremum.

IV. Is de quo agitur Augusto superstes obiit post a. u. c. 767.

---

[1]) De titulis qui videntur obstare, egimus in corollario huius commentarii.

Quattuor haec indicia expendenti facile apparebit omnem nominis certa ratione recuperandi spem positam esse in legationibus Syriacis: reliqua enim tria tam multis hominibus communia fuerunt, ut ad confirmandum et refutandum magis valeant quam ad inveniendum. Syriae autem legati post rem publicam ab Augusto restitutam a. 727 quinam fuerint (v. Norisius cenot. Pis. p. 289 sq.; Sanclemente l. c. p. 417 sq.; Zumptius comm. epigr. 2 p. 71 sq.), iam videamus. Sed ipsum laterculum antequam aggrediamur, primum considerandum est, quem locum in Syria administranda adiutores Augusti potestate supra legatum praediti habuerint Agrippa et C. Caesar.

M. Agrippam cum constet ab a. inde 736 ad mortis usque 742 una cum Augusto summae rerum praefuisse tribunicia potestate delata illo anno in quinquennium iterataque a. 741, quem locum ante illum annum in re publica tenuerit et etiam post illum quo iure provinciarum administrationem a tribunicia potestate per se disiunctam exercuerit, traditum non accepimus. Probabile tamen est ab ipso anno 727, quo per consulatus duos continuos et censoriam potestatem Augusto exaequari coeptus est, proconsularem potestatem ita ei permissam esse, ut ad universum imperium ea perveniret, minor tamen esset quam simile ius ipsius imperatoris. Nam hoc et toti rei publicae ordinationi optime convenit (v. *Staatsrecht* 2[2] p. 1094) et quae de rebus ab Agrippa gestis traduntur, modo universa consideres, aliam explicationem vix recipiunt. Quod scribit Iosephus eum per decem annos pro vicario Caesaris res Orientis administravisse (15, 10, 2: *πέμπεται δὲ Ἀγρίππας τῶν πέραν Ἰονίου διάδοχος Καίσαρι*. 16, 3, 3: *Ἀγρίππᾳ γε μὴν ἀνιόντι εἰς τὴν Ῥώμην μετὰ τὴν διοίκησιν τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας δεκαετῆ γεγενημένην*), vicariatus recte conciliatur cum imperio illo proconsulari: quae autem ei parum convenit locorum et temporum definitio aperte a peregrino auctore ad res ab Agrippa gestas magis formata est quam ad ius Agrippae permissum, nec recte defendi potest. Nam quod Iosephus aperte significat ei in solum Orientem per illos annos ius fuisse, ea ratione omnino, qua sub Tiberio Germanicus cum imperio proconsulari primum Galliis et Germaniis praefuit, deinde provinciis trans mare Ionium (v. *Staatsrecht* 2 p. 1099 adn. 4), id in Agrippam non convenire inde colligitur, quod is per a. 733—737 partim in urbe, partim in Galliis Hispaniisque praesens res administravit. Similiter terminos imperii illius cum Iosephus, quamquam reditum Agrippae ex Italia in Orientem a. 737 minime ignorans (16, 2, 1), nihilo minus aperte significet profectionem Mytilenas a. 731 et reditum Romam a. 741, hoc certe ius Agrippae datum nullo modo mutatum est, videturque hic quoque auctor homo provincialis primum adventum Agrippae in Orientem et postremum reditum confudisse cum finibus iuris ei commissi. Itaque cum aliquatenus inde confirmetur, quod praeterea confirmatione non eget, ius extraordinarium in provincias Agrippae concessum, id ad certum tempus certave loca Iosephus ut restringere voluisse videtur, ita, si voluit, erravit. — Eodem redeunt relata in annalibus qui supersunt maxime

Dionis. Agrippa ab Augusto a. 731 in Syriam missus, *sub specie*, ut ait Velleius 2, 93, *ministeriorum principalium*, eo legatos ire iussit (Dio 53, 32: *ἐκεῖσε μὲν τοὺς ὑποστρατήγους ἔπεμψεν*, cf. *Staatsrecht* 2 p. 1099 adn. 1), ipse Lesbi mansit, donec a. 733 revocatus est urbique praepositus (Dio 54, 5: *ἐς τὴν Ῥώμην . . . ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως διαχειρίσει ἔπεμψεν* cf. 11). Quo tempore Augustus praesens Orientis res ordinabat, a. 734 Agrippa Galliis praefectus (Dio 54, 11: *ταῖς Γαλατίαις προσετάχθη*) vel potius rebus Occidentis neque ad senatum rettulit ob res in Hispania gestas a. 735, cum posset, neque decretum ab eo triumphum accepit (Dio 54, 11). Rursus in Orientem missus a. 737 Syriam adiit Hierosolyma usque profectus (Iosephus 16, 2, 1; Philo leg. ad Gaium 37), a triumpho autem decreto a. 740 similiter abstinuit (Dio 54, 24). Hinc iure colligemus Agrippam vel ante tribuniciam potestatem datam nequaquam legati locum obtinuisse; nam legatus de rebus gestis non ad senatum refert, sed imperatori suo eas perscribit, neque hac aetate ius ei est triumphandi (*Staatsrecht* 1, 127), neque ipse legatos habere potest, quos tamen Dionem vidimus Agrippae tribuere. Denique universa Agrippae condicio (cf. praesertim Dio 53, 1: *σκηνὴν ὁπότε συστρατεύοιντο ὁμοίαν τῇ ἑαυτοῦ παρεῖχε τό τε σύνθημα παρ' ἀμφοτέρων σφῶν ἐδίδοτο*) collegae minoris magis est quam adiutoris, quodque officio fungitur modo in urbe, modo in Oriente, modo in Occidente, demonstrat ius ei permissum ad universam rem Romanam pariter porrigi. — Haec si ita se habent, inter praesides Syriae Agrippae non magis locus est quam ipsi Augusto, et integra superest quaestio, quinam Agrippa vivo Syriae praefuerint. Iam si ita eo tempore res Orientis administratae sunt, ut sub Tiberio factum est Germanico cum imperio proconsulari misso ad eas ordinandas, Asiae et Bithyniae tum proconsules praefuerunt, legatus Augusti Syriae, ita ut omnes Augusto Agrippaeve sive praesentibus sive absentibus dicto audientes essent, ipsi autem ius haberent per se non imminutum. At eiusmodi rerum constitutio ut in provinciis senatoriis omnino tum locum habuit, ita partes imperatori anno 727 commissae non ab ipsis initiis eo qui postea observabatur ordine administratae videntur esse. Certe quod annales scribunt per legatos suos Agrippam res Syriacas administrasse, a posterioris aetatis consuetudine abhorret; legati enim cum semper uni pareant, collega minor potestatis proconsularis si qui est, aut legatis suis caret aut certe quos habet provincias non administrant, sed manet provinciarum Caesarianarum administratio apud legatos collegae maioris. Id ipsum natum fortasse ex Tiberii contra Germanicum invidia hac aetate non videtur obtinuisse, sed Agrippa cum in Oriente tum in Occidente ita res administrasse, ut Augustus in locum legatorum ex novo ordine institutorum collegam minorem mitteret. Ita aliquatenus excusatur, quod Iosephus ei praesidatum decennem provinciarum trans Ionium mare tribuit, et explicatur, quod per hos annos vix ulli legati nominantur. Nam ita Augusti legati Syriae nulli fuerunt per a. 731—733 et 737—741, fortasse non magis per a. 734. 735 ipso in

Syria agente; Agrippa autem quamquam non solum praesens res administrare potuit, sed item officium sibi commissum per legatos perficere, hos et iure et honore longe diversos fuisse a solitis Syriae praesidibus consentaneum est.

Similiter C. Caesar qui in Orientem profectus a. 753 ibi permansit per quadriennium, donec vulneratus a. 756 Artagira obsidens exercitum reliquit et in reditu a. 757 Febr. 21 in Lycia diem obiit, eo missus est cum potestate proconsulari (Zonaras 10, 36: *τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ τὴν ἀνθύπατον ἔδωκεν*), *ad ordinandas Aegypti Syriaeque provincias*, ut ait Orosius (7, 3, 4), *Orienti praepositus*, ut est apud Suetonium (Tib. 12). Ea potestas utrum iure ad universum imperium pertinuerit, id quod in Agrippa vidimus locum habuisse, an huic adulescenti ita fere commissa sit, ut postea in Germanico factum est, determinari non potest, neque ad nostram quaestionem ea imperii diversitas pertinet. Semper enim verisimile est tum non magis quam per eos annos, quibus Agrippa iussus est Syriae res curare, legatum Augusti Syriae praefuisse, idque silentio de eo auctorum aliquantum confirmatur; nam si fuisset, in expeditione Gaii festinatoque eius reditu narrandis vix praeteriri potuit.

Syriae privati qui per hos annos praefuerint, inveniuntur hi[1]).

1. M. Tullius Cicero oratoris filius natus a. u. c. 689 reversus in Italiam post pacem Misenatem a. 715 favore Caesaris filii post consulatum, quo functus est a. 724, Syriam provinciam obtinuit[2]). De tempore non constat, cum intervallum inter consulatum et legationem Syriacam nulla coniectura suppleri possit.

2. ..... Varro ante a. 734. De Zenodori Ituraeorum reguli latrociniis cum Damasceni apud Varronem Syriae praesidem conquesti essent (Iosephus bell. 1, 20, 4: *οἱ δὲ ἐπὶ Οὐάρρωνα τὸν ἡγεμόνα τῆς Συρίας καταφυγόντες ἐδεήθησαν δηλῶσαι τὴν συμφορὰν αὐτῶν Καίσαρι*; ant. 15, 10, 1), Caesaris iussu Varro Ituraeos armis coercuit et postea (*ὕστερον*) quae Zenodori fuerant Herodi tradidit. Hoc factum est Caesare in Syria morante a. 734 (Dio 54,9). Varro is qui fuerit, ignoratur; potest esse is ipse, quem Agrippa in Syriam misit. Quod si ita est, re magis quam iure legatus Syriae appellatur, neque

[1]) L. Piso consul a. 739 legatus Caesaris per a. 741—743 bellum cum Thracibus gessit aliquoties memoratum (Vellei. 2, 98; Florus 2, 27 [4, 12]; Livius per. 140; Tacitus ann. 6, 10). Id cum suscepisse dicatur a Dione 54, 34 *ἐκ Παμφυλίας ἧς ἦρχε*, inde Marquardtius (Staatsverw. 1² p. 417) effecit eum eo tempore Syriae praefuisse. At neque Thracibus bellum ex illa regione inferri potuit neque, ut Pamphyliam demus tum legato Syriae paruisse, ita pars exigua pro toto nominari. Sine dubio errore sive librariorum sive Dionis ipsius Pamphylia permutata est non cum Moesia, quod statuerunt alii (Zippel *röm. Herrschaft in Illyrien* p. 246), cum ea provincia postea demum facta videatur esse, sed magis cum Pannonia sive ut tum loquebantur Illyrico.

[2]) Appianus b. c. 4, 51: *αὐτὸν ὁ Καῖσαρ ... ἱερέα τε εὐθὺς ἀπέφηνε καὶ ὕπατον οὐ πολὺ ὕστερον καὶ Συρίας στρατηγόν*. Cf. Drumann 6, 718. Titulum Arcanum qui eiusdem legationis meminit iam constat ficticium esse (C. I. L. X n. 704*). — Idem pro consule Asiam obtinuit (Seneca suas. 7, 13; cf. Waddington *fastes des prov. asiatiques* p. 684).

requiritur, ut ante Syriae administrationem fasces duodecim gesserit, id quod cum non fecisse verisimile est, cum ad eum usque annum fasti fere pleni sint.

3. M. Titius inter duces nominatus ab a. inde 714 (Dio 48, 30), consul a. 723, legatus Syriae circa tempus, quo Herodes tertium profectus est Romam inter a. 742, quo secundum eo ivit, et a. 750, quo decessit, is est, cui Phraates liberos tradidit Romam ad Augustum mittendos paullo post a. u. c. 745 (Ioseph. 16, 8, 6; Strab. 16, 1, 28 p. 748). Dixi de eo supra p. 141.

4. C. Sentius Saturninus consul a. u. c. 735, legatus Syriae c. a. 746 (Ioseph. ant. 16, 9, 1. c. 10, 8. c. 11, 3. 17, 1, 1. c. 2, 1. c. 3, 2; bell. Iud. 1, 27, 1—3. Tertullianus adv. Marcionem 4, 19).

5. P. Quinctilius Varus cos. a. u. c. 741, legatus Syriae a. 748—750 testibus cum nummis Antiochenorum notas habentibus epochae Actiacae EK·ϛK·ZK (Eckhel 3, 275; Borghesi opp. 1, 310; Waddington *mél. de num.* 2 p. 153) tum Iosepho (ant. 17, 5, 2 sq.; bell. Iud. 1, 21, 5 sq.). Maturius solito ad legationem Syriae pervenit, gratiosus propter affinitatem quae ei erat cum domo imperatoria (Tac. ann. 4, 52. 66. Borghesi opp. 1, 311. 417).

6. L. Volusius Saturninus cos. a. u. c. 742, legatus Syriae a. 757. 758 (Eckhel 3, 275).

7. P. Sulpicius Quirinius cos. a. u. c. 742, legatus Syriae a. 759 (Ioseph. 17, 13, 5. 18, 1, 1. c. 2, 1). Accedit titulus Venetus vel potius Berytensis nuper vindicatus (Eph. epigr. 4 p. 538): *Q. Aemilius Q. f. Pal. Secundus* [*in*] *castris divi Aug*(*usti*) *s*[*ub*] *P. Sulpicio Quirinio le*[*g. Aug.*] *Caesaris Syriae honoribus decoratus, praefect*(*us*) *cohort*(*is*) *Aug*(*ustae*) *I, praefect*(*us*) *cohort*(*is*) *II classicae. Idem iussu Quirini censum egi Apamenae civitatis millium homin*(*um*) *civium* CXVII. *Idem missu Quirini adversus Ituraeos in Libano monte castellum eorum cepi.* Quae de officiis his exposui l. c. p. 540, non repeto, cum ad nostram rem inde nihil efficiatur.

8. Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus cos. a. 760, legatus Syriae ab a. certe 763/4 ad a. 770 (Eckhel 3, 276 collato nummo a Sanclementio p. 348 allato anni AM; Tacitus ann. 2, 4. 43; Ioseph. 18, 2, 4). Etiam Silanus solito celerius legationem Syriae adeptus est, ut consulatum quoque in integrum annum tenuit; scilicet per hos annos admodum floruit utpote socer futurus Neronis Germanici f. aliquando, ut tum credebant, imperaturi. Diximus de eo Borghesius ann. 1849 p. 51 sq. = opp. 5 p. 211 et ego Eph. epigr. 3 p. 14. Cur per tot annos provinciam retinuerit, Suetonius explicat, cum scribit (Aug. 23) propter cladem Varianam Augustum praesidibus provinciarum imperium prorogasse, ut a peritis et adsuetis continerentur.

Si quidem recte statuimus legatos Augusti provinciae Syriae nullos fuisse per eos annos, quibus aut Augustus ipse in Syria morabatur aut sub eo imperio proconsulari praediti res Orientis curabant, in laterculo supra proposito probabile est legatum Augusti unum solum deficere inter Varum et C. Caesarem

per a. 751. 752. Nam cum solitum legationis tempus triennium fuerit, reliqui ita sese excipiunt, ut difficile aliquem ordini interponas; et quamquam fieri sane potest, ut exciderit unus alterve legatus administrationis solita brevioris, vix credibile est neutrius administrationis legati tituli Tiburtini praeterea memoriam ullam superesse et nomen eiusdem viri in laterculo illo duobus locis desiderari. Quam ob rem videtur is de quo agitur et inter eos quorum nomina posuimus quaerendus esse et alteram utram legationem administravisse c. a. 751. — Ex supra nominatis praeter Varronem, quem legatum Augusti fuisse negavimus, ut antiquiores ita Ciceronem quoque et Titium aetatis rationes excludunt, quae vix patiuntur eorum quemquam a. 767 etiam tum in vivis fuisse, maxime cum is quem quaerimus bis Syriae praefuerit itaque utraque legatio, ut horum alteri utri detur, ante a. 731 collocanda sit, nisi forte hoc ponis ignotum illum legatum primum ante a. 731, deinde per a. 751. 752 Syriae praefuisse. In Cicerone accedit, quod a bellica laude eum afuisse constat. Varum nemo ignorat occidisse vivo Augusto; praeterea pro consule Africam, non Asiam rexit (Borghesi opp. 1, 301). Volusium Saturninum item constat pro consule Africam administrasse (Borghesi l. c. p. 312 sq.). Silanus cum Syriae post mortem Augusti praeesse non desierit, dicendus fuit legatus non divi Augusti, sed divi Augusti et Ti. Caesaris Augusti. — Et ad horum quidem nullum titulum de quo agimus spectare omnes consentiunt; restant tres, qui patronos nacti sunt, M. Agrippa, C. Sentius Saturninus, P. Sulpicius Quirinius. — Ad Agrippam titulum rettulit Huschkius (*über den Census zur Zeit der Geburt Jesu Christi* p. 65 sq.), sed refutavit commentum nullo negotio Borghesius (apud Henzenum n. 5366 = opp. 8, 126 sq. 193 sq.); scilicet ut alia mittam, Agrippa numquam pro consule Asiam administravit et ante Augustum mortuus est; id vero, quo confugit Huschkius, titulum Agrippae positum esse imperante Tiberio, neque ullo exemplo defenditur et eo plane evertitur, quod marmor Tiburtinum tam propter locum, in quo inventum est, quam propter habitum externum sine ullo dubio elogium fuit sepulcri. — Saturninum proposuit primus Bergmannus (apud Gerhardum *Archäol. Anzeiger* a. 1850 p. 172) primo quod nunc est tituli vocabulo mutilo Germaniam ratus nominari; quam opinionem cum mox ipse abiecisset, de lectione tituli edoctus veriora eam suscepit Zumptius nec paucis eam explicavit (comm. epigraph. 2, 122 sq.). — Contra qui primus de titulo diligenter egit Sanclementius eum superesse dixit ex monumento P. Sulpicii Quirinii (l. c. p. 418) eamque Sanclementii opinionem qui postea in eam rem inquisiverunt idonei auctores cum alii tum Borghesius (l. c.), Henzenus (l. c.), Nipperdeius (ad Tac. ann. 3, 48) unanimi consensu secuti sunt. Neque ego novam et reconditam doctrinam profero, sed iisdem viris doctis adsensus breviter demonstrabo primum titulum ad C. Sentium Saturninum spectare non posse, deinde in Quirinio non solum nihil obstare, sed indicia quoque quae supra recensuimus, maxime omnium primarium duplicem

legationem Syriacam, ita in eum convenire, ut attributio Sanclementiana non solum probabilis habenda sit, sed plane probata.

De C. Sentio Saturnino pauca tantum dicemus, sed quae sufficiant. Constat eum quoque accepisse ornamenta triumphalia (Dio 55, 28), ut acceperunt ea imperante Augusto duces aliquanto plures quam qui iustos triumphos egisse dicuntur super triginta[1]). Reliqua autem indicia tria non conveniunt in Saturninum. Primum duplici Syriae legationi ne locum quidem Zumptius invenire potuit nisi ita, ut Syriae primum praefuerit per annos 729 - 731, quo tempore Saturninus praetorius fuit nec capax provinciae omnium confessione consularis. — Deinde quamvis ignoretur, quo anno Saturninus diem obierit, nec memoratur post a. 759 (Vell. 2, 109. 110) et ante Augustum eum mortuum esse constat ex silentio Taciti, cuius annales ab excessu divi Augusti ad a. u. c. 782 integri supersunt nec secundum institutum auctoris de clari viri obitu tacuissent, si in illos annos incidisset. — Proconsulatum denique Asiae excludit, de quo optime monuit Borghesius (opp. 8 p. 495; Henzen syll. p. 496), Tertullianus, qui ubi Carthaginis coloniae vices breviter comprehendit (de pallio c. 1) sic scribit *post longas Caesaris moras moenia Carthagini Statilium Taurum* (proconsulem Africae 718—720) *imposuisse, sollemnia enarravisse Sentium Saturninum.* Iam cum in fastis aetatis Augustae tres inveniantur Sentii Saturnini, scilicet consul a. 735 is qui postea Syriae praefuit filiique eius duo consules uterque a. 757, omnino pater hoc loco intellegendus est, ne longae morae nimiae fiant. Itaque is cuius est elogium Tiburtinum, quisquis fuit, non fuit C. Sentius Saturninus.

Videamus de P. Sulpicio Quirinio.

I. Tacitus ad a. u. c. 774 ubi de obitu Quirinii refert sic scribit (ann. 3, 48): *nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium, sed impiger militiae et acribus ministeriis consulatum sub divo Augusto* (u. c. 742), *mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti* (u. c. 756). Strabo 12, 6, 5 p. 569: *ὁ Ἀμύντας εἰς τοὺς Ὁμονα̃δέας παρελθὼν, οἳ ἐνομίζοντο ἀληπτότατοι, καὶ κατασιὰς ἤδη κύριος τῶν πλείστων χωρίων, ἀνελὼν καὶ τὸν τύραννον αὐτῶν ἐξ ἀπαιτῆς ἐλήφθη διὰ τῆς τοῦ τυράννου γυναικός· καὶ τοῦτον μὲν ἐκεῖνοι διέφθειραν, ἐκείνους δὲ Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις, τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ.* Amyntas rex caesus est a. u. c. 729. Ad has narrationes recte aptabitur principium tituli Tiburtini sic fere explendum:

---

[1]) Quamquam numerum hunc, quem posuit Suetonius Aug. 38, nimium esse tabulae huius temporis triumphales ostendunt iam expletae: nam ab a. 711 ut triumphos omnes numeres praeter ipsius Augusti ovationes duas triumphosque tres et Antonii ovationem, non reperiuntur nisi duo et viginti.

bellum gessit cum gente homonaden-
sium quae interfecerat amnytam
REGEM · QVA · REDACTA · IN · POTE*statem imp. caes. divi f.*
AVGVSTI · POPVLIQVE · ROMANI · SENAT*us dis immortalibus*
SVPPLICATIONES · BINAS · OB · RES · PROSP*ere ab eo gestas et*
IPSI · ORNAMENTA · TRIVMPH*alia decreuit*

Bergmannum secutus iam *regem* v. 1 rettuli non ut ante proposueram ad Homonadensium regulum teste Strabone a Quirinio interfectum, sed ad Amyntam, ut verborum quae sequuntur *qua redacta* ratio constaret. Recte praeterea Zumptius (l. c. p. 116) monuit vocabulum *ipsi* requirere, quod sibi opponatur, quamquam id quod requiritur verbum non repperit; quod patefacit titulus C. I. L. VI, 1386[2]) ex dedicatis Traiano auctore in foro Augusti, secundum Borghesium (ann. 1846 p. 342 = opp. 5 p. 31) Arabiae victoris Cornelii Palmae:

. . . . . .
POTES . . . . . *ob quas res decreuit*
SENATVS · SVPPLICATIONES . DIS · IMMORTALIB . *Ipsi auteM AuCtore*
IMP · CAES · NERVA · TRAIANO · AVG · GERM · DACIC · SENATVS · ORNAMENT
TRIVMPHAL · DECR · STATVAMQ_ · IN · FORO · AVG · PONENDAM · CENSVIT

collato monumento Ancyrano 1, 26 et Cicerone in Cat. 3, 6, 15: *supplicatio diis immortalibus meo nomine decreta est*; in Pis. 3, 6; de prov. cons. 11, 26. 27; ad fam. 15, 5 alibique passim. Intelleguntur scilicet supplicationes ad omnia pulvinaria (Cic. in Cat. 3, 10, 23; Liv. 24, 10 fin.; al.). De supplicationibus duabus vel si magis placet binis (utrumque enim dicitur supplicationem decerni et supplicationes) commemorandis inter quinque et quinquaginta decretas Augusto ob res ab ipso aut per legatos eius prospere gestas supra iam ad mon. Ancyr. 1, 24 monuimus. Recte autem Zumptius (l. c. p. 118) docuit adhibito maxime loco Ciceronis de prov. cons. 11, 26. 27, cum supplicatio ob res bene gestas antiquo tempore item ac triumphus, cuius tanquam praerogativa fuit (Cic. ad fam. 15, 5, 2), non nisi semel decerni soleret, primum plus semel decretam eam esse bello Mithridatico in gratiam Pompeii; deinde idem honor saepe pluries decretus est et ut solet fieri in honoribus qui extra ordinem conceduntur, mox pervulgatus. Quam ob rem cur Zumptius (l. c. p. 121) neget Homonadense bellum duarum supplicationum decernendarum causam praebere potuisse, equidem non perspicio; immo siquidem Quirinius bis in eorum agrum expeditionem fecit, quod facile potuit, consentaneum est bis eum de rebus a se gestis per imperatorem ad senatum rettulisse et bis ob eas supplicatum esse. — Quo tempore et quo magistratu praeditus Quirinius Homonadenses devicerit, infra disputabitur.

---

[2]) Exempla duo quae extant Bouchardianum duplex et Donianum non differunt, nisi quod 1 POTIS Don., 2 IMMORTALIB.....RIMA.C..... Bouch., IMMORTALIBVS . . . . . Don., 4 N pro IN Bouch. alterum. V. 2 extr. *immortalibus dierum . . . auctore* proposuit Borghesius.

II. Quirinius cum consulatum gesserit a. 742 et longo tempore postea superfuerit, consulari iure pervenisse putandus est ad proconsulatum aut Asiae provinciae aut Africae. Intervallum hac aetate certum nullum fuisse cum satis constet (nam, ut pauca exempla seligamus, C. Asinius Gallus cos. a. 746 procos. Asiae fuit a. 748/49; Cossus Cornelius Lentulus cos. a. 753 procos. Africae a. 759; Cn. Lentulus augur cos. a. 740 procos. Asiae a. 753 cet.; v. *Staatsrecht* 2^2, 240. 241 commentariumque Zippelii supra p. 131 adn. laudatum), ex solo titulo Tiburtino, modo eum recte ad Quirinium rettulerimus, et Asiam eum sortitum esse intellegitur et tempus aliquatenus definitur; interponitur enim ibi proconsulatus inter duas legationes Syriacas sive, ut infra ostendetur, inter a. 752 et 759, ex quibus annis praeterea eximendi sunt anni 753 certe pars prior, quo Cn. Lentulus augur Asiam rexit (nam dies a. 753 Daesii 17 sive Maii 10, quo scripsit epistulam C. I. Gr. 2943, eum ostendit anno 752 53 in officio fuisse); fortasse item a. 754 55, si proconsulatum M. Plautii Silvani Zippelius (comm. supra citati p. 13) recte ad eum annum revocavit; restant igitur proconsulatui Quirinii anni 753 4 et 755 ad 758. At eum Africam sortitum esse demonstratum ivit Zumptius (l. c. p. 91) ex narratione Flori 2, 31 [4, 12, 40. 41]: *Musulamos atque Gaetulos accolas Syrtium (Augustus) Cosso duce compescuit, unde illi Gaetulici nomen latius quam ipsa victoria. Pariter Marmaridas atque Garamantas Quirinio subigendos dedit; potuit et ille redire Marmaricus, sed modestior in aestimanda victoria fuit.* Videamus primum de loci lectione. Pro Quirinio liber Nazarianus habet *qurinio* (non *gurino*, ut refert Iahnius), Bambergensis eius loco spatium vacuum; Iordanes vero (Rom. 248) sic locum reddit: *Marmaridas et Garamantes . . . per Quirinum subegit.* Substituit pro *qurinio* Nipperdeius in philologi Schneidewiniani vol. 1 p. 670 *Cornelio*, eo motus, quod contra Garamantes expeditionis Quirinii praeterea nemo meminit, meminit L. Cornelii Balbi proconsulis Plinius (h. n. 5, 5, 36: *clarissimumque Garama caput Garamantum, omnia armis Romanis superata et a Cornelio Balbo triumphata*), propter quam victoriam extremus privatorum omnium triumphavit procos. ex Africa a. 735 (fast. Capit.). At ad verba quod attinet, qui Flori crisin probe didicit non negabit de lectione decisum esse per consensum Nazariani et Iordanis. Nipperdeii autem coniectura eo minus probanda est, quod sic Cosso Gaetulico et ipsi Cornelio parum eleganter opponitur Cornelius; neque quicquam obstat, quominus tam Quirinius quam Balbus adversus Garamantes rem bene gesserint, nam in Floro cur taceat non est quaerendum. Subegit igitur Quirinius Marmaridas et Garamantes; at si eos subegit proconsul Africae, provinciae terminos aliquantum excessit. Nam Garamantes quidem in desertis Africae interioris ita habitabant, ut tam ex Africa quam a Cyrenis exercitu peti possent; at contra populos Marmaricae terrae interiectae inter Aegyptum et Cyrenaicam, quos priores posuit Florus et aperte potiores habuit, Quirinius, cum Aegyptus extra quaestionem sit, non tam ex Africa mitti debuit quam ex Cyrenaica. Quod per-

viderunt Borghesius (opp. 8 p. 500) et Henzenus (syll. p. 496), neque ipse Zumptius non intellexit, sed cum refutare non posset, elusit. Nam Strabonem (17, 3, 23 p. 838) sibi opitulari putat, qui Marmaridas habitare quidem dicat prope Cyrenas, sed nec Cyrenaicae nec Aegypto attribuat; quasi propterea quod populus extra solum provinciae cuiusdam conterminae habitare dicitur, magis bellum ei inferre potuerit praeses provinciae non conterminae. Magis speciosum est proconsulem Cyrenaicae utpote provinciae senatoriae et inermis bellum gerere non potuisse; nam alterum nullum exemplum extat proconsulis praetorii, qui bellum gesserit. At nihilominus verum est proconsulibus omnibus non tam ius belli gerendi defuisse quam occasionem (*Staatsrecht* 2, 251), cumque proconsules consulares Africae ad Gaium usque suis auspiciis rem gesserint (Tac. hist. 4, 48), ipso iure idem licuit proconsuli praetorio Cyrenaicae. Quod si necessitas rerum fecit, ut bellum in ea provincia gerendum esset, non erat cui mandaretur praeter eius proconsulem; itaque non admodum mirum est quendam eorum rem gessisse, maxime per hos annos nova etiamtum imperii ordinatione nec rebus satis stabilitis. Ne hoc quidem constat eo tempore Cyrenaicam praesidio militari caruisse. Certe L. Pinarius Scarpus legatus Antonii et ab eo Cyrenaicae praefectus, sed etiam sub Augusto, cum post proelium Actiacum ad eum transiisset, eandem provinciam administrans c. a. 727 imperator in nummis appellatur, ut exercitui eum praefuisse dubitari non possit (cf. Orosius 6, 19, 15; Dio 51, 5. 9; Plutarchus Anton. 69; Cohen Aug. n. 125. 497—500; Eckhel 5, 272. 6, 82). Sed fac iam eo de quo agitur tempore legiones in his partibus nullas stetisse nisi in Africa provincia et in Aegypto, quid vetabat bello aliquo in Cyrenaica exorto legionem ex Aegypto eo mitti, quae proconsuli pareret? Itaque existimo Quirinium ex praetura post intervallum proconsulem factum Cretamque et Cyrenas sortitum Marmaridas et Garamantes vicisse; idque inter alia in mente habuit Tacitus scribens Quirinium *impigrum militiae et acribus ministeriis* consulatum meruisse. Ea expeditio, si recte infra docebo res in titulo nostro narratas incipere ab a. 752, ante eum annum facta sit necesse est; accuratius quo tempore Quirinius Cyrenaicam administrarit, definiri nequit, neque adsentior Henzeno propter Flori verba supra relata Marmaricam Quirinii victoriam postponenti Gaetulicae Cossi partae a. u. c. 759; nam hoc loco Florus ad temporis ordinem non attendit neque ullo pacto secundum ea, quae de Quirinio praeterea accepimus, proconsulatum praetorium administrare potuit post a. 759. Quod si quis coniciat expeditionem in Garamantes a. 734 coniuncta opera suscepisse Balbum proconsulem Africae et proconsulem Cyrenaicae Quirinium, temporum rationes ei coniecturae non adversantur; nam Quirinius utpote homo novus multo ante praeturam gessisse potest quam ad summos honores pervenit. Sed fieri quoque potest, ut uterque bellum gesserit tempore diverso.

III. Quirinium Syriae praefuisse a. 759 et deinceps constat ex locis Iosephi supra allatis; videndum autem, num alterius quoque legationis aliqua

memoria supersit. Ea quaestio cum tripertita sit, de tribus capitibus ordine dicemus.

1. Supra ubi egimus de rebus a Quirinio gestis adversus Homonadenses, huic loco reservavimus quaestionem, quamnam provinciam eo tempore obtinuerit. Homonadenses incolas regionis ad sinistram fluvii Melae (Manawgat Tschai) superioris infra Oroandes in monte Djammidah et inde porro ad orientem (v. Gustavus Hirschfeld in actis min. acad. Berol. 1875 p. 145), Cilicibus adnumerat Strabo (12, 6, 3. 4 p. 569; 14, 5, 1 p. 668; 14, 5, 24 p. 679), sed in Cilicia provincia Romana non comprehendebantur. Nam postquam Romani duce Quirinio effecerunt, quod Amyntas perficere non potuerat, ut domarentur, Cilicia aspera, ut ait Strabo 14, 5, 6 p. 671, regibus tradita est, scilicet a. 734 Archelao regi Cappadociae Ciliciae hanc partem concessit Augustus (Dio 54, 9; Strabo 14, 5, 6 p. 671; Tacitus ann. 6, 41) videturque expeditionem illam adversus Homonadenses ob id ipsum Quirinio mandavisse, ut ulta morte Amyntae ferus populus Archelao parere inciperet. Quam ob rem postea in provinciarum divisione Cilicia aspera divisa mansit a Cilicia reliqua (Ptolemaeus 5, 5, 3. 9 cf. Plinius 5, 7, 94). In Taciti autem verbis *expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis* adhuc neminem offendisse miror. Nam *per Ciliciam* aliud est atque *in Cilicia*, neque aliter ad hanc sententiam declinat nisi ubi id de quo agitur significatur pervenire ad regionem universam locaque eius omnia; ut exempli causa ann. 15, 17 recte est *Paetus per Cappadociam hibernavit*, neque aliter accipiendum quod legitur ib. 1, 15: *ut per circum triumphali veste uterentur* et quae frequenter in titulis reperiuntur similia, ut C. VI, 1620: *proc. Hispaniae citerioris per Asturicam et Callaeciam.* At Homonadenses angulum ad summum extremum Ciliciae occupantes quomodo dici possint degere *per Ciliciam*, parum perspicitur, et recte fortasse Hauptius hoc scrupulo proposito lectionem corruptam esse iudicavit emendans *super Ciliciam*, id quod ex huius commentarii editione priore recepit Nipperdeius. Utut est, sive in Cilicia provincia Homonadenses fuerunt sive ei proximi, recte qui Ciliciam regebat inde bellum iis inferre potuit, nec dubium est id ipsum a Tacito significari. Sed hoc quaeritur, utrum Cilicia provincia tum sub suo praeside fuerit an legato Syriae paruerit; et multa sunt, quae hanc sententiam commendent. Nam si Cilicia seorsum tum administrabatur, provincia fuit et inermis et sub legato praetorio constituta; at Quirinius bellum in ea gessit post consulatum. Deinde constat M. Antonium antiquam provinciam Ciliciam sustulisse (v. supra ad mon. Anc. 5, 31), Augustum novimus Cypro propriae provinciae formam dedisse, de Cilicia quid constituerit, non traditur (cf. in universum Marquardt *Staatsverw.* 1^2 p. 391). Paullo postea Ciliciam a Syriae praeside rectam esse recte observavit Zumptius l. c. p. 96 ostendi a Tacito compluribus locis. Ita in narratione discordiarum inter Germanicum et Pisonem legatum Syriae hic non solum a Cilicum regulis milites postulat (Tac. ann. 2, 78), sed etiam horum ope Celenderi oppido Ciliciae expugnato queritur provincia a

Caesare data se arceri (l. c. c. 80). Neque in tota narratione legati Ciliciae mentio fit, quae omitti non potuit, si fuisset eo tempore, neque Pisoni postea obicitur eum provinciam alienam invasisse, sed *suam armis repeticisse* (l. c. 3, 12. 16) et *bellum provinciae intulisse* (l. c. 3, 14). Item expeditionem adversus Clitas in Cilicia aspera simillimam Homonadensi bis a. p. C. 36 et 52 susceperunt Syriae qui eo tempore praefuerunt (l. c. 6, 41. 12, 55). Proprius autem Ciliciae legatus nullus invenitur ante Cossutianum Capitonem ex Cilicia repetundarum accusatum a. p. C. 58 (Tacit. ann. 13, 33)[1]). — Huic opinioni, Ciliciam eo tempore sub praeside Syriae fuisse, olim a Baronio propositae quamquam sine idoneis argumentis, hodie vero, postquam ego in epistula ad Bergmannum eam reduxi, etiam a Zumptio (l. c. p. 95 sq.) et Nipperdeio (ad Tac. ann. 2, 43) admissae, Norisius (cenot. Pis. p. 219) opposuit quod legitur apud Strabonem 14, 5, 6 p. 671 Augustum Ciliciam asperam regionem feram et latronibus infestam sub regibus esse maluisse *ἢ ὑπὸ τοῖς Ῥωμαίοις ἡγεμόσιν τοῖς ἐπὶ τὰς κρίσεις πεμπομένοις, οἳ μήτ' ἀεὶ παρεῖναι ἔμελλον μήτε μεθ' ὅλων*: excludi ita Syriae legatum habentem tres legiones et intellegendum esse Ciliciae inermem. At Strabo hoc loco cogitat de regni Amyntae divisione, quo interfecto Cilicia aspera, ut supra dixi, tradita est Archelao regi Cappadociae, Galatia autem cum regionibus conterminis et Pamphylia utpote pacatiores in provinciae formam redactae legatis commissae sunt legiones non habentibus. Hos legatos Strabo intellegit Galatiae et Pamphyliae; de Cilicia provincia, ad quam nulla portio regni Amyntae adiecta est, hoc loco non cogitavit. Multo minus obstat quod apud Dionem 53, 12 inter provincias imperatorias numerantur *καὶ ἡ Συρία ἡ κοιλὴ καλουμένη ἥ τε Φοινίκη καὶ Κιλικία καὶ Κύπρος*. Nam cum Syriam Coelen et Phoenicen eidem legato tum paruisse et aliunde constet et ex ipso titulo Tiburtino, idem locum habere potuit in Cilicia, et ipse Dio addit recensere se provincias ad sui temporis administrationem, *ἐπεὶ τό γε ἀρχαῖον καὶ ἐπὶ πολὺ καὶ σύνδυο καὶ σύντρια τὰ ἔθνη ἅμα ἤρχετο*. — Haec qui probat, ei dicendum erit Quirinium Homonadenses vicisse Syriae legatum, eaque expeditio cum secundum Tacitum facta sit inter a. 742 et 756, praeter testatam anni 759 altera Quirinio Syriae legatio danda est, quam commode referemus ad a. 751 et 752 per id tempus solos fere satis vacantes et iusto intervallo a consulatu separatos.

2. C. Caesar in Orientem missus a. 753 ibique a. 757 d. Febr. 21 defunctus rectores habuit primum M. Lollium, deinde eo mortuo eum de quo agimus Quirinium (Tac. l. c.: *datus rector C. Caesari Armeniam obtinenti*; cf.

[1]) Ludi sub Domitiano vel post eum celebrati Antiochiae nomine Syrorum Cilicum Phoenicum (*ὁ ἱερὸς πενταετηρικὸς κοινὸς Συρίας Κιλικίας Φοινείκης ἐν Ἀντιοχείᾳ*), teste titulo Neapolitano recte edito apud Henzenum *Bull. dell' Inst.* 1877 p. 109, quamquam sine dubio ex antiqua illa communione originem duxerunt, durare potuerunt ea soluta, quamquam aliter censent Henzenus l. c. et Marquardtius *Staatsverw.* 1² p. 387.

Sueton. Tib. 12. Vell. 2, 102). Tantam curam nemo credet ab Augusto permissam esse nisi viro rerum Orientis usu gnaro quique in ipsis locis sui experimentum fecisset; idque cadit omnino in Lollium, quippe qui a. 729 Galatiam post Amyntae mortem in provinciae formam redegisset (Eutrop. 7, 10). Quam ob rem eo ipso officio augetur probabilitas Quirinium antea quoque in Oriente provinciam aliquam insignem feliciter administrasse. Rector autem Gaio additus est post obitum Lollii mortui a. 755 et quidem Armeniam obtinenti, id est a. 756, id quod optime convenit cum legationis Syriacae annis quos supra invenimus 751 et 752. — At aliter longe Zumptius iudicat (l. c. p. 102). Quirinium cum Caesare in Orientem missum esse cum primum is proficisceretur a. 753, neque eum Lollio successisse, sed ipsi Lollium, Quirinium autem Romam reversum et iam solutum bellicis curis post mortem L. Caesaris (mense Aug. a. 755) sponsam eius Aemiliam Lepidam in matrimonium duxisse. At primum ita, cum constet Lollium in comitatu decessisse[1]) neque eiusmodi adiutore Gaium carere potuisse neque ullum alium praesto esse praeter Quirinium (nam Censorinus Velleii 2, 102 non fuit comes C. Caesaris in Syria, sed proconsul Asiae[2]), parata spernuntur rectoresque Caesaris pro duobus qui fuerunt finguntur tres quattuorve. Deinde quod ait Tacitus Quirinium missum esse ad C. Caesarem *Armeniam obtinentem*, nequaquam potest significare, sicut Zumptio visum est posse, proficiscentem ad expeditionem Armeniacam; nam quamquam provincia, maxime olim constituta et vacans, iure obtineri potest vel ab eo, qui re non obtinet, tamen Scipionem adversus Hannibalem missum quis dicet Africam ante obtinuisse quam eo appelleret? Immo certum est Tacitum haec duo verba ideo adiecisse, ut Quirinium significaret extremo et difficillimo tempore in expeditione Armeniaca C. Caesaris comitem rectoremque fuisse. Originem autem duxit perversa Zumptii interpretatio ex causa non improbabili; vere enim Taciti verba de Quirinio sic ut nunc eduntur cum rerum memoria non satis conveniunt. Nam si ita Tacitus scripsit: *datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat*, quomodo Quirinius ad Caesarem in Armeniam properans coluit Tiberium Rhodi, unde is abiit aestate a. 755, idemque ad Caesarem vocatus est Lollio defuncto, qui obiit ipso a. 755? At non Tacitus hoc dicit, sed qui male verba eius

[1]) Id Velleius aperte significat narrato congressu C. Caesaris et regis Phraatis sic pergens: *quo tempore M. Lolli, quem veluti moderatorem iuventae filii sui Augustus esse voluerat, perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata Caesari fama vulgavit: cuius mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit, ignoro.* Pauci igitur dies interfuerunt inter interdictam amicitiam (cf. Plinius 9, 35, 118: *hoc fuit, quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente interdicta amicitia a C. Caesare Augusti filio venenum biberet*) et Lollii obitum.

[2]) Censorinum probabile est decessisse in proconsulatu Asiae, certum non decessisse in comitatu C. Caesaris; nam si ita evenisset, Velleius postquam mortem Lollii narravit sic pergens: *paulo post obisse Censorinum in iisdem provinciis graviter tulit civitas*, scripsisset *in eadem provincia.*

distinxerunt; legendum omnino: *Nihil ad veterem ... Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, impiger militiae et acribus ministeriis consulatum ... mox insignia triumphi adeptus datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti. Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat, quod tunc patefecit in senatu laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat.* Coluerat autem Rhodi Tiberium Quirinius aut a. 751 in Syriam proficiscens aut in Asiam proficiscens ad proconsulatum suscipiendum. Nam tantum abest ut constet Roma eum ad Gaium venisse, ut magis crediderim forte pro consule Asiam regentem ab Augusto ad filium ire iussum esse. Vidimus enim eum Asiam regere potuisse per a. 755/6 et deinceps et ita eo ipso tempore, quo Lollius obiit, in Asia potuisse morari. Quod si ita factum est et inde ab itinere illo continua dimoratione Quirinius in Oriente mansit, etiam causa apparet, cur in eius laudatione Tiberius salutationem Rhodiacam et officium ab a. 755 C. Caesari exhibitum coniunxerit. — Nuptiae autem, quas Quirinius cum Lepida fecit, facile expediuntur; nam cum constet Suetonium (Tib. 49) paullo liberalius inter eas nuptias, quae ante finem a. 755 celebrari non potuerunt, et accusationem a. 773 numerasse annos viginti, quid impedit, quominus nuptiae reiciantur post Quirinii ex Syria reditum ad a. c. 757? Quod si cui spatium sedecim annorum pro viginti Suetonii displiceat, ponat Lepidam Quirinio nupsisse aut ante profectionem Romae aut in Syria; certe nemo refellet.

3. Restat notissimus locus Lucae 2, 1: *ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθεν δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην· αὕτη ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου* (sic cod. Sinaiticus; *Κυρεινίου* cod. Alex.; *Κυρείνου* cod. Vatic.). De quo postquam tot viri docti tam multa dixerunt, ego ne volumen conscribam, ab omni priorum et reprehensione et laudatione abstinens satis habebo meam sententiam breviter significavisse. Lucae de hac re quod attulimus testimonium plane solitarium est, nam reliqua evangelia de censu tacent, scriptores autem ecclesiastici ex Luca pendent omnes. Quod etiam in Iustinum cadere constat cum ex librorum eius universa indole (v. Straufs *das Leben Jesu für das Volk* p. 56 sq.) tum ex comparatione narrationis eius de censu hoc (apolog. I c. 34. 46; dial. cum Tryph. c. 78) cum Lucae verbis supra relatis; nam quem Lucas recte appellat legatum Syriae, eum Iustinus male fecit procuratorem Iudaeae (l. c. apolog. I c. 34: *ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ἡμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου*), scilicet memoria minus fida ut solet citans et male cogitans de sui temporis procuratore Syriae Palaestinae (Henzen 5530). — Lucas autem ipse illa scribens in mente habuit quae Iosephus l. 17 extr. sic refert: *τῆς Ἀρχελάου χώρας ὑποτελοῦς προσνεμηθείσης τῇ Σύρων πέμπεται Κυρήνιος ὑπὸ Καίσαρος ἀνὴρ ὑπατικὸς ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ*, item l. 18 in.: *Κυρήνιος δέ, τῶν εἰς τὴν βουλὴν συναγομένων ἀνήρ,*

τάς τε ἄλλας ἀρχὰς ἐπιτετελεκὼς καὶ διὰ πασῶν ὁδεύσας ὕπατος γενέσθαι, τά τε ἄλλα ἀξιώματι μέγας, σὺν ὀλίγοις ἐπὶ Συρίας παρῆν, ὑπὸ Καίσαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος, denique 18, 2, 1 postquam Quirinium commemoravit: *τῶν ἀποτιμήσεων πέρας ἐχουσῶν, αἳ ἐγένοντο τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ Ἀντωνίου ἐν Ἀκτίῳ ἦτταν ὑπὸ Καίσαρος*, qui annus est 759/60 u. c. Hic enim census a Quirinio institutus vere primus fuit, quem Romani in Palaestina fecerunt. Ad eundem censum Syriae recte referentur quae de censu Apamenorum ad Orontem iussu Quirinii facto in titulo Veneto (supra p. 166) traduntur. Eum censum Lucas suo errore ad orbem terrarum extendit, cum vere pertinuerit ad Syriam provinciam solam; item errore 1, 5 posuit haec evenisse *ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας*, cum Herodes excesserit a. 750 vere (Ideler Chronol. 2, 390). Bis censam esse Iudaeam a Quirinio et primum quidem eo tempore, quo a Romanis nullo modo censeri potuit quaeque eius generis alia homines theologi vel non theologi, sed ad instar theologorum ex vinculis sermocinantes, ex Lucae relatione effici posse sibi primum, mox aliis persuaserunt, rerum gnari nequaquam statuent, sed hoc statuent Lucam in rerum memoria tradenda Iosephum male compilasse et vera falsis miscuisse. Neque id non pervidit homo non rudis et satis acutus Tertullianus; nam ut contraria illa evitaret fortasse obiecta Christianis ab aliquo eorum adversario, Quirinium missum fecit censusque illos scribit (adv. Marcionem 4, 19) *actos sub Augusto in Iudaea per Sentium Saturninum*, scilicet qui praefuerit Syriae vivo Herode. — Haec quae enarravimus cum de Quirinio nihil doceant non cognitum aliunde, Lucae narratio alio nomine fortasse ad nostram rem facit prioremque Syriae legationem Quirinii quodammodo et ipsa confirmat. Nam pergit Lucas 3, 1. 23 Iesum coepisse publice profiteri anno decimo quinto Tiberii Caesaris annos natum circiter triginta; unde Tertullianus (adv. Iudaeos c. 8) aliique antiqui patres complures collegerunt Christum natum esse anno Augusti quadragesimo primo vel quadragesimo secundo sive a. u. c. 751/2 (Ideler chronol. 1, 385). Etiam Eusebius in chronicis p. 144 Sch. ad a. Abr. 2015 vel 2016 quod adscribit: *ταύτης τῆς κατὰ τὴν Ἰουδαίαν ἀπογραφῆς ὑπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς Κυρίνιος ἐπιμελητὴς ἐξεπέμφθη κατα τόδε τὸ κοσμικὸν ἔτος οὐσιῶν καὶ οἰκητόρων ἀναγραφὰς ποιούμενος*, cum habeat aliquid auctoritatis utpote profectum ab egregio chronographo Iulio Africano, secundum ea quae supra p. 14 observavimus, ad eundem fere annum ducit, nempe u. c. 753 vel 754. Lucas num ita et ipse computarit et hoc quidem loco de Quirinio cogitarit, dubitari potest, nam de aetate non accurate se tradere ipse indicat (*ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα*), neque eum sibi constare in temporum ratione modo vidimus; verisimile tamen est id ipsum eum enuntiare voluisse, quod antiqui interpretes ex narratione eius effecerunt. Ita autem, si supra recte demonstravimus Quirinium per a. 751. 752 primum praefuisse Syriae, Lucas, cum Christum natum statuit c. a. 752 Quirinio Syriam administrante, non posuit nisi probabilia et,

praeterquam quod Herodem male adscivit, eo solo nomine erravit, quod censum ex Quirinii administratione posteriore transtulit in priorem.

IV. Diem obiit Quirinius teste Tacito (ann. 3, 48) grandaevus a. u. c. 774 sive p. Chr. 21 itaque Augusto supervixit.

Quapropter quattuor illis tituli Tiburtini indiciis cum reliqui Syriae legati qui quidem noti sint excludantur omnes, de solo autem Quirinio non modo nihil tradatur, quod cum titulo non recte concilietur, sed etiam conveniant in eum ipsis adversariis fatentibus ornamenta triumphalia, mors post Augustum, denique quod maximum est Syriae legatio duplex, quae praeter hunc alii nulli ullo tempore videtur obtigisse, elogium probabiliter sic redintegrabimus, patris Quirinii praenomine adscito ex fastis Dionis (C. I. L. I p. 547):

p. sulpicius p. f. quirinius cos.

. . . . . .

pr. pro consul. cretam et cyrenas prouinciam optinuit

. . . . . .

legatus pr. pr. diui augusti syriam et phoenicen optinens
bellum gessit cum gente homonaden-
sium quae interfecerat amyntam
*r*EGEM · QVA · REDACTA · IN · POT*estatem imp. caesaris*
AVGVSTI · POPVLIQVE · ROMANI · SENATV*s dis immortalibus*
SVPPLICATIONES · BINAS · OB · RES · PROSP*ere ab eo gestas et*
IPSI · ORNAMENTA · TRIVMPH*alia decreuit*
PRO · CONSVL · ASIAM · PROVINCIAM . OP*tinuit legatus pr. pr.*
DIVI · AVGVSTI *i*TERVM · SYRIAM · ET · PH*oenicen optinuit*

Ita Quirinius post peractos ordine minores honores (Ioseph. 18, 1, 1) praetorius pro consule Cyprum et Cyrenas administravit et in eo magistratu Marmaridas et Garamantes domuit. Deinde a. 742 consul factus est. Legatus Augusti pro praetore Syriae et Phoenices a. 751. 752 Homonadensibus in Pisidia victis duas supplicationes et ornamenta triumphalia meruit. Pro consule Asiam obtinuit aut a. 753 aut potius per a. 755—758; probabile est eum eo missum esse, ut proconsulatum obiret per a. 755/6 et in itinere Tiberium Rhodi coluisse. Circa a. 755—757 Aemiliam Lepidam uxorem duxit, cui mox repudium misit ob partum suppositum (Tac. ann. 3, 22. 23; Suet. Tib. 49). A. 756 pro rectore cum C. Caesare in Armenia fuit. Ex a. 759 iterum Syriae legatus praefuit. A. 769 in urbe fuit et per eum M. Drusus Libo propinquus ei (per uxorem Lepidam, v. *röm. Münzwesen* p. 633 n. 484) extremas preces ad principem mandavit (Tac. ann. 2, 30). Item a. 773 interfuit accusationi Lepidae quondam uxoris propter crimen illud olim commissum (Tac. l. c.; Suet. l. c.). Senex a. 774 diem obiit et publice elatus est (Tac. ann. 3,

48). Stirpem post se non reliquit (Tac. ann. 3, 22). In his ut multa incerta esse patet, ita non credo quicquam contineri, quod non rationem habeat et probabilitatem[1]).

[1]) Hermannus Gerlach, cuius modo affertur libellus (*die römischen Statthalter in Syrien und Iudaea von* 69 *vor Christo bis* 69 *nach Christo.* Berolini 1865. 8. pp. 92), multo labore et bona fide, sed ne tirocinio quidem in hisce studiis posito rem quam tractavimus aggressus nihil novi protulit, quod non sit ineptum, ineptissimam autem omnium Lucae defensionem hanc (p. 33 sq.), eo tempore, quo Christus natus est, tam Varum legatum Syriae fuisse quam Quirinium censumque Quirinium tum coepisse, perfecisse post annos novem in legatione altera. Sane indignum facinus ne in hac quidem luce litterarum larvas illas tenebricosas conquiescere posse et de quaestione difficillima vel hiscere audere hominem, qui legatum proconsulem procuratorem perpetuo inter se confundat et identidem laudet auctorem nescio quem adhuc ignotum Suetonem.

DE ITERATIONE LEGATIONVM COROLLARIVM.

(v. p. 162).

Legatio provinciae alicuius cum non possit dici iterata nisi eadem provincia denuo suscepta, ne tum quidem, cum legatio eiusdem provinciae eidem homini bis defertur, iteratio semper locum habet. Ex titulo P. Pactumeii Clementis (C. VIII, 7059 = Henzen n. 6483), ubi sic est: *praetori urbano, legato divi Hadriani ad rationes civitatium Syriae putandas, legato eiusdem in Cilicia, consuli* (p. C. 138 ipso nundinio, quo Hadrianus excessit), *legato in Cilicia imp. Antonini Aug.*, apparet legationem iure finitam morte eius qui legarat, id est Hadriani, Clementi a successore redditam esse. Videtur autem Clemens magis consulatum absens gessisse una cum Ciliciae administratione quam propter eum legatione abiisse et mox finito consulatu in Ciliciam rediisse, quamquam hoc placuit Borghesio (*Bull. Nap. nuova* 2, 35 = opp. 8 p. 393). Itaque quamquam re legationem continuavit, iure alteram suscepit: quod ita esse debere non ignorant ii, qui quid sit mandatum imperium probe didicerunt. Iterationem autem Clemens non significavit, quoniam imperatoris nomine adscripto legationes duae datae ab Hadriano altera, altera a Pio etsi re eaedem tamen iure differunt. Similiter *ab epistulis* officium ita pendet ab imperatore cui quis adest, ut moriente imperatore iure solvatur, licet re continuetur. Ita in titulo Africano Sex. Caecilius Crescens Volusianus (C. VIII, 1174) dicitur *ab epistulis divi Antonini, ab epistulis Augustorum*, scilicet Marci et Veri; item in urbano (C. VI, 798 = Orell. 801) Cn. Octavius Titinius Capito is, cuius in epistulis (1, 17. 8, 12) Plinius meminit, *proc. ab epistulis et a patrimonio* — ubi intellegitur Domitiano, cuius nomen solito more suppressum est, et ab epistulis eum fuisse et procuratorem a patrimonio (cf. Hirschfeld *Verwaltungsbeamte* p. 200) —, *iterum ab epistulis divi Nervae . . . ., ab epistul. tertio imp. Nervae Caesar. Traiani Aug. Ger.* Eo nomine in tribus titulis officia diverse concepta sunt, quod Clemens et Volusianus apud plures imperatores suscepta non dinumerant, dinumerat Capito; potest utriusque usus ratio reddi, quamquam ille stricto iure magis commendatur.

At ubi provincia non exprimitur, etiamsi diversae sint provinciae, non inepte iteratio ponitur. Ita adest in titulo Superaequano (C. IX, 3306 = Orell.

3109): *Q. Vário Q. f. Gemino leg. divi Aug. II, pro cós., pr., tr. pl., q., quaesit. iudic., praef. frúm. dand., X vir. stl. iúdic., curatori aediúm sacr. monumentor. que public. tuendorum. Is primus omnium Paelign. senator factus est et eos honores gessit. Superaequani publice patrono.* Sed in ordine honorum post Augustum provinciae legatorum Augusti raro omittuntur.

Ad aliud genus legatorum spectant tituli qui sequuntur.

1. in tabula marmorea magna et ornata et optime scripta reperta Romae in coemeterio sanctorum Nerei et Achillei via Ardeatina.

Q · CAERELLIVS · Q · F
QVI · IIIVIR · CAP · QVAE
PRO · PR · TR · PL · LEGATO *sic*[1])
PRO · PR · TER · PR · PRAEF
FRVM·EX·S·C·S *sic*[2])
LEG · TI · CAESARIS · AVG
PRO · COS
EX · TESTAMENTO

Q · CAERELLIO · M · F
QVI · PATRI · TR · MILIT
QVAE · TR · PL · PRAETORI
LEG · M · ANTONI · PRO · COS

C. VI, 1364 = Henzen n. 5368.

2. Brixiae in domo Ludovici Martinenghi ALC. CHOL.; postea apud Averoldum; nunc imminuta in museo publico.

C · PONTIO · C · f
PAELIGNO · TRIB · Mil
LEG · X · GEM · Q · CVR
LOCORVM · PVBLIC
ITERVM · AED · CVR
LEGATO · PRO · PR · ITER
EX·S·C·ET·EX·AVCTORIT
TI · CAESARIS D

C. V, 4348 de visu, quatenus extat; praeterea, quatenus datur litteris inclinatis, ad antiqua exempla proba et certa.

Ex duobus viris, quorum elogia supra proposuimus, C. Pontium Paelignum urbanus titulus C. VI, 1266 scriptus aut extremis annis Augusti aut sub Tiberio (cf. Borghesi opp. 3, 363. 6, 47) recenset inter curatores quinque locorum publicorum iudicandorum. Q. Caerellius praeterea quod sciam non nominatur, nec patris eius memoriam aliam inveni, quem titulus declarat legatum fuisse M. Antonii, deinde proconsulem, sicut filius primum legatus Ti. Augusti fuit, deinde proconsul (cf. Orell. 3141). Hoc enim magis placet quam quod proposuit Henzenus, in titulo patris *procos.* extremum pertinere ad ipsum M. Antonium; nec difficultatem habet nomen Antonii nudum, cum in elogio aetate imperatoria publice proposito locus quem is in republica

---

[1]) Erratum fabrile pro LEGATVS.

[2]) Hic quoque quadratarius videtur errasse, nam *ex senatus consulti sententia*, quod proposuit Rossius, rationem non habet, cum consultum senatus ipsa sit sententia, nec magis recte omittitur *dando* post *frum.* Quaesivi quod dandi respondeat vocabulum, quale foret *subministrando*, sed aptum nullum inveni.

tenuisset, praesertim extremo tempore post finitum alterum triumviratus quinquennium, apte vix potuerit efferri. Enuntiari nomen viri quod Augustus non solum in commentario praeteriit (v. p. VI), sed etiam cum avito ex fastis publicis eradi iussit (C. I. L. I p. 422), redit omnino ad eiusdem memoriae restitutionem, cuius vestigia iidem fasti servant, factam certe ante a. 20 (Tacitus ann. 3, 18), fortasse ipso Augusto imperante (cf. *röm. Forsch.* 2 p. 78). — Legatio praetorio iure, quam Caerellius ter, Paelignus bis obiit, uterque ante praeturam, hic ex senatus consulto et auctoritate Ti. Caesaris, significet necesse est adsessoris officium in provinciis senatorii iuris legatis pro praetore commissum. Nam opponitur huic legationi in titulo priore officium legati Augusti, nec credibile est homines non praetorios ad legati Augusti locum admissos esse, cum legati adsessores non praetorii passim inveniantur (Dio 53, 14; Henzen 5450. 6007. 6012. 6051. 6498 cet.). Legationes eae utrum diversi ordinis fuerint (ut in titulo urbano C. VI, 1440 sic est: *tr. pl., quaest., leg.* [*pro pr.*] *Asiae, leg. pro pr. Africae, leg.*] *misso ad principem*) an legati hi fuerint proconsulum eorum, qui per triennium bienniumve provinciam retinerent et cum provincia etiam legatos, ut iteratio in his titulis memorata non tam propria fuerit legatorum, quam a proconsulibus orta ad legatos descenderit, certo definiri non potest. Sed tamen legationes has et ipsas annuas fuisse et iterationem recepisse cum ratio requirit (cf. *Staatsrecht* 2, 216) tum confirmat titulus quarti saeculi Africanus (C. VIII, 5290) cum quarto proconsulatu Aurelii Aristobuli coniungens legatum eius quarto. Quod etiam in proconsulum legatis iteratio non minus raro invenitur quam in legatis Augusti nec fere nisi prima aetate (nam tituli supra recensiti sub Augusto vel sub Tiberio scripti sunt), id sine dubio item inde effectum est, quod his quoque iam provincia adscribi solet. Eiusdem tamen provinciae legatio proconsularis cum facile per plures annos continuari potuerit, eam expectes saepius memorari; nihilominus sive propter officii ignobilitatem sive casu eius quoque generis iteratio vix usquam invenitur.

Quod diximus iterationem administrationis provincialis non admitti, nisi ubi provincia eadem sit, id non pertinet ad sermonem saeculi quarti. Ita in titulo Mutinensi Orell. 3746 L. Nonius Verus dicitur *bis correct(or), Apuliae et Calabr(iae), Venetiarum et Istriae*. Caecilianus ibidem *bis rationalis, urbis Romae et Africae;* item C. Caelius Saturninus in titulo urbano (C. VI, 1704) *vicarius praef(ectorum) praetorio bis, in urbe Roma et per Mysias*. Sed ab antiquiore et legitimo usu talia abhorrent.

Quod de legatione exposuimus, pariter obtinet de omnibus honoribus officiisque, quae cum per se iterationem recipiant, non nudo officii vocabulo designari solent, sed determinatione aliqua adiecta enuntiari. Scilicet ubi determinatio ponitur, iteratio ad determinationem quoque refertur, raro autem ad generale vocabulum; contra determinatione omissa iteratio etiam diversa officia amplectitur. Praefecturae tantopere inter se differunt, ut in hoc officio deter-

minatio recte abesse nequeat neque bis pluriesve praefectura aliqua functum praefecturam liceat dicere iterasse. Adsumpta determinatione *praefecti fabrum* officium, si quidem est officium, iterationem saepe adscriptum habet. Contra est in praefecto cohortis similibusque, ut ne is quidem, qui aliam post aliam cohortem rexit, dicatur *praefectus cohortis bis*, sed cohortium nomina adscribantur iteratione non adiecta, nisi quod exceptionem facit titulus Nomentanus (Orell. 208): *praef. coh.* III *sagittariorum, praef. coh. iterum* II *Asturum.* — Non magis locus est iterationi in procurationibus. — In centurionibus legionariis cum re iteratio paene legitima fuerit, eius numeris expressae neque ad legionem eandem relatae (cuius exempla item rara composui Eph. epigr. 4 p. 236) unum tantum exemplum mihi praesto est (C. X, 3733: *centurio* II *leg.* III *Cyreneicae et* VII *Cl.*). — Tribunatus militaris ut aetate liberae rei publicae iterationem sollemniter admittit legionibus scilicet non enuntiatis, ita is usus etiam aetate imperatoria aliquatenus mansit (C. II, 2029. III, 646. V, 49. 5834. IX, 3522. 5838. Orell. 2254. 3964). Sed longe frequentius legionum nomina adiciuntur, quod ubi fit, perraro iteratio significatur (C. III, 2078. X, 8241; in eadem legione C. V, 5267? IX, 5838).

INDICES.

I. CONSPECTVS RERVM

IN COMMENTARIO AVGVSTI TRACTATARVM AD ORDINEM TEMPORVM.

u. c. 706 (ante Chr. 48)
pontifex creatur *Gr.* IV 5.

u. c. 710 (a. C. 44) Caesare annos nato undeviginti I 1
plebi viritim HS CCC numerat ex testamento Caesaris dictatoris III 7.
exercitu privatim comparato rem publicam in libertatem vindicat I 1.

u. c. 711 (a. C. 43) C. Pansa A. Hirtio cos. I 1
in senatum adlegitur loco consulari I 3.
imperium accipit I 5.
pro praetore rempublicam curare iubetur I 6.
imperator I 21 (cf. p. 11).
consul creatur I 7.
triumvir creatur r. p. c. I 8. *Gr.* IV 1.
Caesarem dictatorem qui occiderunt, in exilium pellit I 10.

u. c. 712 (a. C. 42)
bellum Philippense I 11.
curiam facit IV 1. VI 34.

u. c. 714 (a. C. 40)
imperator II vel III I, 21 (cf. p. 12). — ovat I 21.

u. c. 716 (a. C. 38)
Sardiniam recipit V 31.

u. c. 718 (a. C. 36)
bellum Siculum V 1 (cf. I 19). — imperator IV I 21 (p. 12). — de servis fugitivis supplicium sumit V 1. — Siciliam recuperat V 33. — ovat I 21.
tribuniciam potestatem accipit II 21 (cf. Gr. III 19).
templum Apollinis in Palatio facit IV 1. VI 31.

u. c. 721 (a. C. 33)
imperator V? I 21 (cf. p. 12).
signa recipit a Dalmatis V 39.

u. c. 722 (a. C. 32)
bello instante cum Antonio in verba Caesaris iuratur V 3. 6.

u. c. 723 (a. C. 31)
victoria (Actiaca) clementer utitur I 14 (cf. I, 19).
imperator VI I 21 (cf. p. 12).

u. c. 724 (a. C. 30) Caesare cos. IIII*) III 22.
militibus dimissis agros in Italia adsignat et pro iis agris pecuniam municipiis solvit III 22 (cf. I 17).
provincias trans Hadrianum mare ad orientem et Cyrenas recipit V 31.
Aegyptum imperio adicit V 24.
Artavasdes rex Medorum ad eum confugit VI 1.
Tiridates Parthus ad eum confugit V 54.
ornamenta templorum in Asia reponit IV 49.

u. c. 725 (a. C. 29) Caesare cos. V II 1. III 8. 17. IV 26.
imperator VII I 21 (cf. p. 12).
tres triumphos agit I 21. 27.
aurum coronarium non accipit IV 26.
militibus dat HS millenos III 17.
plebi viritim dat HS CCCC III 8.
munus dat IV 31.
dona in templis consecrat IV 23.
Ianum claudit II 42.
nomen eius in saliare carmen includitur II 21.
patriciorum numerum auget II 1.

u. c. 726 (a. C. 28) Caesare cos. VI II 2. IV 17. VI 13.
censum agit II 2.
senatum legit II 1. princeps senatus fit *Gr.* IV 2.
templa in urbe reficit IV 17. VI 37.
pecuniam infert aerario III 34.
munus edit IV 31.
athletas dat IV 33.
ludi pro valetudine eius primum fiunt II 15.
rem publicam senatui restituit VI 13.

u. c. 727 (a. C. 27) Caesare cos. VII IV 19. VI 13.
rem publicam senatui restituit VI 13.

---

*) In annis indicandis Augustus praeterea semper posuit consulem utrumque, quibus vero annis ipse fasces tenuit, se unum nominavit semper omisso collega.

Augustus appellatur VI 16.
lauris postes domus eius ornantur VI 16.
coronam civicam accipit VI 17
clupeum aureum accipit VI 18.
viam Flaminiam reficit IV 19. VI 38.
statuas suas conflat IV 51.

u. c. 729 (a. C. 25)
imperator VIII I 21 (cf. p. 12).
triumphum recusat I 22.
Ianum iterum claudit II 42.
expeditio in Arabiam V 18.

u. c. 730 (a. C. 24) Augusto cos. X III 9.
plebi viritim dat HS CCCC III 9.

u. c. 731 (a. C. 23) Augusto cos. XI III 11.
duodecim frumentationes emetitur frumento privatim coempto III 10. (cf. I 32).
expeditio in Aethiopiam V 18.

u. c. 732 (a. C. 22) M. Marcello L. Arruntio cos. I 31.
consulatum annuum perpetuumque recusat I 35.
dictaturam recusat I 31.
curam annonae recipit I 32.
aedem Iovis tonantis dedicat IV 5.

u. c. 733 (a. C. 21)
consulatum recusat I 35.

u. c. 734 (a. C. 20)
legatio Indorum eum adit V 50.
imperator IX? I 21 (cf. p. 12).
signa a Parthis recuperat V 40.
triumphum recusat I 22.
Armeniam maiorem tradit Tigrani V 24.

u. c. 735 (a. C. 19) Q. Lucretio M. Vinucio cos. II 32 (*cf.* II 35); M. Vinucio Q. Lucretio cos. *Gr.* III 11.
ei ex Syria redeunti obviam missi principes viri in Campaniam II 34.
Fortunae reduci ara consecrata II 29.
dies reditus appellatus Augustalia II 29.
curam legum morumque oblatam non accipit *Gr.* III 11.

u. c. 736 (a. C. 18) Cn. et P. Lentulis cos. III 40; P. et Cn. Lentulis cos. *Gr.* III 12.
ab hoc anno tributa pro compluribus civibus exolvit III 40.

curam legum morumque iterum oblatam non accipit *Gr.* III 11.
tribuniciam potestatem communicat cum Agrippa *Gr.* III 21.

u. c. 737 (a. C. 17) C. Furnio C. Silano cos. IV 37.
ludos saeculares facit IV 36.

u. c. 738 (a. C. 16)
pecuniam infert aerario III 34.
munus edit IV, 31.
aedem Quirini dedicat IV 5. VI 32.

u. c. 739 (a. C. 15)
imperator X I 21 (cf. p. 13).

u. c. 740 (a. C. 14) M. Crasso Cn. Lentulo augure cos. III 22.
pro agris provincialibus, quos militibus adsignavit, pecuniam solvit III 22.

u. c. 741 (a. C. 13) Tib. Nerone P. Quintilio cos. II 38.
laurum deponit in Capitolio I 22.
redeunti ex Galliis dedicatur ara Pacis Augustae II 37.
tribuniciam potestatem iterum communicat cum Agrippa *Gr.* III 21.

u. c. 742 (a. C. 12) C. Sulpicio C. Valgio cos. II 28. Augusto tr. pot. XII III 12.
imperator XI I 21 (cf. p. 13).
pontifex maximus creatur II 26.
munus edit IV 31
plebi viritim dat HS CCCC III 12.

u. c. 743 (a. C. 11) Paullo Fabio Maximo Q. Tuberone cos. *Gr.* III 13.
imperator XII I 21 (cf. p. 14).
curam legum morumque tertium oblatam non accipit *Gr.* III 11.
theatrum Marcelli dedicat IV 22. VI 35.

u. c. 745 (a. C. 9)
imperator XIII I 21 (cf. p. 14).
laurum deponit in aede Iovis feretrii I 22.
Pannonii subacti per Ti. Neronem V 44.

u. c. 746 (a. C. 8) C. Censorino C. Asinio cos. II 6.
censum iterum agit II 5.
senatum legit II 1.
regis Phraatis liberi Romam mittuntur VI 3.
imperator XIV I 21 (cf. p. 15).
Maelo Sugamber tradit se ei VI 2.
triumphum recusat I 22.

u. c. 747 (a. C. 7) Ti. Nerone Cn. Pisone cos. III 28.
Alpes imperio adiciuntur V 12.

veteranos mittit praemiis persolutis III 28.
munus edit IV 31.

u. c. 748 (a. C. 6) C. Antistio D. Laelio cos. III 28.
tribuniciam potestatem communicat cum Tiberio *Gr.* III 21.
veteranos mittit praemiis persolutis III 28.

u. c. 749 (a. C. 5) Augusto tr. pot. XIIX cos. XII III 15.
plebi viritim dat ⅄ LX III 15.
C. Caesar filius consul designatur, princeps iuventutis fit, interesse coepit consiliis publicis II 46.
rivos reficit IV 10. VI 38.

u. c. 750 (a. C. 4) C. Calvisio L. Passieno cos. III 29.
veteranos mittit praemiis persolutis III 29.

u. c. 751 a. C. 3) L. Lentulo M. Messalla cos. III 29.
veteranos mittit praemiis persolutis III 29.

u. c. 752 (a. C. 2) Augusto cos. XIII III 19. IV 39. VI 24. L. Caninio Q. Fabricio cos. III 30.
plebi viritim dat ⅄ LX III 19.
L. Caesar consul designatur, princeps iuventutis fit, interesse coepit consiliis publicis II 46.
aedem Martis ultoris dedicat IV 21. VI 31.
ludos Martiales instituit IV 38.
navalis proelii spectaculum edit IV 43.
munus edit IV 31.
pater patriae appellatur VI 24.
veteranos mittit praemiis persolutis III 30.

u. c. 755 (p. C. 2)
L. Caesar moritur II 46 *cf.* IV 15.
imperator XV I 21 (cf. p. 15).
Armenia domita per C. Caesarem traditur Ariobarzani V 28.

u. c. 757 (p. C. 4)
C. Caesar moritur II 46 *cf.* IV 15
tribuniciam potestatem communicat iterum cum Tiberio *Gr.* III 21.

u. c. 758 (p. C. 5)
classis navigat usque ad fines Cimbrorum V 14.
Cimbri Charudes Semnones legatos mittunt V 16.
Vonones rex Parthis datus VI 9.

u. c. 759 (p. C. 6) M. Lepido L. Aruntio cos. III 35.
imperator XVII I 21 (cf. p. 16).
Daci victi V 47.

munus edit IV 31.

aerarium militare constitutum III 35.

u. c. 762 (p. C. 9)

imperator XIX I 21 (cf. p. 16).

u. c. 766 (p. C. 13)

tribuniciam potestatem communicat tertium cum Tiberio *Gr.* III 21.

u. c. 767 (p. C. 14) Sex. Pompeio Sex. Appuleio cos. II 9; Augusto tr. pot. XXXVII I 29; annum agente LXXVI VI 27.

censum tertium agit II 8.

senatum legit II 1.

II. INDEX VERBORVM.

1. De orthographia commentarii Latini.

Sermo commentarii commodus et perspicuus prorsus confirmat tam quod auctorem scribit Suetonius c. 86 secutum esse genus eloquendi elegans et temperatum vitatis sententiarum ineptiis atque concinnitate et praecipuam curam duxisse sensum animi quam apertissime exprimere, quam quod ait Fronto (ad Verum ep. 1) eum praeditum fuisse linguae etiam tum integro lepore potius quam dicendi ubertate. Non pereruditum hominem Augustum fuisse quod ait Hadrianus (apud Charisium 2 p. 209 Keil), consuetudini magis quam lectioni eum in verbis eligendis obtemperavisse significans, id illustratur iis quae p. 85 de profligandi vocabulo observavimus. Quod addit Suetonius Augustum neque praepositiones urbibus addere dubitavisse neque coniunctiones saepius iterare, ipsum commentarius non confirmat, sed similiter dicitur v 21. 23 *perventum esse ad oppidum Nabata* et *ad oppidum Mariba*, pariterque scribitur IV 34 *bis meo nomine et tertium nepotis mei nomine* et repetitur *aedis* vocabulum IV 5. 24 patientia vix ferenda. Albis V 12, Danuvius V 47 (neque tamen mox ubi redit V 48), Tanais V 53 non nominantur nisi addito fluminis vocabulo; quamquam V 14 simpliciter enuntiatur Rhenus. In numeralibus id quod est *centum millia* ibi ponitur, ubi omittitur communi usu, id quod qui commentarium usurparunt postea male decepit (v. p. 381). Splendidae originis hominum potius quam nomina usurpantur cognomina, qualia sunt Crassus Lentulus Lepidus Marcellus Nero Piso Silanus alia, contra est in hominibus novis vel nobilitatis minus conspicuae, ut in Antistiis Veteribus, Calvisiis Sabinis, Caniniis Gallis, Laeliis Balbis, Lucretiis Cimis, Passienis Rufis, Quintiliis Variis, Sulpiciis Quiriniis, Valgiis Rufis. Consulum paria plerumque ponuntur adiecta copula more recentiore, etiam ubi iunguntur duo gentilicia; omittitur copula tribus locis II 28. 38. IV 37. Iterationem in consulatibus indicandis semel omissam invenimus III 28 in Ti. Nerone vel antique (v. C. I. L. I n. 539. 615. 721) vel neglegenter.

Notae reperiuntur fere nullae. Nam sola praenomina constanter scribuntur per solita compendia, ubi sollemnis usus vocabula perscripta repudiat. Sed

tam numeri quam quae sunt *consulibus* et *sestertium* quamquam aliquoties notata, frequentius inveniuntur perscripta (v. indicem verborum); praeterea autem compendia nulla adsunt vel adfuisse videntur nisi *s. c.* semel VI 27, *Aug.* certo VI 27 in fine versus, fortasse item VI 16. Accedit *Rom(ani)* in indicis v. 1 extremo et in parte Graeca III 7 ΠΑΡΟΝΤ- in fine versus spatio deficiente positum pro *παρόντος*. — Uniuscuiusque capitis littera prima eminet; in fine solet adscribi comma formae 7, rarius 3. Eodem signo faber aliquoties (ut I 1 IV 1) usus est ne confunderentur paginarum duarum versus iuxta positi solito interstitio deficiente. Similibus virgulis in exemplari Graeco principium tam secundi parietis Latini quam auctarii indicari supra p. XXXIII monuimus. Etiam intra capita quo commodius lectio procederet, faber commata significavit aliquoties signis iisdem, plerumque interposita virgula / vel interstitio solo. Omnino re non differunt pendentque ab arbitrio scribentis notae hae omnes. Eas si qui erit qui curat, tabulas inspiciat omnia illa plene repraesentantes. — De interpunctione sufficient quae dicta sunt p. XXXVI: verba in Graecis continuantur, in Latinis separantur punctis interpositis plene et diligenter, scilicet ut praepositiones saepe enclitice substantivis suis adiungantur[1]); ceterum in locis male habitis puncta passim non tam omissa esse quam evanuisse consentaneum est.

Ipse Augustus cum in versibus extremis vocabula non diviserit, sed teste Suetonio c. 87 ab extrema parte versuum abundantes litteras ibidem subiecerit et circumduxerit, quam esse consuetudinem antiquiorem intellegitur ex eius temporis monumentis, commentarius quem habemus in hac re usum vulgarem sequitur vocabulaque saepe dividit, ut tamen syllabarum divisionem ubi quo loco fieri debeat dubitari potest videatur evitare; certe ex hoc genere non observavi nisi quod est II 21 *sacrosan*|*[ctus]* et VI 41 *consum*|*ptis*.

Apices reperiuntur superscripti vocalibus *á é ó ú*, semel tantum (I 15 *excidere*) supra *i*, cum, ubi reliquae vocales apicem recipiunt, haec littera supra lineam eminere soleat. Positi sunt secundum eius aevi consuetudinem frequenter adeoque in quibusdam vocabulis terminationibusque quasi constanter, ut tamen saepenumero adscripti non sint, ubi recte poni potuerunt. Paucis locis (ut CIVICA VI 17 — SVMMÁ VI 29) apex adest super vocalem brevem errore fabrili. Diphthongis nusquam adscribitur (nam ÁEDE IV 22 error est operarum), omnino quoniam in iis de quantitate dubitari non potest; sed is usus huic monumento fortasse proprius est, cum praeterea passim apex reperiatur adscriptus diphthongis. — Apices et *i* eminentem in terminationibus substanti-

---

[1]) Propterea punctum deficit non detrito lapide, sed consilio scribentis post *in* inscr. 3. I 3. 10. 17. II 21. 30. III 9. 22. 27. IV 4. 5. 8. 22. 40. 41 bis. 44. 53. V 5. 7. 31. 35. 42. VI 13. 15; post *ad* III 35; post *ex* I 17. 53; post *pro* VI 16. Praeterea Domaszewskio, qui haec accurate persecutus est, idem videbatur usu venisse inscr. 2 in *et inpensarum* et III 38 in HS *milliens*.

vorum verborumque repertos visum est infra coniunctos exhibere; reliquos in indicem verborum ita rettulimus, ut et ubi adsit et ubi absit perspiciatur.

1. decl. nom. sing. in -á VI 29 *errore.*

1. decl. abl. sing. in -á I 1 *bis.* II 2 *bis.* 9. 37. III 1. 12. 27. 34 *bis.* IV 7 *ter.* 9. 10. 22. 53 *bis.* V 4. 12. 33. 35 *ter.* 36. VI 15. 18 *bis.*

1. decl. gen. pl. in -árum *inscr.* 1. II 13. IV 40. 54. VI 9. 17. 26.

1. decl. dat. abl. pl. in -ís *inscr.* 3 *bis.* II 12. 37. IV 5 *bis.* 8. 17. 19. 27. IV 21. 24. 27.

1. decl. acc. pl. in -ás I 17. 20. 25. V 10. 32. 34. 36.

2. decl. gen. sing. in -i *inscr.* 1. II 23. III 8. IV 2. 5 *bis.* 10. 24. 26 *bis.* 34. 36. 43. V 41 *bis.* 44. VI 32. 38.

2. decl. abl. sing. in -ó I 7. 24. II 3. 6. 10. 25. 39. III 3 *bis.* 22. IV 4. 14. 50. 53. V 1. 4. 8. 12. 15. 19. 31. VI 16 *bis.* 26.

2. decl. nom. pl. in -i I 10. III 35. IV 45. V 7. 17. VI 11.

2. decl. gen. pl. in -órum I 11. II 1. 4. 7. 10. III 5. 8. 17. IV 15. 31. 40. 54. V 1. 17. 26. VI 3. 9 *bis.* 14. 42.

2. decl. dat. abl. pl. in -is I 3 *bis.* 10 *bis.* 18. 24. 25. 26. III 3. 4. 15. 22. 23. 24. 25. 31. IV 10. 27. 49. V 7. 39. VI 16.

2. decl. acc. pl. in -ós I 1. 10. 18. 21. 25. 27. II 25. 46. III 12. 13. 16 *bis.* 20 *bis.* 22. 30. 42. IV 27. 28. 45. V 17. 39. VI 4 *bis.* 10.

3. decl. gen. sing. in -ís III 16. V 20.

3. decl. dat. abl. sing. in -í II 22. IV 1. 9. VI 13 *ter.* 22. 42; *in* -eí (plebei) III 20.

3. decl. acc. sing. in -im VI 35.

3. decl. nom. acc. pl. in -és I 15. 28. II 15. 29. III 2. IV 5. 6. 11. 45. 46. 48. 51. V 6. 8. 10. 23. 39. 46. 54. VI 9. 10. 17; *in* -ís I 11. 21. III 2. V 32.

4. decl. gen. sing. in -ús I 27. II 1. V 17.

4. decl. abl. sing. in -ú II 1. 2. 39. III 9. 22. V 18.

4. decl. nom. pl. in -ús II 40. V 19.

5. decl. gen. sing. in -í I 8. 11.

1. sing. perf. act. in -í I 10. 14. 19. 23. 46. II 1. 2. III 9. 10. 13. 16. 23. 26. 32. 34. IV 8. 11. 22. 31. 35. V 31. 34. 36. 39. VI 15.

3. sing. perf. act. in -ít V 16.

3. plur. perf. act. in -érunt IV 47.

Vocalium geminandarum vel non geminandarum non una ratio est. Nam *aa* et *ee* vitantur scribiturque *Phrates, praerant.* — Contra *uu* perpetuo admittitur tam in vocabulis qualia sunt *iuvare, iuvenis, iuventas, rivus, vivus* quam in *annuus*; exceptionem faciunt *Dan[u]i* V 17 et *exercitum* genetivo plurali V 40 (cf. Schneider *lat. Grammat.* 1, 334). — Denique ad *i* et *ii* quod attinet, in gen. sing. decl. 2 plerumque reperitur *i* (*congiari, coronari, feretri, Iuli, Pompei, proeli*), sed uno loco IV 36 admittere debuimus genetivum *conlegii* (v. p. 91).

Similiter in dat. abl. pl. decl. 2 ut frequentior est *i* simplex (*auspicis, colonis, dis, provincis, stipendis*), ita alibi est *ii* (*consiliis, iis. iudiciis, manibiis*) idemque adeo vocabulum modo per *i* modo per *ii* scribitur, ut *municipis* et *municipiis*. Nominativo pluralis secundae scribitur *alii*; contra *adit* invenimus, non *adiit*.

Vocalis anceps inter *i* et *u* constanter effertur per *i*; ita legitur *legitimus finitimus pontifex septimus decimus vicensimus frequentissimus reciperare manibiae porticibus*; quocum licebit componere quod teste Suetonio c. 87 Augustus non *sumus* scripsit, sed *simus*. Exceptionem facit non quod scribitur *clupeus* (ea enim vocabuli forma alteraque male graecissans *clypeus* solae antiquae sunt), sed quod est *septuagensu*[*mum*] VI 28, de qua exceptione videantur quae dicentur ad numeralia.

Mediae *b d* in vocabulis extremis praeferuntur tenuibus *p t* scribiturque constanter *ob sub* — *ad adque apud id sed aliquod*; at non *absens*, sed *apsens*.

Adspiratae adsunt etiam praeter consuetudinem vetustiorem rationemque, ut in *triumphus*.

Ante *s* constanter adest *n* in vocabulis qualia sunt *quotiens viciens quadragiens quingentiens milliens vicensimus quadragensimus*.

ss adest in *caussa* (composita *excusare* et similia in commentario non reperiuntur), item in *claussum* II 42, cum tamen scribatur *clausum* II 44, *inclusum* II 21.

x simplex reperitur plerumque, etiam ubi in compositis conveniunt *x* claudens et *s* incipiens, ut *exilium;* invenitur tamen *xs* bis in *sexsiens* et *exstinguere*.

z et *s* alternant in *Artavazde* et *Artavasde*.

Mutatio vocalis coniuncta cum vocabulorum duorum compositione ab Augusto, ut fere ab idoneis auctoribus omnibus, non observatur in *consacrandi* vocabulo.

Adsimilatio in vocabulorum compositione modo admittitur modo non admittitur: nam legitur *immortalis* et *inmissus; collaticius* et semel *collegium*, cum quinquies reperiatur *conlega* sive *conlegium*; *accipere, accitus*. sed *adsignare; oppressus*. Scribitur *mp*, non *np*: *impendere*, *impensa* (quamquam *inpensa* est in praescriptione, quae non est Augusti), *imperator, comparare*, *complura*; contra tam *mq* invenitur quam *nq*: *quotienscumque, nunquam*.

In declinatione casus antiqui in *eis* habentur hi: *Dalmateis* V 40; *emeriteis laureis* VI 16 (modo sit a lauro, non a laurea, v. p. 150) *quadrigeis* IV 52, cum frequentissimum sit *is* certe in dat. abl. plur. secundae, nam dativi ablativi plur. primae exempla alia non inveniuntur. — In tertiae plurali *is* reperitur in his: *agentis* III 2; *curulis* I 21; *omnis* V 32; *pluris* I 22, quae vocabula omnia genetivum pluralis formant in *ium*; sed non desunt apud Augustum eius ordinis vocabula alia accusativum habentia in *es*, ut *aedes*, *fines, gentes, labentes* cet. — Genetivi pluralis secundae contracti reperiuntur hi: *denarium*, *deum, nummum, sestertium*, denique fortasse *triumvirum*, cum IV 36 sit XVVIRORUM. —

Tertiae genetivi pluralis in *ium* nullum exemplum hoc loco citandum est praeter *civitatium* et *Penatium*. — Quartae declinationis habemus genetivum singularis *senatus*, accusativos pluralis *laurus*, *magistratus*, genetivum pluralis *exercitum*. — Peregrina nomina sequuntur fere communem regulam scribiturque genetivo *Artavasdis Ariobarzanis Tigranis*, accusativo *Tigranem Tanaim*.

In coniugatione nihil repperi observatione dignum praeter formas tam plenas quam elisas perfecti *appellaverunt iuravérunt occupaverat petierunt*, denique *fuere* semel positum, cum *fuerunt* et similia saepe inveniantur.

In numeralibus ubi numeri duo pluresve additionis causa coniunguntur neque copula exclusa est uno vocabulo formato, ut est *undecimum*, *duodecimum*, item *tertiumdecimum* (ita enim scribitur et adiective III 9 et adverbialiter III 20, ut *terdeciens* I 29) uno scilicet spiritu efferendum, similiter atque *undeviginti*, *duodevicensimum* una sunt. in commentario Augusti copula sollemniter adicitur. Quomodo eam adiecerit, numerorum copulatorum laterculus ostendit subscriptus:

quintum et decimum III 1 adiective
[*viciens se*]*mel* I 21
ter et vicie[*ns*] IV 36
sexiens et viciens IV 41
[*se*]*p*[*timum et trigensimum*] I 29
alterum et quadragensimum II 3 adiective
septuagensu[*mum sextum*] VI 28
duo et octoginta IV 17 (in auctario [*octoginta*] *duas* VI 37)
mille et ducenti IV 45
mille et octingentos IV 44
tria millia et quingentae IV 42
triginta et quinque millia IV 26
centum et viginti millia III 19
millia quinquaginta et ducenta III 15
trecentis et viginti millibus III 15
qradragiens centum millia et sexaginta tria millia II 4
quadragiens centum millia et ducenta triginta tria m[*illia*] II 7
quadragiens centum mill[*ia et nongenta tr*]*iginta et septem millia* II 10
milliens et quingenties III 34
milliens et septingentiens III 38
bis milliens et sescentiens III 25.

Copula igitur nusquam omittitur, ubi duo tantum numeri coniunguntur, ibi autem ubi iungendi sunt tres pluresve, primo tantum loco ponitur, postea, certe in duobus prioribus censibus, non repetitur. Ordinatio autem ita fit, ut in minoribus numeris ad LXXXII minor praecedat, in maioribus inde a MCC numeri ordine ponantur. — Recedunt ab hac lege tres loci, quorum tamen unus eo excusatur, quod cum ibi legatur (III 25): *congiaria pervenerunt ad*

hominum millia numquam minus quinquaginta et ducenta, color orationis numerorum legitimam ordinationem paullum mutavit. Duo alii, [*viciens se*]*mel* et *septuagensu*[*mum sextum*], ubi utrum copula fuerit necne, parum apparet, ordinem apparet neglegi praeterea constanter servatum, fortasse inde explicandi sunt, quod cum utrumque caput, ut item tertium de censu tertio et ipsum quodammodo a communi lege recedens, ad Augusti annum extremum spectet, haec addita sint necesse est aut ab ipso sub mortem aut, id quod magis crediderim, pia interpolatione postuma. Nam rerum gestarum imperatoris defuncti commentarius in urbe et per provincias imperfecte proponi non debuit, etsi eum princeps moriens imperfectum reliquit, nec taceri de censu tertio, etsi primum et secundum solum princeps ipse enarrarat. Eodem non sine causa referetur, quod in his *septuagensumus* est per *u* litteram ab ipso Augusto in talibus formis constanter evitatam. Quam ob rem videndum, annon quae ad extrema Augusti tempora spectant a Tiberio magis quam ab ipso profecta sint. Copulae autem usus perpetuus limpiditati sermonis Augusti omnino aptus est.

Adverbia numeralia, quae iterationem significant, princeps non in *-o* formavit, sed in *-um* secundum usum magis probatum, scribens *tertium consul* et sic deinceps.

Addo singularia haec:

ab non reperitur nisi ante vocalem vel *h* litteram.

cum quo IV 50, non *quocum*.

ex constanter usurpatur, numquam *e*.

honos per *s*.

incohare.

Marcomani, non *Marcomanni*.

Messalla.

millia semper scribitur per *l* duplex.

paullo, non *paulo*.

periclum (ut videtur), *saeclaris*, *spectaclum* (in auctario est *spectaculum*).

pignora, non *pignera*.

plebei dativus reperitur bis, cum in genetivo scribatur *plebis* (v. Schneider 2, 359).

quintus, non *quinctus*.

sescenti, *sescentiens* per *s*.

valetudo per *e*.

2. De versione Graeca.

Metaphrasis Graecae originem postquam supra p. XI indicavi, eius indolem, de qua supra p. XXXVI in universum exposui quamque item accurate tractavit Otto Hirschfeld p. 261—264, placuit hoc loco expendere duplici ratione,

postquam de erroribus librariorum fabrorumve pauca quae dicenda erant p. XXXVII occupavimus. Primum componere volui quae intercedunt differentiae inter commentarium Latinum et interpretationem, deinde ut de lingua sermoneque interpretis iudicium ferretur, id quod meam provinciam excedit, a Kaibelio impetravi.

De differentiis illis cum saepe anceps iudicium sit et dubitari possit, utrum recte et proprie interpres officio functus sit an quaedam aut suppresserit aut de suo adiecerit, in earum indice malui ponere omittenda quam omittere ponenda, et sane illa quoque aliquatenus pertinebunt ad versionis proprietatem demonstrandam. Locos, ubi propter spatium videri potest quiddam ab interprete omissum esse, sed ut id quid fuerit certo definiri non possit (ut 1, 31. 2, 18. 21. 30. 42. 5, 37) non recepi.

I. Omissa ab interprete.

iuris publici vocabula:

2, 2	censum . . egi, *lustrum* . . feci	4, 11	*τὴν ἀποτείμησιν . . ἔλαβον, ἥτις ἀποτείμησις . . . ἐγένετο*
3, 10	HS quadringenos *congiari nomine* viritim pernumeravi	8, 2	*ἀνὰ δηνάρια ἑκατὸν ἠριθμησα*
4, 36	[pr]o conlegio XVvirorum *magis[ter conl]e[gi]i*	12, 9	*ὑπὲρ τῶν δεκάπεντε [ἀνδρῶν]*

topographica:

2, 29	[*iuxta a]edes Honoris et Virtutis*	6, 7	—
4, 4	*eodem in solo*	10, 7	—
4, 7	in *summa* sacra via	10, 11	*πρὸς τῇ ἱερᾷ ὁδῷ*
4, 20	praeter *Mulvium et Minucium*	11, 8	*ἔξω δυεῖν τῶν μὴ ἐπιδεομένων ἐπισκευῆς*
4, 25	in templo Martis *Ultoris*	11, 16	*καὶ Ἄ[ρεω]ς*
6, 18	in curia *Iulia*	18, 3	*ἐν τῷ βουλευτηρίῳ*
6, 33	*pulvinar ad circum*	18, 24	—
6, 35	[*trans T*]*iberim*	19, 2	—

alia:

inscr.	rerum gestarum . . *quibus orbem terrarum imperio populi Romani subiecit* inpensarum, *quas in rem publicam populumque Romanum fecit*	*inscr.*	*πράξεις δωρεαί*
1, 25	*terra m*[*ariqu*]*e*	2, 16	(?)
1, 26	[dies *pe*]*r quos* ex senatus consulto *supplicatum est*	2, 18	[*ἡμ*]*έρας ἐ*[*κ συ*]*ν*[*κλήτου*] *δ*[*ό*]*γματ*[*ο*]*ς*
1, 34	[populu]m *univ*[*ersum*]	3, 8	*τὸν δῆμον*
2, 12	exolescentia *iam ex nostra civitate*	5, 4	*καταλυόμενα*
2, 16	*vivo me*	5, 11	—
2, 34	[*eodem tempor*]*e*	6, 15	—
3, 13	*tertium* viritim dedi	8, 6	*κατ' ἄνδρα ἔδωκα*
3, 18	id *triumphale* congiarium	8, 14	*ταύτην τὴν δωρεάν*

3, 31 *prae[mia n]umerato persolvi, quam in rem* ... impendi	9, 11 *ἔδωκα*
3, 35 *ad eos qui praerant* aerario	9, 12 [*εἰς*] *τὸ* (*αἰραίριον*)
3, 42 [ex *agro*] *et* pat[rimonio] m[e]o	9, 20 [*ἐκ τῆς ἐ*]*μ*[*ῆς*] *ὑπάρξεως*
4, 7 *aedem*	10, 11 —
4, 7 *aedem*	10, 12 —
4, 13 *coepta* profligata*que* opera	10, 22 [*κατα*]*βεβλημένα ἔργα*
4, 22 *a p*[*r*]*i*[*v*]*atis* empto	11, 12 *ἀγορασθέντος*
4, 24 *in aede*	11, 16 —
4, 27 *ad triumpho*[*s*] *meos*	11, 19 —
4, 32 *nomine*	12, 3 —
4, 49 *pr*[*ovinci*]*ae* Asiae	13, 5 *τῆς* [*Ἀ*]*σί*[*α*]*ς*
5, 1 mare pacavi a praedonibus: *eo bello* servorum qui fugerant *a dominis suis et arma contra rem publicam ceperant*, triginta fere millia *cet.*	13, 14 *θάλασσαν πειρατευομένην ὑπὸ ἀποστατῶν δούλων* [*εἰρήν*]*ευσα, ἐξ ὧν τρεῖς που μυριάδας κ. τ. λ.*
5, 10 Gallias et Hispanias *provincias*	14, 4 *Γαλατίας καὶ Ἱσπανίας*
5, 17 et *eiusdem tractus* alii Germanorum populi	14, 14 *ἄλλα τε πολλὰ ἔθνη Γερμανῶν*
5, 19 *eodem fere tempore*	14, 17 —
5, 22 *usque in fines Sabaeorum processit exercitus*	14, 22 —
5, 28 *postea*	15, 7 —
5, 32 celeberrimae *et frequentissimae*	15, 22 *πληθύουσαι*
5, 46 ad *r*[*ip*]*am* fluminis Dan[u]i	16, 11 *μέχρι Ἴστρου ποταμοῦ*
5, 47 [*vict*]*us* profligatus*que* [est]	16, 13 *κατεκόπη*
6, 14 *rem publicam*	17, 20 —
6, 21 *post id tempus*	18, 6 —
6, 22 [qui fuerunt m]ihi *quoque in ma*[*gis*]*tra*[*t*]*u* conlegae	18, 8 *τῶν συναρξάντων μοι*

II. Aucta ab interprete vel liberius translata:

1, 7 me consulem ... et triumvirum ... creavit	1, 11 *ἐμὲ ὕπα*[*τον ἀπέδειξ*]*εν καὶ τὴν τῶν τριῶν ἀνδρῶν ἔχον*[*τα ἀρχὴν*] ... *ε*[*ἴλ*]*αι*[*ο*]
1, 13 [b]ella ... s[uscepi]	1, 19 [*πολέμους*] ... *πολ*[*λοὺς ἀνεδεξάμην*]
2, 19 per omnia pulvinaria	5, 14 *ὁμοθυμαδ*[*όν*]
2, 35 princip[es viri]	6, 18 *οἱ τὰς μεγίστας ἀρχὰς ἄρξαντες*
2, 44 bis omnino	7, 8 *τῷ παντὶ αἰῶνι δὶς μόνον*
3, 19 circiter	8, 15 *πλ*[*εῖ*]*ον*
3, 37 ex [q]uo ... darentur	9, 15 *ἵνα εἰσ*[*έπειτα*] ... *δίδωνται*
4, 19 [et pontes]	11, 8 *γ*[*εφ*]*ύρας τε τὰς ἐν αὐτῇ*
4, 24 aede divi Iúlí	11, 15 *ναῷ Ἰουλίῳ*
4, 29 aurum coronarium	11, 22 *τὰς εἰς τὸν στέφανο*[*ν ἐ*]*παγγελίας*
4, 37 [ludos saeclares]	12, 10 [*θ*]*έας* [*δ*]*ιὰ ἑκατὸν ἐτῶν γεινομένας, ὀν*[*ομαζομένα*]*ς σ*[*αι*]*κλάρεις*
4, 47 [quibus in] classibus	13, 3 *ἐν τ*[*ούτῳ*] *τῷ στόλῳ*
5, 5 Galliae Hispaniae	13, 20 [*Γαλα*]*τία Ἱσπανία*
5, 10 [et Germaniam]	14, 4 *ὁμοίως δὲ καὶ Γερμανίαν*

5, 17 alii populi	14, 14 *ἄλλα τε πολλὰ ἔθνη*
5, 47 [D]a[cor]u[m tr]ans[]gressus exercitus	16, 12 *Δακῶν διαβᾶσα πολλὴ δύναμις*
6, 14 per consensum universorum	17, 19 *κατὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολειτῶν*
6, 16 quo pro merito meo	17, 22 *ἐξ ἧς αἰτίας*
6, 17 postes aedium mearum	17, 23 *τὰ πρόπυλ[ά μου]*
6, 17 corona civica	17, 24 *ὁ δρύινος στέφανος ὁ διδόμενος ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολειτῶν*
6, 17 super ianuam meam	18, 2 *ὑπεράνω τοῦ πυλῶνος τῆς ἐμῆς οἰκίας*
6, 27 sub quadrigis	18, 13 *ὑπὸ τῷ ἅρματι*

Potest addi dictaturam reddi *αὐτεξούσιον ἀρχήν*, Ianum *πύλην Ἐνυάλιον*, spectaculum, athletarum scilicet, *[γυμνικο]ῦ ἀγῶνος θεάν*, triumphum et ovationem *θριαμβεύειν ἐφ' ἅρματος* et *ἐπὶ κέλητος*, quae omnia similiter explanata esse potuerunt in glossariis Graecolatinis aetatis Augustae. Praeter nomina propria et saeculares ludos ipsis vocabulis Latinis interpres abstinuit.

III. Ab interprete male intellecta et corrupta (praeter ea de quibus infra disputavit Kaibelius).

2, 5 quadragiens centum millia et sexaginta tria millia	4, 15 *τετρακό[σιαι ἑξ]ήκοντα μυ[ριάδες καὶ τρισχίλιοι]*
2, 12 [reduxi multa e]xempla maiorum exolescentia iam ex nost[ra civitate]	5, 4 *πολλὰ ἤδη τῶν ἀρχαίων ἐθῶν καταλυόμενα διωρθωσάμην*
2, 17 sacerdotum quattuor amplissima collegia	5, 12 *ἐκ τῆς συναρχίας τῶν τεσσάρων ἱερέων* (v. p. 41)
3, 15 trecentis et viginti millibus	8, 10 *τριάκοντα τρισὶ μυριάσιν*
3, 17 in colonis (= coloniis) militum meorum	8, 11 *καὶ ἀποίκοις στρατιωτῶν ἐμῶν*
4, 35 aliorum autem [magistratuum] vicem	12, 8 *διὰ δὲ τῶν ἄλλων ἀρχῶν ἐν μέρει* (v. p. 91)
5, 16 Charydes	14, 13 *Χάλυβες* (v. p. 105)
5, 52 Sarmatarum [qui sunt citra fluviu]m Tanaim [et u]ltra reges	16, 19 *Σαρματῶν οἱ ἐπιτάδε ὄντες τοῦ Τανάιδος ποταμοῦ καὶ οἱ πέραν δὲ βασιλεῖς* (v. p. 134)

De sermone sic iudicat qui ad hanc editionem mihi adiutor factus Graeca universa diligenter retractavit Georgius Kaibel.

'Graece qui vertit commentarium ab Augusto Latine scriptum, Romanus homo potius fuit quam Graecus; nam verba *lustrum feci* vertit *ἀποτελείμησις συνεκλείσθη*, memor Latinae locutionis de lustro condendo. Item si idem fuit, ut fuisse verisimile est[1]), qui auctarium scripsit, quamquam utraque lingua is balbutit, *census explendi* locutionem Graecus homo vix de suo posuisset. Cuius cuius nationis fuit, a principis viri simplicitate et proprietate dicendi eius qui Latina eius Graece vertit sermo longe abhorret. Linguae eius igno-

[1]) Quamquam notabile est Penates interpreti esse *θεοὺς κατοικιδίους*, appendicis scriptori *θεοὺς πατρίους*.

rantia qualis fuerit perspicietur et ex delectu verborum, quo in expendendo etiam id apertissime elucebit quibus auxiliis ille in vertendo usus sit, et ex singularum quarundum sermonis Graeci legum magis minusve subtilium neglectione.

'In verbis eligendis ei qui Latine scripta Graece vertit duo maxime spectanda sunt, primum ne scriptoris linguae nimis obnoxius Latine magis quam Graece scribat, deinde ut singulis vocabulis Latinis sua quaeque ac propria Graeca reddat perponderata singulis locis sententiarum vi ac necessitudine. Neutrum satis curavit interpres Ancyranus, qui nimis Latine vertit 2, 18 *ἐψηφίσατο ἡ σύγκλητος θεοῖς δεῖν θύεσθαι* (*decrevit senatus supplicandum esse dis*); 3, 22 *συνάρχοντα αὐτὸς ἀπὸ τῆς συγκλήτου αἰτήσας ἔλαβον*, ubi etsi Latina non supersunt, conici tamen potest scripsisse Augustum *petii a senatu*; 5, 8 *εὐχὰς ἀναλαμβάνειν* (*vota suscipere*); 5, 20 *ἀρχιερωσύνην καταφέρειν* (*sacerdotium deferre*); 5, 21 *εἰς τὸν τοῦ ζῶντος τόπον* (*in vivi conlegae locum*), quamquam scio *τόπῳ τινὸς* pro *ἀντί τινος* etiam alios posterioris aetatis scriptores dixisse; 6, 2 *πολιτικαῖς ταραχαῖς* (*bellum civile*, quod rectius 1, 19 *ἐμφυλίους πολέμους* expressit); 7, 5 *ἦν κεκλεῖσθαι ἠθέλησαν* (*claussum voluerunt*); 11, 7 *ἀπὸ Ῥώμης Ἀρίμινον* omissa *εἰς* praepositione; 11, 3 *ἐκ πλείστου μέρους* et 15, 15 *ἐκ μείζονος μέρους* (*magna ex parte*); 11, 17 *ἃ μοι κατέστη ἐγγὺς μυριάδων κτλ'* (*quae mihi constiterunt* HS *circiter milliens*); 16, 7 *πρὸ ἐμοῦ ἡγεμόνος* (*ante me principem*), quamquam hoc quo modo excusari possit apertum est; 3, 15 *ὁμολογούντων ἵνα χειροτονηθῶ* (*consentientibus* [*ut . . .*]) itemque 5, 17 *νόμῳ ἐκυρώθη ἵνα ἱερὸς ὦ* (*sacrosanctus uti essem lex lata est*). Huc etiam illud pertinet quod abutitur nudo dativo ad ablativos Latinos reddendos, maxime in consulatu denotando (velut 9, 4 *Τιβερίῳ Νέρωνι καὶ Ναίῳ Πείσωνι ὑπάτοις*), praeterea 16, 12 *ἐμοῖς αἰσίοις οἰωνοῖς* (*meis auspiciis*), 15, 17 *προκατειλημμένας πολέμῳ δουλικῷ* scil. *Σικελίαν καὶ Σαρδώ* (*occupatas bello civili*); 1, 11 *ἀμφοτέρων τῶν ὑπάτων πολέμῳ πεπτωκότων* (*cum consul uterque bello cecidisset*), debebat *ἐν πολέμῳ*; 1, 18 *δὶς ἐνίκησα παρατάξει* (*vici bis acie*), quamquam hic error esse potest lapicidae; recte legitur 14, 20 *κατέκοψεν ἐν παρατάξει*; bis denique quod Augustus scripserat *cum consulari imperio* ille (4, 16. 21) interpretatus est *ὑπατικῇ ἐξουσίᾳ*. Pertinet huc etiam participiorum usus ad Romanorum consuetudinem plerumque frequentatus, velut, ut unum ex multis proferam exemplum 11, 12 *θέατρον ἐπὶ ἐδάφους ἐκ πλείστου μέρους ἀγορασθέντος ἀνήγειρα*; raro vero talia ad Graecorum leges correcta, velut 13, 6 *ἃ ἰδίᾳ εἶχεν ἱεροσυλήσας* (*quae spoliatis templis possederat*). Latinum magis quam Graecum usum resipit vocabulum *πράγματα* 2, 15. 16 *διὰ τὰ πράγματα* (si haec recte suppleta sunt) *ἃ κατώρθωσα* (*ob res a me prospere gestas*) et 5, 6. 7 *πολλῶν πραγμάτων μίμημα ἐμαυτὸν τοῖς μετέπειτα παρέδωκα* (*ipse multarum rerum exempla imitanda posteris tradidi*). Denique memorabilis est interpretandi ratio 1, 4. 5: scripsit Augustus *senatus decretis honorificis in ordinem suum me adlegit*, quae ille non quidem ad ver-

bum vertit, reformidans scilicet *ἐπαινετικὰ ψηφίσματα*, sed ita se expedivit ut nec Latine satis nec satis Graece scriberet *ἡ σύγκλητος ἐπαινέσασά με ψηφίσμασι προσκατέλεξε*; debebat scribere *ἡ σύγκλητος ἐπαινέσασά με προσκαταλέξαι ἐψηφίσατο*.

'Secuntur ea quae Graece quidem sed parum apte et proprie reddita videantur esse, e quibus potissima seligentur. Possunt quidem *τὰ κοινὰ πράγματα rempublicam* significare, sed vix recte interpres 1, 3 dixit *τὰ κοινὰ πράγματα ἀπὸ τῆς δουλείας ἠλευθέρωσα (rempublicam in libertatem vindicavi)*. Potest quidem *τελεῖν* verbum vim *perficiendi* habere sicut recte 11, 2 *εἰ μὴ αὐτὸς τετελειώκοιμι τελειωθῆναι ὑπὸ τῶν ἐμῶν κληρονόμων ἐπέταξα* scriptum est *(si virus non perfecissem perfici ab heredibus iussi)*, sed neque 3, 21 recte habet verbum in his *ἃ δὲ τότε δι' ἐμοῦ ἡ σύγκλητος οἰκονομεῖσθαι ἐβούλετο, — ἐτέλεσα*, neque 6. 21. 22 in his *τῶν πραγμάτων καὶ τὰς εὐχὰς τελεσθέντων*; neutro enim loco *terminandi* notio exprimenda fuit. Potest quidem *minor* comparativus et *ἥττων* et *ἐλάττων* esse, sed vitiose ille scripsit 13, 2 *αἳ δὲ ἥσσονες πλείονς ἐναμάχησαν (plures autem minores)* nec magis recte in oratione etiam alio nomine vituperanda 8, 7 *αἵτινες ἐμοὶ ἐπιδόσεις οὐδέποτε ἧσσον ἦλθον εἰς ἀνδρῶν μυριάδας εἴκοσι πέντε (pervenerunt ad hominum milia nunquam minus* L *et* CC). Potest quidem *βίος* idem esse ac *victus* (*βίον ἔχειν ἀπό τινος* vel *ἔκ τινος*), vix vero Augustus si Graece scripsisset de se dicere poterat quod dicentem eum facit interpres 8, 4 *δώδεκα σιτομετρήσεις ἐκ τοῦ ἐμοῦ βίου ἀπεμέτρησα (frumento privatim coempto)*. Potest quidem saepissime *accipiendi* verbum *λαβεῖν* verti, non potuit 11, 23 dici *τὰς εἰς τὸν στέφανον ἐπαγγελίας οὐκ ἔλαβον* pro eo quod est *οὐ προσεδεξάμην*. Longe vero luculentissimum imperitae huius *ἀκυρολογίας* exemplum extat 11. 20, ubi quae scripsit Augustus *auri coronari pondo triginta et quinque millia municipiis et colonis Italiae conferentibus ad triumphos meos quintum consul remisi*, ea interpres sic repraesentavit Graece: *εἰς χρυσοῦν στέφανον λειτρῶν τρισμυρίων πεντακισχιλίων καταφερούσαις ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πολιτείαις καὶ ἀποικίαις συνεχώρησα*. Apparet hoc loco *συγχωρεῖν* non *remittendi* sed *permittendi* vim habere planeque contrariam ac voluerat scriptor effici sententiam. Potest sane *συγχωρεῖν* idem valere quod *remittere*, sed pecuniam oblatam sive debitam remittere Graece non est *συγχωρεῖν* sed *μεθιέναι* (Herod. VI 59). Haec omnia, quae nullo negotio augeri poterant, si cum paucissimis rarae elegantiae exemplis contuleris — vide ante omnia 14, 21 *πλείσιας πόλεις δοριαλώτους ἔλαβεν* (simpliciter Augustus *complura oppida capta*) — vix poteris suspicionem procul habere, interpretem adhibito glossario rem gessisse: ex glossario poterat petere *rempublicam* explicatam *τὰ κοινὰ πράγματα*, *perficere τελεῖν*, *adsignare μερίζειν* (8, 22), *rebellare ἀναπολεμεῖν* (15, 8, ubi debebat *ῥεωτερίζειν* dicere); ex glossario etiam interpretamentum sumpsit 18, 1 *ὁ δρύινος στέφανος ὁ διδόμενος ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολιτῶν* (*corona civica* scripserat Augustus) et

fortasse aliud quoque 12, 10. 11 *τὰς Θέας διὰ ἑκατὸν ἐτῶν γινομένας ὀνομαζομένας σαικλάρεις*, ubi glossa cum interpretatione in unum coaluit (*ludos saeculares* in exemplo Latino scriptum est). Iam qui glossario Graeco adeo non didicit recte uti ut vel contra sententiam a scriptore institutam verba plana ac perspicua interpretaretur, is mehercule non Graecus fuit homo sed Romanus. Graeci autem sermonis insuetum se praebuit etiam aliis commissis erroribus, e quibus graviores quosdam breviter recensebimus.

'Saepissime peccavit in articulo vel admittendo ubi locus eius non esset vel omittendo ubi careri eo nequiret. Scripsit ille 1, 7 *ἐν τῇ τάξει τῶν ὑπατικῶν ἅμα τὸ συμβουλεύειν δοῦσα* (*consularem locum simul dans sententiae ferendae*), ubi debebat aut *ἐν τοῖς ὑπατικοῖς* (App. b. c. 3, 51; *ἐν τοῖς τεταμιευκόσι* Dio 46, 29) aut *ἐν ὑπατικοῦ τάξει*; nec magis recte 12, 8 *Θέας ἐποίησα δι' ἐμοῦ τετράκις, διὰ δὲ τῶν ἄλλων ἀρχῶν ἐν μέρει τρὶς καὶ εἰκοσάκις* (*aliorum magistratuum vicem*) scripsit pro *δι' ἄλλων δὲ ἀρχῶν*. Item abundat articulus 14, 3 *πασῶν ἐπαρχιῶν, αἷς ὅμορα ἦν ἔθνη τὰ μὴ ὑποτασσόμενα τῇ ἡμετέρᾳ ἡγεμονίᾳ*, ubi non reputavit interpres quae vis esset coniunctivi in verbis Augusti *quibus finitimae fuerunt gentes quae non parerent*; nam recte *parerent* in lacuna suppletum esse nemo negabit. Contra omittitur articulus perperam 11, 7 *ὁδὸν Φλαμινίαν*; 15, 5 *μᾶλλον ἐβουλήθην βασιλείαν Τιγράνῃ δοῦναι*, ubi si minus *ταύτην τὴν βασιλείαν* (*regnum id* Latine), at *τὴν βασιλείαν* certe scriptum oportuit; 10, 22 *μεταξὺ τοῦ τε ναοῦ τῶν Διοσκόρων καὶ Κρόνου* pro *καὶ τοῦ Κρόνου*; 12, 3 *τρὶς τῷ ἐμῷ ὀνόματι καὶ πεντάκις τῶν υἱῶν μου* (*et quinquiens filiorum meorum nomine*) pro *τῷ τῶν υἱῶν μου* coll. 12, 7; adde quod *populum Romanum* quinquiens vertit *τὸν δῆμον τῶν* (semel rectius *του δήμου τοῦ* mon. Apoll.) *Ῥωμαίων*, octiens vero *δῆμον Ῥωμαίων*. Deest articulus interdum substantivis quibus *οὗτος* vel *ἐκεῖνος* pronomina addita sunt, 8, 17 *οὗτος ἀριθμὸς πλείων — ὑπῆρχεν*, 16, 17 *πρὸ τούτου χρόνου*, 12, 14 *μετ' ἐκεῖνον χρόνον*. Interest aliquid inter *στόλος ἐμὸς* et *ὁ ἐμὸς στόλος*, et recte *στόλος ἐμὸς* scriptum est 14, 10; eo falsius autem 1, 1. 2 *ἐμῇ γνώμῃ καὶ ἐμοῖς ἀναλώμασιν* (contra recte 9, 16 *τῇ ἐμῇ γνώμῃ*) et 8, 19 *ἐν ὑπατείᾳ τετάρτῃ ἐμῇ*, atque omnino nullo discrimine facto *οἱ υἱοί μου, οἱ ἐμοὶ υἱοί, ὁ πατήρ μου* et *ὁ πατὴρ ὁ ἐμός* mero variandi studio posita videmus.

'Praepositionum usum non semper recte observavit interpres; nam ut mittamus quod errore fortasse lapidarii natum supra exagitavimus 1. 18 *ἐνίκησα παρατάξει* pro *ἐν παρατάξει* vel, ut Dionysius scribit (II 50 al.), *ἐκ παρατάξεως*, falsum est quod legitur 2, 16 *ἃ αὐτὸς ἢ διὰ τοὺς ὑποστρατήγους ἐμοὺς κατώρθωσα*; nam genetivus necessario requiritur, quo casu recte usus ille est 3, 20 *δι' ἐμοῦ* et 5, 9 *διὰ τῶν ὑπάτων*. Neque magis probari potest quod cuivis genetivo partitivo ex Romanorum more praepositionem *ἐξ* addi posse existimavit; nam diversa sunt quae Graece dici solent *ἐκ πάντων μάλιστα* et *ἐκ πόλεων πίσυρες* ab illis quae interpres sibi permisit 2, 2 *ἐξ*

ὧν καταγαγον (sequebatur numerus) et 13, 15 *ἐξ ὧν* (scil. *δούλων*) *τρεῖς που μυριάδας παρέδωκα*, quo altero loco ne in Latino quidem exemplo praepositio usurpata fuit (*servorum xxx fere millia tradidi*). Pessime *Romae* bis vertitur *ἐπὶ Ῥώμης* non solum in titulo commentarii neglegenter conscripto, sed etiam 6, 5, neque defenditur hoc eo quod Dionysius (velut II 56) *ἐκκλησιαζειν ἐπὶ στρατοπέδου* dixit; pessime etiam vel contra exemplum Latinum in additamento idem sine dubio homo scripsit *ἠριθμημένον χρήματος εἰς τὸ ἀεράριον ἢ εἰς τὸν δῆμον τὸν Ῥωμαίων ἢ εἰς τοὺς ἀπολελυμένους στρατιώτας* (*dedit in aerarium vel plebei Romanae vel dimissis militibus*); dici potest *χρήματα δαπανᾶν εἰς τοὺς στρατιώτας*, nemo vero dixit *χρήματα* (vel adeo *χρῆμα*) *ἀριθμεῖν εἰς τοὺς στρατιώτας*. Minus recte etiam 4, 4 *ἐπὶ ἔτη τεσσαράκοντα* vertit id quod lacuna haustum recte in Latinis restitutum est *per annos quadraginta*. Nec denique in verbis cum praepositionibus compositis eligendis abstinuit erroribus, velut 6, 2 *sacerdotium cepi* male reddidit *τὴν ἀρχιερωσύνην ἀνείληφα*.

'Verborum ordinem plerumque eum quem Augustus praeiverat accurate imitatus est non reputans saepius hac in re quod Romanis liceret non licere idem Graecis. Non habent offensionem Latina (2, 2) *in consulatu sexto censum populi conlega M. Agrippa egi*, habent Graeca (4, 10. 11) *ἕκτον ὕπατος τὴν ἀποτείμησιν τοῦ δήμου συνάρχοντα ἔχων Μάρκον Ἀγρίππαν ἔλαβον* diremptis quae non erant dirimenda verbis *τὴν ἀποτείμησιν* et *ἔλαβον*. Similiter alia multa etiam contra Augusti exemplum, velut 4, 17 *μόνος* male separatum est a verbo *ἔλαβον*, recte Augustus *solus feci*; inepto loco 10, 7 *Ὀκταονίαν* insertum est, quod suo loco posuerat Augustus. Lapidarium fortasse reum faciemus 13, 3 *αἱ δ' ἧσσονες πλείους ἐναυμάχησαν*, ubi requiritur *αἱ δὲ πλείους ἧσσονες ἐναυμ.* — Negationum legem subtiliorem turpiter violavit interpres 16, 17 *οὐδέποτε πρὸ τούτου τοῦ χρόνου ὀφθεῖσαι παρὰ Ῥωμαίων ἡγεμόνι*, ubi omitti non potuit *οὐδενί*. — Nihil dicam de verbi generum usu ambiguo, quamquam 1, 2 *τὸ στρατεύεσθαι ἡτοιμασάμην* melius certe scripsisset quam quod scripsit *ἡτοίμασα* (cf. Dio 48, 35 *στρατεία, ἣν ἐπὶ τοὺς Πάρθους ἡτοιμάζετο*), rectius omnino alio verbo usurus, neque litigabo cum homine Graece indocto de singulorum enuntiatorum coniunctione, quamquam sunt quae vel tirones male habeant, velut 4, 11 sqq.; non persequar haec et similia, pauca per saturam additurus memoratu digna. Confecto bello civili Augustus 1, 15 externas gentes quibus tuto ignosci posset se dicit *conservare quam excidere maluisse*: pervertit haec adeo ut absurda fierent interpres (1, 23) scribens *ἔσωσα μᾶλλον ἢ ἐξέκοψα*. Inauditum plane dicendi genus est 2, 23 *καὶ ἦμην τριακοστὸν καὶ ἕβδομον δημαρχικῆς ἐξουσίας*, quod ne Orosiani quidem quod Bergkius excitavit exempli audacia (Oros. VI 18 *ut in perpetuum tribuniciae potestatis esset*) explicatur, nedum defenditur. Denique ridiculum sane ignorantiae exemplum interpres edidit 15, 19, recte id a Bergkio exagitatum; scripsit Augustus *colonias in Africa Sicilia Macedonia utraque Hispa-*

nia Achaia — deduxi. Ille vero quid inde exsculpsit? *ἀποικίας ἐν Λιβύῃ Σικελίᾳ Μακεδονίᾳ ἐν ἑκατέρᾳ τε Ἱσπανίᾳ Ἀχαίᾳ — κατήγαγον;* itaque postquam *utraque* recte vertit *ἑκατέρᾳ* nondum sibi satis fecisse visus *que* particulam iterum vertit *τε.*

'Itaque etsi detraxeris si quid forte ab lapicida erratum sit, etsi consideraveris non esse continuam narrationem, in qua structurae concinnitas et elocutionis elegantia ostentari potuerit, sed brevem rerum gestarum indicem, etsi concesseris facilius aliquem quae ipse cogitavit verbis concipere posse quam alienae orationi suam commodare linguam, tamen tam multa sunt cum parum eleganter tum contra sermonis Graeci leges dicta, ut miraremur si quis Graecum hominem interpretem fuisse contendere vellet. Non est oratio haec, sed verborum constipatio forte fortuito undecunque correptorum, non est haec ars sed est rudis inertia miserrimo aliquo glossario misserime fulta.'

Haec Kaibelius. Hominis huius orthographiam Graecam vel potius sermonis vitia persequi nec meum est neque omnino multum interest, quasnam leges eiusmodi scriptor secutus sit vel non secutus. Pauca tamen adnotabo.

ει pro *ι* longa ut ea aetate passim reperitur, ita hunc commentarium scribenti diphthongum apparet legitimam visam esse: scribitur *Εἰόνιος* 14, 8. 15, 14 — *ἐπαρχεία — λείτρα* 11, 18 — *μείμημα* 5, 6 — *πολείτης — σειτικός* 9, 24 cet. — *τειμή, ἀποτείμησις — ἐτελείωσα* 10, 23 — *χείλιοι* et sic deinceps.

η pro *ει* aliquotiens reperitur, ut in *Ἅλπης* 14, 6 — *δουλήα* 1, 3 — *κυριήα* 17, 22.

ε pro *η* reperitur in vocabulis *εὔξησα* 4, 8 et *ἐπεύξησα* 14, 4.

ε pro *αι* constanter usurpatur in *σημέα* vocabulo 15, 23. 16, 3. 5 (cf. 13, 21). Conferri poterit *σημηαφόρος* tituli Aegyptiaci C. I. L. III 6026 aliaque plura inveniuntur similis corruptelae exempla.

ο pro *οι* constanter usurpatur in *ἐπόησα, πεπόηκα*; sed scribitur *ποιεῖν.*

Iota mutum in Ancyrano raro omittitur, ut in *ἐξητήσατο* 13, 18; *ἠτήσαντο* 14, 17; *παρητησάμην* 3, 5, item in dativis *εἰρήνη* 14, 7, *Πάνσα* 1, 5, *σωτηρία* 18, 1. Saepius abest in Apolloniensi.

ν ante *γ κ χ* frequentius scribitur quam *γ.* Ita legitur *ἐνγύς* passim et *ἤνγισεν* 16, 8 — *κατήνεγκα* 9, 20 cet. — *σύνκλητος* semper — *ἐτύνχανον* 15, 22; sed etiam *γ* in talibus passim reperitur, ut *ἐπαγγελίας* 11, 22 — *ἠνάγκασα* 16, 4 cet.

3. Vocabula Latina.

Ex suppletis vocabulis in indicem admissa sunt, quae et certa essent et aliquam utilitatem haberent, distincta ita ut aut ipsa uncis quadratis concluderentur aut paginae versusque numeri. — Numeri omnes remittunt ad paginas versusque exemplaris Latini, etiam in Graecis quae respondent, exceptis paucis locis quibus praescriptum est *Graec.*

á (*sic rel.*, a I 18 V 11) I 18. 24 IV 14. 22 V 1 *bis.* 11 VI 9. ab IV 16. 19 V 14.
a .... VI 40.
absens *v.* apsens.
accio: accitorum (= *μ[εταπεμφθέντων]*) IV 33.
accipere (= *λαμβάνειν*): accipieba[t] III 21. accepi IV 29. accéperunt III 18 VI 10.
Achai[a] V 35.
acie (= *παρατάξει*) I 12 V 21.
Actium V 4.
ad II 29. 39 III 14. 27. 35 IV 2. 4. 22. 27 V 3. 4. 7. 11. 14. 15. 21. 23. 46. 50. 54 VI 34; [a]d V 32.
adeo: adit (= *προσῆλθεν*) V 16; ad[i]t (= *ἤνγισεν*) V 45.
Adiabenus: Ἀδιαβ[η]νῶν *Graec.* XVII 2.
adicio: adieci (= *προσέθηκα*) V 24.
adigo: [adacta] I 16.
[adlegit] (= *προσκατέλεξε*) I 4.
ad[ministravi] (= [*ἐπετήδευ*]*σα*) I 33.
adque (= [*κα*]*θά*[*περ*]) IV 30 [VI 39].
adsignávi (= *ἐμέρισα*) III 23.
aedes (*Graece ναός pro templo, οἰκία pro domo*): aedem IV 2. 5. 7 *bis.* 8 *bis.* 13 *bis.* VI 31; áede *errore pro* aedem IV 22. aede IV 24 *ter.* 53. aedes IV 5. 6 VI 37; [ae]des II 29. aedium VI 17; [a]edium VI 26.
Aegyptum V 24.
aeque IV 30.
aerárium (*sine apice* III 36; *Graece* ἀρά-ριον) III 34. 36. aerário III 35.
aetátis (= *ἡλικίας*) III 27.
Aethiopiam V 19. 21.
África (= *Λιβύη*) V 5. 35.
Africanarum IV 40.
ager (= *ἀγρός*): agros I 18. agris III 22. 25.
ago: agebam [I 29] VI 28. égi [I, 21] II 2. agentis (*accus. plur.*) III 2.
Agrippa II 2 IV 37.
aheneis (= *χαλκαῖς*) *Inscr.* 3.
[Alba]norum V 53.
Albis V 12.
aliquant[um] I 18.
aliquod (= *aliquot*) II 25.
[aliquotiens] = *τότε* II 17. 18.
alius: alii (*plur.*) V 17. aliae VI 6. aliorum IV 35. alios V 39.
[Alpes] = Ἄλπης V 12.
alterum II 3.
amicitia (= *φιλία*): amícitiae VI 8. amicitiam V 17. 41 VI 5; am[icitiam] V 51.
amicus: a[micis] VI 42.
ámi[ssa] (= *ἀποβεβλημένας*) V 39.
amphitheatris IV 41.
ampliáto IV 15.
ampliu[s] (= *πλεῖον*) VI 22. amplissima II 17.
anniversarius (= *ἐνιαύσιος*): [anni]versárium II 31. [41].
annona (= *ἀγορά*): an[nonae] I 33.
annus (*ἔτος* I 1 VI 28 *cf.* III 1, *praeterea ἐνιαυτός*): annum II 3 III 1 VI 28. anno I 7 [III 40]. annos I 1 II 25. [ann]is IV 39.
annuus (= *ἐνιαύσιος*): [an]nuum I 35.
ante (*semper praepositio*; = *πρό*) I 28 V 16; [a]nte V 44.

anteá (*sic* VI 7, *praeterea sine apice*; = *ἔμπροσθεν* II 28 V 33, *πρότερον* fortasse IV 30, *πρὸ τούτου χρόνου* V 50, *τὸ πρίν* VI 7) [II 28] IV 30 V [7] 33 [50] VI 7.
Antistio (= *Ἀνθεστίῳ*) III 28.
Apollinis IV 1. 22. 24. 53 [VI 31].
appellare (= *προσαγορεύειν semper, nisi ubi est* qui appellatur = *καλούμενος* IV 11 V 90): appellavit II 33 [VI 25]. appelláverunt III 5. appellátur IV 11; appel[latur] V 19. appellá[tus] I 21; a[p-pe]llátus IV 28; [appe]llátus VI 16. appellári IV 3.
Appuleio II 9.
apsent[i] (= *ἀπόντι*) I 31.
apud II 19 V 51.
aquam IV 11. aquarum IV 10; aqu[arum] VI 38.
ara (= *βωμός*): áram II [29] 38.
Arabiam V 22; Ar[a]biam V 19.
[a]rbitrium (= *κυρίαν*) VI 15.
argenteae IV 52. argenteis III 5.
Ari[minum] IV 19.
Ariobarzanis VI 12. Ario[barz]ani V 29. Ar[iobarzanem] VI 11.
arma V 2.
Armeniam V 24.
Armeniorum V 31.
Ar[runtio] I 32; Ar[r]unti[o] III 36.
Ἀρταο[υάσδης] VI 1. Artavazdis = *Ἀρταβάζου* VI 11; Artavasdis = *Ἀρταουάσδου* V 26; Artaba[zi] = *Ἀρταβάζου* V 29. Artavasdi = *Ἀρταουάσδῃ* V 30.
[A]rtaxares VI 12.
Artaxe (*abl.*) V 25.
[arvalis] = *ἀρουᾶλις* I 46.
Asia V 35. Asiae IV 39.
Asinio II 6.
[at]hletarum IV 33. [athletas] = *ἀθλητάς* VI 40.
atque *v.* adque.
Aventino IV 6.
augeo: auxi (= *εὔξησα s. ἐπεύξ[ησ]α*) II 1. V 10.
[augur] = *αὔγουρ* I 45. augure III 23.
[Augustali]a = *Αὐγουστάλια* II 33.
Augustus (= *Σεβαστός*): [Aug(ustus)] VI 16. Augusti *Inscr.* 1. [A]u[g]ust[ae] II 39. Augustum IV 21 [VI 34]. Aug(usto) VI 26.
[aureu]s VI 18. aurea IV 53.
aurum IV 29. auri IV 26.
auspicio (= *οἰωνοῖς αἰσίοις*) V 18. auspicis (= *αἰσίοις οἰωνοῖς*) I 25; a[u]sp[ici]s V 47.
aut (= *ἤ*) I 17. 19. [24]. 28 III 27. [38] IV 32. 40. 41 *bis*; a[ut] IV 46; a[ut] VI 42.
autem I 7 III 4. 9 IV 35. 46 V 26. 36. 42; au[tem] VI 22.
basilicam IV 12. 14; [basilica]m VI 34.
B[a]staru[ae] V 52.
bellum (= *πόλεμος*) I 11 IV 50. be[lli] V 4. bello I [8] 24 V 1. 13. 34 VI 5. [b]ella I 13; b[ella] VI 13. bellorum III 8.
beni[g]ne (= *μετὰ προθ[υμίας]*) IV 30.
bestiarum (= *θηρίων*) IV 42; best[ia]rum IV 39.
[birem]es (= *δίκροτ[οι]*) IV 46.
bis [I 21] II 44 III 25 IV 33; b[is] I 12.
Britann[o]rum VI 2.
cado: [ceci]disset I 8.
caedere (= *κατακόπτειν*): caesae V 21.
Cae[sare] II 9. Caesares II 46. Caesarum IV 44 VI 36.
C. *v.* Gaius.
Calvisio III 29.
[Campan]ia[m] = *Καμπανίας* II 36.
cam[pum] II 39.
Cáinio III 30.
[Capenam] = *Καπήνῃ* II 30.
capio (= *λαμβάνω* V 21; *ἀναλαμβάνω* II 25): cépi I 19. [II 25]. céperant V 2. capta V 2. 21.
Capitolium IV 9; Capito[lium] VI 37. Capitolio IV 5 24; Capi[tolio] I 23.
caput: capita II 4. [7]. capitum II 10.
carmen (= *ὕμνους*) II 21.
Castoris (= *τῶν Διοσκό[ρων]*) IV 13.
cavato (= *ἐκκεχω[κώς]*) IV 44.
caussa III 1 [VI 20].
celeberrimae (= *πληθύουσαι*) V 37.
censeo (= *ψηφίζεσθαι* II 39. 45; censeri = *τιμᾶσθαι* II [4. 6.] 10): censuit II [39]. 45. censa II 4. 6; ce[nsa] II 10.
Censorin[o] II 6.
cénsum (= *τὴν ἀπ[ο]τείμησιν*) II 2. census (= *τὰς τειμήσεις*) VI 42.
centum II 4. 7. 11 III 19. 41.
chalcidicum IV 1. ch[alcidico] VI 34.
Charydes V 16.
Cimbri V 16. [Cimbroru]m V 15.

circiter (= *ἐγγύς* I 16 IV 26. 33. 52; *πρόσπου* IV 48 V 8; *πλ[εῖ]ον* III 19; *om.* III 24. 25) I 16 III 19. 24 IV 26. 42. 48. 52; ci[r]citer III 25; ci[rc]iter IV 33 V 8.

circus (= *ἱππόδρομος*): circum IV 2. 4 VI 34. c[ir]co IV 40 [VI 35].

citra (= *ἐπιτάδε*) V 47. [52].

civica (civica corona = *ὁ δρύινος στέφανος ὁ διδόμενος ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολειτῶν*) VI 17.

civilis (= *πολειτικός* II 26; *ἐμφύλιος* I 13 VI 13): [civilis] II 26; c[ivilia] I 13; [civil]ia VI 13.

civis (= *πολείτης*): [cives] II 19. civium (*sic* II 3. 7; civium I 16) I 16 II 3. 7. [10]. civibus I 14.

civitátium IV 49.

classis (= *στόλος*): cla[ssis] V 14. [c]lassibus IV 47.

claudendum II 45. [cl]aussum II 42; clausum II 44.

clem[entiae] (= *ἐπείκειαν*) VI 19.

[clupeus] (= *ὅπλον*) VI 18. clúpei VI 20.

Cn. v. Naeus.

coémpto III 11.

coepta IV 13.

[c]o[gnomine] (= *ἐπωνυμία*) II 33.

cogo (= *ἀναγκάζειν*): coegi V 42. [49].

collegium *v.* (conlegium).

colonia (= *ἀποικία*): colonias III 27 V 35; [colo]nias V 36; [coloni]as I 17. colonis IV 27; colo[n]is III 19; colon[i]s III 17; colon[is] IV 30.

[comitia] = *ἀρχαιρέσια* II 27.

commercium VI 8.

comparo: comparávi (= *ἡτοί[μασα]*) I 2.

complures (= *πλεῖστοι* IV 10 V 21): complur[a] [II 12] V 39; [c]om[plur]a V 21. complúribus IV 10.

conferentibus (= *καταφερούσαις*) IV 27.

conficio: confecta IV 42.

conflixerunt (= *ἐναυμάχησαν*) IV 47.

confug[erunt] (= *κατέφυγον*) V 54.

congiárium (= *ἐπίδοσις* III 13; *δωρεά* III 18) III 18. congiári III 10. congiaria III 13.

conlega (= *συνάρχων*) II 2. 9 *Graec.* III 22; conleg[a] IV 37. [c]onle[gae] (*gen. sing.*) II 23. conlegae (*nom. pl.*) VI 23.

conlegium (= *συναρχία* II 17): [conl]e[gi]i IV 36. conlegio IV 36. collé[gia] II 17.

consacro (= *ἀφιερόω*): consacrávi IV 25. consacravit II 30. co[nsacrari] II 39.

consénsum (= *τὰς εὐχάς*) VI 14.

[consentientibus] = *ὁμολογ[ο]ύντων* I 38.

[co]nserváre (= *σώζειν*) I 15.

consilio (= *γνώμῃ*) I 1 III 36. consiliis (publicis interesse = *μετέχειν τῆς συγκλήτου*) III 3.

constituo: co[nstitut]um (est = *κατέστη*) III 37. constituend[ae] (= *ἐπὶ τῇ καταστάσει*) I 13. [constituendae rei p.] = *δημοσίων πραγμάτων κατορθωτής* Gr. IV 1.

consto: constiterunt (= *κατέστη*) IV 25.

consul (= *ὕπατος* plerumque, *ὑπατεύων* IV 28 cf. I 28) [I 28] II 1 III 8. 10. 15. 17. 19 IV 17. 28; con[s]ul IV 19; [c]on[sul] IV 38. consulem I 8. [consule] II 35. consules [II 18] III 2 V 7; c[ons]ules III 40; [cons]ules II 15; [co]n[su]les IV 39. consulibus I 7 [32. 37. II 32] III 22. 28. 29. 30; consulibu[s] I 4 II 28; [consulibu]s II 38. cos. [I 8]. II 6. 9 III 29. 36 IV 37; co[s.] III 30.

[c]on[sula]rem I 4. consulári II 5. 8.

consulátu[m] VI 24; con[sulatum] I 35. consulátu II 2 III 9. 22 VI 13.

consultum (= *δόγμα*): consulto I 27 [II 21. 34 VI 16]. c(onsulto) VI 27.

consumptam (incendio = *καυθεῖσαν*) IV 14. consumpt[is] (= *πεπονηκυίαις*) VI 41.

continens (= *πλησίον*) IV 1.

contrá V 2.

cop[iae] (= *δυνάμεις*) V 20.

[corona] = *στέφανος* VI 17.

coronárium (= *εἰς στέφανον*) IV 29. coronári IV 26.

Cr[asso] III 23.

[creavit] = [*ἀπέδειξ*]*εν et ε*[*ἴλ*]*ατ*[*ο*] I 9.

cum (*praepos.*; = *μετά* I 6 II 35; *πρός* VI 7; *σύν* IV 2 VI 34) I 6 II 5. 8. 35 IV 2. 50 VI 7. 34.

cum (*coni.*; = *ὅτε aut per participia*) I 8. [22] II [43] 44 III 40 [VI 24. 27]; c[u]m V 25; c[u]m I 29; [cu]m II 37.

cuncta (= *ὅλης*) II 26.

[c]uratio[nem] (= *ἐπιμέλειαν*) I 33.

cúriam (= *βουλευτήριον*) IV 1 VI 34. [c]úria VI 18.

currum (= *ἅρμα*) I 28.
[cu]rulis (*accus. plur.*; = *ἐφ' ἅρματος*) I 21.
Cyrenas V 32.
[D]a[cor]u[m] V 47; Da[cor]um V 48.
[Dalm]ateis (= *Δαλματῶν*) V 40.
Danuvius (= *Ἴστρος*): [D]an[u]i V 47. Dan[u]vium V 48.
decem IV 33.
decerno (= *ψηφίζομαι*): decrevit I 26 [II 16] III 4. VI 27. decreverant IV 30. decernentibus IV 29. *ψηφισσ* . . . I 22.
deciens I 29.
decimum *adv.* III 20.
Decimus: D. (= *Δέκμῳ*) III 29.
decimus: decimum III 1; dec[i]mum VI 24. decimo III 9.
[decreto] = [*δόγμα*]*τι* IV 17. decretis I 3.
deducere (= *καταγειν*): dedú[xi] I 17 V 36. [d]edúxerunt III 26. deducti III 3. deductas V 38.
defero (= *καταφέρειν*): detuli III 39. detulerim III 35. deferente II 24.
def[i]cerent (= *ὑπέλειπον*) III 40.
deincep[s] (= *ἑξῆς*) IV 38.
denarium (*gen. plur.*) VI 30. denários III 16. 20.
depono: deposui I 23.
depoposcit (= *ἐξη*[*τήσατο*]) V 4.
depugnaverunt (= *ἐμαχέσαντο*) IV 32.
d[esc]iscentem (= *ἀφιστάμενον*) V 28.
designávit (= *ἀπέδειξεν*) III 2.
[detrimenti] I 6.
devictas (= *ἡσσηθέντα*) V 45. devicti[s] V 39.
deum (*gen. plur.*) IV 7. 17 VI 33. dis I 26.
[dictatura]m (= *αὐτεξούσιον ἀρχήν*) I 31.
diem [I 44. II 33] V 7 II 32. die III 3. [dies] I 26. [diebu]s I 34.
[dignitate] = *ἀξιώμ*[*α*]*τι* VI 21.
[di]missis VI 29.
dívi *Inscr.* 1 IV 2. 24 VI 32.
do: dedi I 19 III 9. 13. 16. 18. 21 IV 31; [d]edi IV 41; de[di] IV 43. dedit I 5; ded[it] VI 29. d[are] VI 19. darentur III 37. [dans] I 5. [dat]um I 35. [datam] I 31.
[do]minatione (= *δουλήας*) I 2.
dominis V 1. 3.
domit[a]m (= *δαμασθέν*) V 28.
donátum III 5. donata VI 40.
donum: dona (= *ἀναθέματα*) IV 53; don[a IV 23.
ducenti IV 45. ducenta II 7 III 14. 21.
ductus (= *μεταχθέν*) V 48. ducti (= *π*[*αρή*-*χθ*]*ησαν* I 28, *ἐπέβη* V 18) I 28 V 18.
Dumnobella[unus] (= *Δομνοελλαῦνος*) VI 2.
duo IV 17 [V 19]. duas VI 37. duabus *Inscr.* 3.
duodecim III 11.
duodecimum *adv.* III 12.
duodevicensimum *adv.* III 15.
duplicavi (= [*ἐδί*]*πλωσα*) IV 11.
dux (= *ἡγεμών*): ducem V 4; du[cem] V 51. d[u]ces V 39.
ego: mihi I 5. 22 II 22. 24. 35 IV 25. 54 V 27. 41 VI 19. 27; [m]ihi VI 22; [mi]hi II 46. mé (*accus.*; *cum apice* I 7. V 54) I 7 V 4. 44. 50. 54; m[e] I 4; [m]e II 37. me (*ablat.*) I 19 II 17. 45 V 37 VI 6. 9.
emeruissent III 38. [emeri]tis I 17. emeriteis (stipendis = *ἀπολυομένοις*) III 30.
emetior: emensus III 12.
empto (= *ἀγορασθέντος*) IV 23.
[epulonum] = *ἱεροποιῶν* I 46.
eques: equites III 4.
[eque]ster (ordo = *ἱππικόν*) VI 24. equestres (statuae = *ἐφιππιοί*) IV 51.
eripuit (= *ἀνήρπασεν*) II 46.
et *Inscr.* 2 I 1. 8. 13. 18. 21. 31. 34. 37 II 1. 2. 3. 4. 7. 9. 11. 15. 18. 21. 29. 32. 34. 35. 40. 46 III 1. 3. 5. 8. 10. 12. 14. 15. 19. 22. 25 *bis.* 26. 28 *bis.* 29 *quater.* 30 *bis.* 34. 35. 36. 38. 40. 42 IV 1. 5. 6 *bis.* 9. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 20. 24 *ter.* 25. 26. 27. 28. 30. 31. 34. 36. 40. 41. 42. 45. 51 *bis.* 54 V 2. 4. 10. 16. 17 *bis.* 18 *bis.* 19. 21. 28 *bis.* 30. 33. 37. 40. 41. 45. 52. 53 *bis.* 54 VI 2. 8. 9. 13. 16. 24. 40; e[t] I 32. 35 IV 45 V 33; [e]t I 11 III 23 VI 26.
etiam II 18.
eudaemón V 20.
ex I 17. 27 II 13. 26. 32. 33. 37 III 3. 7. 8. 9. 17. 36. 37 IV 3. 22. 53 V 31. 33. 40. 50 VI 15; [e]x IV 23.
excídere (= *ἐξέκοψα*) I 15.
exemplar *Inscr.* 3.
exemplum (= *ἔθη*): exemplo V 26. [e]xempla II 12; [exe]mpla II 13.

exercitus (= *στράτευμα plerumque, δύναμις* V 47) V 44. 47; exerc[it]us V 23; ex[ercitus] V 48. exercitum I 1. exercitus (*nom. plur.*) V 19. exercitum (*gen. plur.*) V 40.
exilium I 10.
existere: [extitera]t VI 7.
exolescentia (= *καταλυόμενα*) II 12.
expello (*in exilium* = *ἐξορίζειν*): expuli I 10.
exper[tae] (= *πεῖραν ἔλ[α]βεν*) VI 6.
explévit (= *προσεξεπλήρωσεν*) VI 42.
exstinxeram (= *ζβέσαι*) VI 13.
externus (= *ἐξωτικός*): exte[rnas] I 14. [exter]na I 13.
[Fabio] I 38.
Fabricio III 30.
[fa]cin[us] I 11.
facio (= *ποιῶ, ubi redditur proprie, ἀνεγείρω* IV 23, *ἀνίστημι* IV 4): féci (*sic* IV 8; féci II 6 IV 23) II 6. [9] III 28 IV 8. [19] 22. 23. 35. [37. 38]; féc[i] II 3; [fec]i V 13. fecit *Inscr.* 2. VI 31. fecerunt II 16 [IV 39]. fecerat IV 4. facere II 31 V 25; facer[e] II 41. fierem II 23. facti V 7.
factionis (= *συνο[μοσα]μένων*) I 2.
